BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
1 G
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

49
e
23

[illegible]

Digitized by Google

14-7. F. 32

49. 3. 23.

Digitized by Google

TRACTATVS DE ANIMA,

SEV

PHILOSOPHIA VERE NATVRALIS

Hiſce temporibus à nullo prorſus Profeſſorum in Scholis tradi ſolita,

Vnicuiq; literarum ad ſtudia incumbenti neceſſaria: Tyronibus enim, ac Medicis ad ſcientiam medicam perfecte acquirendam; Poetis, ac Oratoribus ad habendam materiam pro ſuis operibus; Philoſophis ad philoſophandum de rebus naturalibus; Principibus ad cognoſcendum ſuorum Miniſtrorum aptitudinem vel ineptiam ad gubernandum; Senibus, vt à ſenectute ad iuuentutem redeant; Iuuenibus, vt ſani, & diù viuant, ſuoque filium libito marem, vel fœminam, boni ingenij, memoriæ, vel phantaſiæ generent; Fœminis, vt ſterilitatem fugiant, facilè concipiant, atque pariant, ita & cæteris omnibus.

A V C T O R E

DEMETRIO PHALEREO CONSTANTINOPOLITANO

In Almo Archigymnaſio Romano Philoſophiæ, ac Græci Idiomatis Profeſſore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, Typis Nicolai Angeli Tinaſſij, M. DC. LXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISS. PATRI, ET D. N.

ALEXANDRO VII.

PONT. OPT. MAX. P. F.

TAM multi iam, & veteres, & recentiores hoc præſertim tempore Tuis auſpicijs literarum feraciſſimo erudita Philoſophiæ volumina ediderunt, BEATISSIME PATER, vt exhauſta prope philoſophicè ſpeculandi ſolertia, non modo ſuperuacuum, ſed fere dixerim temerarium videri poſſit aliud quidpiam eius generis expromere. Nihilò tamen minus nouo hic philoſophandi modo ad praxim præcipuè artis medicæ redacto, quemadmodum de viuentibus totũ hoc opuſculum eſt, imò & quod etiam politicæ non

Digitized by Google

parum, & alijs diſciplinis penè omnibus inſeruiat, vt ipſe faueas, & gratiæ publicæ Tua Parentis optimi humanitate viam aperias, exorari permitte. Prodit enim noua hæc Philoſophia naturalis tanquam peregrina fœmina genere, habitu, & omnibus lineamentis, ità planè, vt incompta, & ferè barbara poſſit videri, cuius vnicum ornamentum eſt ornamenta prorſus neglexiſſe. Nec tamen iniucundam ſeſe exhibet, quin & potius cum vtilitate delectabilem, quandoquidem ex Oriente non pauca fert arcana & ſcitu ſaltem, ſi quid aliud, in primis curioſa: Quorum vnum Tibi totum offert, & dicat, artem videlicet medicam, & modum, quo ætas hominum in ſenium verſa poſſit ad iuuentutem reuocari; Te quippe vniuerſi Terrarum Orbis beneficio vellet immortalem. Ego ſanè huius Peregrinæ Pater vtique peregrinus, & Græcus Alexandrum Magnum, vt meæ Patriæ quondam principem, & Philoſophum eximium reueritus inter viuos peroptaſſem, niſi Te ALEXANDRVM MAXIMVM in omnibus ſapientiſſimum Principem habuiſſem, & mihi præſertim beneficentiſſimum, cui hoc Opuſculum ſiſterem, futurum ſanè ſi benignè exceperis, ſub oculis Tuis illicò felix, & maximum & Syderis Tui fulgore non inglorium. Meliſſus iam ſenior, & ſexagenarius, cum de Argutijs libellum conſcripſiſſet, quas lepidè ineptias appellauerat, vernantibus inter ſenij niues apprimè Rhetorum floſculis,

Magno

Magno illum Auguſto dicare non erubuit; quandoquidem eximius ille Princeps, vt teſtatur hiſtoricus Ingenia ſui ſeculi omnibus modis fouit. Et cur ego vtiq;iam ſenior donariolum hoc Tibi ſiſtere quamuis exiguum erubeſcam, cui omnia ſumma eodem tempore deberi confiteor, cum omni genere beneficiorum Sapientiam foueas? Hoc teſtatur immenſa Liberalitas Tua,& Munificentia,qua noſtrum Archigymnaſium condecorari tàm altè voluiſti tum redditibus, & horto medico,tum celſiſſimi ędificij maieſtate,quæ ipſam laceſſit æternitatem. Et prætereà noſtrum omnium inhæret animis inſolitum,& celſiſſimum beneficium Tuum planè paternum, quando videlicet anno ſuperiore optatiſſimo Tuo conſpectu nos in eodem Lycæo fuiſti dignatus,pro quo vel vnoTibi ęternùm nos deuinctiſſimos profitemur. Sed quo pacto ego ineptiſſimus laudum Tuarum pelagum inexhauſtum ingrederer, quando iam magnitudinem animi Tui, & ſapientiam in primis diſerti Viri laudando defeſſi ſunt, cum Tu nunquam,præclara, & laudibus digniſſima peragendo, defatigeris? Tu Summum Tiaræ faſtigium tenes,animo tamen celſiore: Et proinde Orbis Chriſtiani vniuerſi Tu maximum Votum es, & Populi omnes à Tuis Montibus, qui Sydera ſuſtinent, in calamitatum Oceano Cynoſuram ſuſpicientes verum incolumitatis, & ſalutis Portum ſibi auſpicantur, & ſperant. Hìc tandem ad Tuos ſanctiſſi-

tiſſi-

tiſſimos pedes procumbo, & exoſculor: Felicitatem Tibi diuturnam & pacatiſſimam precor, quando ex Te Orbis fauſtitas conſtat. Te Diuina prouidentia beneficio populorum ſeruet, aureoq; ſtamine ætatem trahat, cui ex virtutum, & innocentiæ merito debetur æternitas.

Sanctitatis Tuæ

Humiliſſimus Seruus

Demetrius Phalereus.

BENEVOLO LECTORI.

CVm tanto temporis ſpatio in Philoſophia verſatus paucos quidem inuenerim, qui de rebus ad Philoſophiam naturalem pertinentibus ſermonem facere non ignorent, niſi aliquem ingenioſiſſimum Medicum, & etiam inter illos, qui ad Philoſophiam ſpeculatinam acquirendam multum temporis conterere ſolent; ſi enim ab eorum aliquo notitiam alicuius effectus naturalis petas; vnde nimirum proueniant E.G. in aliquo animali, flore, vel aue tot varietates colorum, vel aliud quid ſimile illi videris aliquid à Philoſophia alienum petere; putat enim præter formalitates, quas acquiſiuit non dari aliam Philoſophiam; certè miſeratione dignus, cum hiſce temporibus in ſcholis à Profeſſoribus Philoſophia naturalis tradi non ſoleat: Propterea excogitaui hanc naturalem Philoſophiam in lucem edere, quæ omnibus literarum ad ſtudia incumbentibus, & etiam non incumbentibus inſeruire poſſit. Inſeruit itaque hæc Philoſophia tyronibus Medicis ad perfectè ſcientiam medicam acquirendam, ſine qua ſanè cum qualibet alia Philoſophia benè acquiri non poteſt: Inſeruit Poetis, & Oratoribus, præbendo illis materiam pro ſuis operibus; Philoſophis ad philoſophandum de rebus naturalibus ſenſibilibus; Principibus ad cognoſcendam ſuorum miniſtrorum aptitudinem, vel ineptiam ad gubernandum; ſenibus, vt à ſenectute ad iuuentutem redeant; iuuenibus, vt diù viuant ſuoque libito filium marem, vel fœminam boni ingenij, vel memoriæ generent; fœminis, vt ſterilitatem fugiant, facilè filios concipiant, atque pariant; cæteriſque ita omnibus inſeruire poteſt. Quam Philoſophiam non formalitatibus, elegantiis, ac ornamentis ſcripſi, ſed methodo breui, ac facili, vt ab omnibus facile ſine docente percipi poſſit, iucundam, ac delectabilem, vt vnuſquiſque libentiùs eam legat.

Aduerte tamen, benigne Lector; legendo inuenies multa, quæ primo intuitu tibi apparebunt contradictiones, non tamen ſunt; ego enim ſemper cum multis viris ſapientiſſimis ſententiam ponentem in homine tres animas, ideſt vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem realiter diſtinctas ſecutus ſum; ſed quia cum hac ſententia ad typum mandare mihi non fuit permiſſum, mutaui concluſionem; vbi dicebam dari tres animas, dixi dari vnam tantum animam in homine, quæ virtualiter continet vegetatiuam, & ſenſitiuam; vnde eſt virtualiter diſtincta in tres gradus, ideſt vegetatiuum, ſenſitiuum, & rationalem; dum ergo inuenies cõcluſionem dicentem animam vegetatiuam eſſe in hepate, ſenſitiuam, & rationalem in cerebro, nulla eſt contradictio, quia iuxta ſententiam ponentem tres animas iam bene valet; iuxta ſententiam verò ponentem vnam tantum animam, ſic intelligi debet; anima vegetatiua eſt in hepate, ideſt anima ſecundum gradum vegetatiuum, eſt in hepate, & ſecundum gradum ſenſitiuum, & rationalẽ eſt in cerebro, gradus enim vegetatiuus vt vegetatiuus non eſt ſenſitiuus, neq; rationalis, ſicuti animal vt animal in homine non eſt rationale; ita omnia ſaluari poſſunt ſine vlla contradictione. Inuenies præterea, benigne Lector,

quam-

Digitized by Google

quam plurimos orthographiæ errores à Typographo commiſſos(licet hic alijs diligẽtior habeatur,(hoc tamen malum commune eſt,& difficile euitabile) quorum principaliores in fine operis denotati ſunt. Tandem hic te precor, benigne Lector, ſi quid odij vnquam habueris, ſi liuorem forte aliquem in authorem adhuc ſeruas, deponito, quæſo, priuſquam libellum hunc attingas, & ſi ferre nequis, humanitate non adduceris, benignitate non placaris, lacera ſenem authorem verbis, & contumelijs, & ne condemnes eius prolem: Inhumanum ſiquidem eſt, & impium, loco patris paruulum ſuum innocentem filium condemnare. Salue igitur, benigne Lector, ſi ſis beneuolus, ſi non adhuc tamen ſalue.

Tui commodi ſtudioſus

Demetrius Phalereus.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

O. Archiep. Patracen. Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apoſtolici Promagiſter Ordinis Prædicatorum.

INDEX

INDEX
Quæſtionum, & Articulorum.

PARS I.

De anima in communi.

DISPVTATIO I.

De natura, & eſſentia animæ in communi.

QVAESTIO I.

De anima ſecundum ſe.

ARTICVLVS I.

AN agere de anima pertineat ad phyſicam. pag. 1

II. An ſcientia de anima ſit præſtantior cęteris ſciẽtijs. pag. 3

III. An detur Anima. 5

IV. De definitione animæ. 7

V. Quotuplex ſit anima. 13

VI. An omnis anima ſecundum ſe ſit deuiſibilis. 15

QVAESTIO II.

De anima in ordine ad ſubiectum totale.

ARTICVLVS I.

An detur formæ partiales. 21

II. An in vno corpore ſit vna tantum anima an verò plures realiter diſtinctæ. 25

III. An anima ſit in toto corpore. 38.

IV. An anima præter eſſe in toto corpore, reſideat in aliqua præcipua parte corporis, ſicuti Deus in Cœlo. 40

DISPVTATIO II.
De potentijs animæ.

QVAEST. VNICA.

De potentijs animæ ſecundum ſe conſideratis, earumq; diſtinctione.

Art. 1. Quid, & quotuplex ſit potentia. 51
Art. 2. An potentiæ animæ diſtinguātur ab anima. 52
Art. 3. An potentiæ inter ſe realiter diſtinguantur. 55
Art. 4. In quo ſubiectantur potentiæ animæ. 56
Art. 5. De origine potentiarum. 58
Art. 6. An potentiæ ſpecificentur per actus, & an actus ſpecificentur per obiecta. 60

PARS II.

DISPVTATIO I.

De vita, & morte.

QVAESTIO I.

De vita,

Art. 1. Quid, & quotuplex ſit vita. 63
Art. 2. De cauſis longitudinis vitæ. 69
Art. 3. De tranſitu à Senectute ad Iuuentutem. 72
Art. 4. De cauſis breuitatis vitæ. 83
Art. 5. De quibuſdam quæſitis circa longitudinem, & breuitatem vitæ. 86
Art. 6. De ſignis longitudinis, & breuitatis vitæ. 88
Art. 7. De diſtinctione vitæ, ſeu ætatis. 89

QVAESTIO II.

De Morte, eiuſque cauſis, & ſignis.

Art. 1. Quid, & quotuplex ſit mors. 92
Art. 2. De cauſis mortis. 94
Art. 3. De ſignis futuræ mortis. 98

DISPVTATIO II.

De potentia generatiua.

QVAESTIO I.

De natura, & eſſentia potentiæ generatiuæ.

Art. 1. Quid ſit potentia generatiua. 99
Art. 2. An in fœmina ſit virtus generatiua actiua, an paſſiua. 103

QVAES-

QVAESTIO II.

De natura, & eſſentia ſeminis.

Art. 1. Quid ſit ſemen, eiuſque cauſæ. 107.
Art. 2. A quibus partibus corporis proueniat ſemen. 111
Art. 3. An ſemen ſit animatum. 113
Art. 4. An externę excrementitiæ partes, ideſt pili, vngues, & aliæ ſint animatæ. 118

QVAESTIO III.

De ſanguine menſtruo, eiuſque proprietatibus.

Art. 1. Quid ſit ſanguis menſtruus, & an omnes fœminæ illum habeant. 126
Art. 2. De tempore quo incipiunt menſtrua, eiuſque ſignis. 129
Art. 3. De varietate ſanguinis menſtrui. 133.

QVAETIO IV.

De Vtero, & ad eum pertinentibus.

Art. 1. Quid ſit Vterus. 135
Art. 2. De conceptionę. 137
Art 3. De requiſitis ad conceptionem maris. 143
Art. 4. De ſignis conceptionis. 148
Art. 5. De ſterilitate. 149
Art. 6. De formatione fœtus, & ad eum pertinentibus. 151
Artic. 7. Quænam ſint partes, quæ priùs eformantur. 158
Art. 8. An priùs producatur cor, an hepar, an cerebrum. 161

QVAESTIO V.

De partu foetus.

Artic. 1. De cauſis pariendi. 165
Art. 2. De tempore pariendi. 170

DISPVT. III.

De facultate nutritiua, & Augmentatiua.

QVAESTIO I.

De alimento.

Art. 1. De alimento extrinſeco. 174
Art. 2. De potu. 187
Art. 3. De alimento immediato, & intrinſeco. 189

QVAESTIO II.

De natura, & eſſentia potentiæ nutritiuæ, & Augmentatiuæ.

Art. 1. Quid ſit potentia nutritiua, & augmentatiua. 190
Art. 2. De quibuſdam quæſitis circa potentiam augmentatiuam. 191

PARS. III.

De anima ſenſitiua.

DISPVT. I.

De ſenſibus in communi.

QVAEST. I.

De ſpecibus intentionalibus.

Art. 1. An dentur ſpecies intentionales. 194
Artic. 2. Quomodo producantur ſpecies intentionales. 197

QVAESTIO II.

De eſſentia, & numero ſenſibilium in communi.

Art. 1. Quid & quotuplex ſit ſenſibile. 200
Art. 2. A quonam producatur ſenſio. 204
Artic. 3. An ſenſus decipiatur circa proprium obiectum. 208

DISPVTATIO II.

De ſenſu viſus.

QVAESTIO I.

De natura oculi, & modo videndi.

Art. 1. De natura oculi. 211

Artic. 2. De modo videndi, ſeù quomodo fiat viſio. 213
Art. 3. De partibus oculum componentibus. 222
Art. 4. Vbi nam fiat viſio, & an ſit alijs ſenſibus præſtantior. 226

QVAEST. II.

De medio videndi.

Art. 1. De lumine. 228
Art. 2. De ſpeculis. 236

QVAEST. III.

De obiecto viſus, ſeù de coloribus.

Art. 1. De coloribus veris, ac realibus. 238
Art. 2. De coloribus apparentibus. 244

DISPVT. III.

De ſenſu auditus.

QVAEST. I.

De ſono.

Art. 1. De natura ſoni eiuſque generatione. 249
Artic. 2. An ſonus realiter feratur vſque ad auditum. 253

QVAEST. II.

De echo, & voce.

Art. 1. De echo. 253
Art. 2. De voce. 256

QVAEST. III.

De inſtrumento auditus, & reſpiratione.

Art. 1. De inſtrumento auditus. 260
Art. 2. De reſpiratione. 262

DISPVTAT. IV.

De ſenſu odoratus, guſtus, & tactus.

QVAEST. I.

De ſenſu odoratus.

Artic. 1. De obiecto odoratus. 267
Artic. 2. De organo odoratus. 271

QVÆ-

Digitized by Google

QVAEST. II.

De ſenſu guſtus.

Art. 1. De obiecto guſtus, ſeù de ſapore. 278

Art. 2. De organo guſtus. 284

QVAEST. III.

De ſenſu tactus.

Art. 1. De obiecto tactus. 286

Art. 3. An omnia animalia habeant omnes quinque ſenſus. 291

Art. 4. De dolore. 293

DISPVTAT. V.

De ſenſu communi.

Art. vnicus. De ſenſibus internis in communi. 298

QVAEST. I.

De natura, & eſſentia ſenſus communis.

Artic. 1. Quid ſit, & an detur ſenſus communis. 301

Art. 2. De ſubiecto ſenſus communis. 302

QVAET. II.

De ſomno, & vigilia.

Art. 1. Quid ſit ſomnus. 304

Art. 2. Propter quid à natura omnibus animalibus ſõnus inditus fuit. 311

Art. 3. De Vigilia. 317

DISPVTAT. VI.

De phantaſia.

QVAESTIO I.

De phantaſia ſecundum ſe, eiuſq; ſubiecto, & temperamento.

Art. 1. Quid ſit phantaſia, & quod eius obiectum. 321

Art. 2. De temperamento ad phantaſiam requiſito. 322

Art. 3. An omnia animalia bruta habeant phantaſiam. 324

QVAESTIO II.

De varijs impreſſionibus

vi imaginationis in corporibus impreſſis, eiuſq; modo eas imprimendi.

Art.1. De impreſſionibus quas phataſia imprimit, tùm in proprio corpore, tùm in alieno. 326

Art.2. De modo quo phantaſia impreſſiones, ſeu effectus efficit in proprio corpore. 329

Art.3. De modo quo phantaſia impreſſiones, & ſignaturas in fœtu inducere ſolet. 335

QVAEST. III.

De ſomnijs.

Art.1. Quid ſit ſomnium, eiuſque cauſæ. 342

Art.2. De diuinatione ſomniorum. 351

DISPVTAT. VII.

De facultate Æſtimatiua, memoria, & ſciẽtijs ad eas pertinentibus.

QVAESTIO I.

De facultate æſtimatiua.

Art.1. Quid, & quotuplex ſit facultas æſtimatiua. 358

Art.2. De temperamento ad bonum ingenium requiſito. 360

QVAEST. II.

De memoria, & reminiſcentia.

Art.1. Quid ſit memoria, eiuſque temperamentum. 362

Art.2. De reminiſcentia. 365

QVAEST. III.

De ſcientijs ad imaginatiuam, æſtimatiuam, & memoriam pertinentibus.

Art.1. De ſcientijs ad bonam imaginatiuam pertinentibus. 368

Art.2. De ſcientijs ad bonum ingeniũ pertinentibus. 371

Art. 3. De ſcientijs ad bonam memoriam pertinentibus. 377

DISPVTAT. VIII.

De potentia Appetitiua, & loco motiua.

QVAESTIO I.

De potentia appetitiua.

Art. 1. Quid, & quotuplex ſit potentia appetitiua. 383

Art. 2. De operationibus appetitus cõcupiſcibilis. 386

Art. 3. De operationibus appetitus iraſcibilis. 395

QVAESTIO II.

De potentia motiua.

Art. 1. Quid, & quotuplex ſit potentia motiua eiuſque motus. 402

Art. 2. De modo, quo fit motus in toto corpore. 406

PARS IV.

De anima rationali.

QVAESTIO I.

De immortalitate animæ.

Art. 1. An in ſententia Ariſtotelis anima rationalis ſit immortalis. 408

Artic. 2. An lumine naturæ poſſit demoſtrari immortalitas animæ. 411

Art. 3. Afferuntur, & impugnantur variæ rationes cõtra immortalitatem animæ. 413.

QVAESTIO II.

De alijs omnibus ad animam rationalem pertinentibus.

Artic. 1. De intellectu agente, & paſſibili. 416

Art. 2. De voluntate. 428

Articul. 3. De libero arbitrio. 433

TRA-

TRACTATVS
DE ANIMA
IN ORDINE AD MEDICINAM
SEV PHILOSOPHIA NATVRALIS
In quatuor partes diuiſa.

IN PRIMA PARTE AGITVR DE ANIMA IN COMMVNI.
IN SECVNDA DE ANIMA VEGETATIVA.
IN TERTIA DE ANIMA SENSITIVA.
IN QVARTA DE ANIMA RATIONALI.

PARS PRIMA.
De Anima in communi.

Hæc pars diuiditur in duas diſputationes in prima agitur de natura, & eſſentia Animæ in communi, in ſecunda de eius potentijs.

DISPVTATIO PRIMA.
De natura, & eſſentia Animæ in communi.

Hęc diſputatio diſtribuitur in duas quęſtiones, in prima tractatur de Anima ſecundum ſe, in ſecunda de Anima in ordine ad ſuum obiectum.

QVÆSTIO PRIMA.
De Anima ſecundum ſe.

ARTICVLVS PRIMVS.
An agere de Anima pertineat ad Phiſicam.

DICO primò, ſcientiam de Anima eſſe partem Phiſicæ. Nam Phyſica cum ſit ſcientia totalis, conflata eſt ex pluribus ſcientijs partialibus, quæ tendunt ad eundem finem, vt ſunt ſcientiæ de octo libris phyſicorum, de Cœlo, de Meteoris, de Generatione, & Corruptione, de Anima, & alijs, quæ conflant, & conſtituunt Phyſicam ſcientiam totalẽ:

Digitized by Google

Quemadmodum conſtatur, & aliæ, ſcientiæ totales, vt Mathematica, Metaphyſica, & aliæ.

Dico ſecundò, agere de anima pertinere ad Phyſicam.

Probatur 1. quia Phyſica cum agat de corpore naturali, eiuſq; ſpeciebus, non ſolùm agere debet de materia, ſed etiam de forma, vt patet ex Ariſt. 1. de partibus cap. 1. 7. Mathaphyſices, 1. de anima tex. 16. & ratio eſt manifeſta, quia corpus naturale cùm includat vtramque partem nempè materiam, & formam, vnà ignoratà perfectè cognoſci non poteſt; ergò agere de Anima pertinet ad Phyſicam.

Secundò quia quælibet ſcientia debet conſiderare. Principia, cauſas, & ſpecies ſui obiecti, vt patet ex Ariſt. 1. poſteriorum, & 11. met. cap. 1. ſed homo eſt ſpecies corporis naturalis, quod eſt obiectum Phyſicę; ergò Phyſica cõſiderat animam, quę eſt principium, & cauſa hominis, qui eſt ſpecies corporis naturalis.

Tertio, quia omnis forma, quæ dicit ordinem ad materiam, per ſe conſideratur à Phyſica, vt docet Ariſt. 1. de Anima tex. 15. & xi. met. cap. 1. Sed anima rationalis dicit ordinem ad materiam; tum quia definitur in ordine ad materiam: tum quia facit vnum per ſe cum materia; ergò anima per ſe conſideratur à Phyſica.

Quarto, quia anima eſt natura, cum conſtituat compoſitum naturale, & eſt principium motus naturalis; ſed agere de natura, & naturali pertinet ad Phyſicam; ergo agere de Anima pertinet ad Phyſicam.

Dico tertio, agere de anima ſpectare etiam ad Methaphyſicã, non ſolùm ſecundùm prædicata communia, & traſcendentia, quæ pertinent ad Methaphyſicam, ſed etiam ſecundum peculiarem rationem, quatenùs nimirùm eſt immortalis, intelligẽs, &c. & ea omnia, quæ habet communia cum intelligentijs.

Probatur, quia Methaphyſica agit de illis omnibus, quæ non dicũt ordinem ad materiam; ſed Anima rationalis ſecundùm ea omnia, quę habet communia cum intelligentijs non dicit ordinem ad materiam; ergò ſub hac ratione de ea agere ſpectat ad Methaphyſicam.

ARTI-

ARTICVLVS II.

An ſcientia de Anima ſit præſtantior cæteris ſcientijs.

CErtum eſt primò, ſcientiam de anima præſtantiorem eſſe omnibus ſcientijs practicis. Ratio eſt, quia ſcientia ſpeculatiua nobilior eſt ſcientia practica; ſed ſcientia de anima eſt ſpeculatiua, cum ſit pars Philoſophiæ naturalis, ergò præſtantior eſt quacumque ſcientia practica.

Certum eſt ſecundò, ſcientiam de anima præſtantiorem eſſe Mathematica. Ratio eſt, quia Mathematica verſatur circa quantitatem, quæ eſt accidens. Scientia de anima eſt circa ſubſtantiã; ſed ſcientia, quæ verſatur circa ſubſtantiam, nobilior eſt ſcientià, quæ verſatur circa accidentia: ergò ſcientia de Anima præſtantior eſt Mathematica.

Certum eſt tertiò, ſcientiam de Anima præſtantiorem eſſe reliquis partibus philoſophiæ naturalis, vt patet ex Platone in Timæo, vbi ait, videns nobilius eſt non vidente, ſentiens, nõ sẽtiente, & intelligens nobilius non intelligente; ſcientia igitur de anima, cum agat de rebus, quæ vident, ſentiunt, & intelligunt, eſt nobilior alijs partibus philoſophiæ, quæ circa alias res naturales verſantur.

Certum eſt quartò, Methaphyſicam præſtantiorem eſſe ſcientia de anima, & quantò Deus, & intelligentia ſuperant animam, tantò doctrina illarum, i. Methaphyſica ſuperat ſcientiam de anima.

Confirmatur ex Ariſt. qui ait, inter ſpeculatiuas ſcientias Metaphyſicam eſſe præſtantiorem. Et de hoc parua videtur controuerſia. Maior lis, & controuerſia videtur inter Philoſophos de Cœlo, & de anima, cui debeatur principatus; Et quoad animam vegetatiuam, quę eſt in plantis, ſenſitiuam, quæ eſt in brutis animalibus, non videtur dubium, quin ſuperentur dignitate à Cælo; Pro dirimenda hac quæſtione.

Sciendum eſt, in vnaquaque re tria conſiderari poſſunt,primū ſubſtantia,ſecundum accidentia,tertium operationes; His omnibus Cælum ſuperat cætera corpora naturalia : nam ſubſtantia Cæli eſt ſimplex, immortalis, & inſtrumentum intelligentiæ, à qua mouetur,regitur, ac dirigitur. Accidentia Cœli ſunt omnia ſummæ perfectionis : nam eius figura,quæ eſt ſphærica,omnium pulcherrima eſt, eius lux eſt tamquam Princips omnium qualitatum,eius motus circularis,qui eſt perfectiſſimus omnium motuum.Preterea virtus Cæli eſt maxima,omnes enim res inferiores pendent ex virtute Cæli, vndè Ariſt.8.phyſ.ſi remoueretur, inquit motus Cæli tollerentur omnes motus, & in 1. de Cælo tex. 100. loquens de Cælo, ait, ab hoc principio communicari omnibus eſſet alijs quidem clariùs, alijs obſcuriùs, in his ergò Cælum eſt præſtantiſſimum.

Dubium eſt de homine, in quo etiam tria ſunt conſideranda, corpus,anima,& coniunctio animæ cum corpore. Quoad corpus homo dependet à Cælo, cum vi Cæli ſit mutabilis. Quoad animam, ſi conſideretur in corpore dependet a Phantaſmatibus; nam phantaſma præbet materiam intelligendi intellectui,alitèr non intelligeret, & ſecundùm hoc etiam dependet à Cælo per accidens tamen non per ſe. Nàm intellectus cum ſit immaterialis,& incorporeus, non recipitur in aliquo corpore,nequè poteſt pendere à Cælo; intellectio vero quatenùs intellectio eſt, non dependet à Cælo, ſed ſolùm obiectiuè per phantaſmata. Præterea ſubſtantia animæ dupliciter conſiderari poteſt, vel per ſe, vel in ordine ad corpus, per ſe non dependet à Cælo, quia eſt immaterialis, immortalis, creata ex nihilo, & ſic eſt ſupra Cælum: in ordine ad corpus pendet à Cælo; nam non poteſt eſſe in corpore, niſi per diſpoſitiones, quæ fiunt ex virtute Cæli. Quoad coniunctionem animæ cum corpore; hæc prorsùs dependet à Cælo: nam ſi penderet à nobis,anima nunquam egrederetur à corpore, hæc autem conſeruatur per vitam, & ſegregatur per mortem.Similitèr ſanitas, & morbus pendent à Cœlo.

Colligitur ergò ex dictis, hominem ratione operationis corporis, & coniunctionis animæ cum corpore dependere à Cælo. Ratione ſubſtantiæ, quatenùs anima eſt ſubſtantia ſimplex, &

per

per ſe intelligit, non dependere a Cęlo, & in his duobus præſtantior eſt Cælo. Aduertendum tamen eſt, me loqui de homine philoſophicè; nam ſi loqui volumus Theologicè abſolutè verum eſt dicere hominem nobiliorem eſſe Cælo, cum ſit inſtitutus propter beatitudinem.

Dices Ariſt. 2. Phyſ. tex. 24. ait hominem eſſe quodammodò finem rerum omnium, ſi homo eſt finis rerum omnium eſt nobilior Cælo, & cæteris rebus omnibus. Et lib. 1. de hiſt. animalium cap. 1. & in 2. de partibus animalium c. 10: ait, hominem eſſe naturam præſtantiſſimam, & maximè participem diuinitatis. Et in hoc procemio ait, ſcientiam de anima præſtantiorem eſſe omnibus ſcientijs.

Reſp. Ariſt. in 2. phyſ. non loqui abſolutè, ſed in ordine ad artificialia, agens ibi de arte ait nos eſſe finem rerum omnium, ideſt artificialium. In lib. de hiſt. animalium Ariſt. loquitur de homine comparatione cæterorum animalium, & in procemio non dicit, ſcientiam de homine eſſe præſtantiorem, ſed eſſe inter primas, aliter eſſet præſtantior etiam Metaphyſica, quod eſt falſum.

ARTICVLVS III.

An detur Anima.

NOmine animæ intelligitur ſublimis quædam ſimplex forma ſubſtantialis, quæ formaliter conſtituit animatum in eſſe animati. Multi ex veteribus Philoſophis, inter quos præcipuè Empedocles, quem ſecutus eſt Galenus, negarunt dari animam, ideſt ſimplicem formam ſubſtantialem, per quam conſtituitur animatum, ſed dixerunt, animam eſſe harmoniam, ſeu temperiem quandam qualitatum; huius ſententiæ fautor Gal. li. 3. de ſymptomatibus c. 6. 1. de vſu partium cap. 8. & lib. de eo, quòd mores animi temperamentum corporis ſequuntur, ait animam eſſe temperiem primarum qualitatum.

Ratio huius ſententiæ eſt, quia id, quod animam vocamus eſt fons effectuum noſtrorum, & paſſionum; ſed huiuſmodi non eſt

eſt, niſi temperamentum quatuor primarum qualitatum, & humorum in nobis; ergò non datur anima. Minor probatur; quia ex varietate temperamenti variantur effectus, & paſſiones in nobis, vt patet experientia; ergò anima conſiſtit in temperamento primarum qualitatum.

Secunda ſententia ait, dari animam: ita omnes Catholici, Ariſt. cæterique celeberrimi Philoſophi.

Ratio eorum eſt, quia dantur ſuppoſita quædam ſubſtantialia animata, vt patet ſenſui: ergò quemadmodùm in omnibus inanimatis datur propria forma ſubſtantialis, ita & in iſtis animatis datur quædam forma ſubſtantialis, conſtituens compoſitum ſubſtantiale animatum, quæ eſt anima.

Dico cum ſecunda ſententia, dari animam, quæ eſt forma quædam ſubſtantialis conſtituens animatum in eſſe animati.

Probatur primò ex Ariſt. qui 2 de anima, tex. 6. cum definiens animam, ait, dari animam eſſe per ſe notum.

Probatur ſecundò contra primam ſententiam, ſi anima conſiſteret in illo temperamento, eſſet formaliter accidens, conſequens eſt falſum: ergò & antecedens. Sequela patet; quia temperamentum nihil addit vltra primas qualitates, ita combinatas, & ſi quid addat, vel eſt accidens, vel ſubſtantia, ſi accidens, redit ſequela, ſi ſubſtantia habemus intentum.

Probatur tertio, quia operationes a primis qualitatibus, etiã combinatis ſunt calefactio, frigefactio, & aliæ ſimiles operationes. Animatorum autem operationes, ideſt vitales ſunt longè diuerſæ, & perfectæ; ergo debet dari principium ſubſtantiale, vndè proueniant tales operationes, quod principium eſt ipſa anima.

Probatur quartò, quia forma eſt nobilior materia. Ariſt. enim primò poſteriorum tex. 5, ait, propter quod vnumquodque tale, & illud magis; ſed materia eſt eſſentialiter propter formam, & totum, ergò forma eſt nobilior, quàm materia, & conſequenter anima eſt ſubſtantia, non qualitas, neque temperamentum qualitatis.

Ad rationem primæ ſententiæ, ſeu Galeni. Reſp. negando maiorem, ad eius probationem dico, falſum eſſe, vt experientia

tia patet ad varietatem temperamenti variari effectus, & paſſiones indiuiſibiliter, ideſt ſemper æquali proportione.

Præterea impoſſibile eſt, vt non conueniamus in temperamento cum aliquo corpore inanimato, in quo tamen nullo modo ſunt hę paſſiones: ergo datur anima, quæ eſt fons, & principium paſſionum, & operationum.

Obijcies primo, id, quo poſito ponitur animal, & ablato perit eſt formalis ratio animalis conſtitutiua; ſed huiuſmodi eſt temperamentum. Nam dum ipſum eſt, ſemper eſt animal, & eo deficiente ſtatim deficit. ergò c.

Reſpondeo, diſtinguo maiorem, quo poſito ponitur, & ablato aufertur animal, formaliter concedo maiorem, conſequenter nego maiorem, eodem modo diſtinguenda eſt minor, & neganda conſequentia; quia illa complexio, ſeu temperamentum ſe habet ſolum diſpoſitiuè ad rationem formalem animalis. Nam temperamentum & complexio perpetuò variantur, & laborante etiam animali varijs morbis defectu temperamenti, adhuc tamen perfectè retinet formaliter rationem animalis.

Obijcies ſecundò, anima eſt potentia ad ſuos effectus, vt ait Ariſt. hic lib. 2. tex. 3. Sed potentia eſt accidens, ergò anima eſt accidens.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, potentia proxima eſt accidens, concedo minorem, potentia remota nego minorem, & conſequentiam; nam potentia remota, cum ſit radix proprietatum, neceſſario debet eſſe ſubſtantia, proxima verò poteſt eſſe accidens. Anima igitur cum ſit radix proprietatum eſt ſubſtantia, & non accidens.

ARTICVLVS IV.

De Definitione Animæ.

ANima definitur ab Ariſt. 2. de anima tex. 8. ſic, Anima eſt actus primus corporis naturalis organici, potentia vitam habentis.

Dici-

Dicitur actus primus, primò quia anima eſt prima radix omnium operationum. Secundò ad excludendum actum ſecundum, ideſt motum, qui eſt actus imperfectus.

Dicitur corporis, non quidem corporis habentis animam, vt quidam opinantur, ſed corporis habentis diſpoſitiones omnes, aptas ad recipiendam animam; quia anima non conſtituit corpus in eſſe corporis, ſed in eſſe viuentis, cum anima iam præſopponat corpus in eſſe corporis.

Dicitur naturalis, vt diſtinguatur ab artificiali, vt colligitur ex ab Ariſt. qui ait animam non eſſe actum corporis artificiati.

Dicitur organici, ideſt corporis habentis varias partes inter ſe diuerſas, tanquam bona inſtrumenta ad varias operationes exercendas; quod corpus organicum eſt vna tantùm pars compoſiti, cui ita organizatę aduenit anima; corpus enim efficitur organicum à virtute efformatiua membrorum, quæ non eſt anima, (vt in ſuo loco dicemus), quia ſi eſſet anima, non euaneſceret, ſed maneret in corpore, ſicuti manet & ipſa anima.

Dices, ablatâ animâ non remanet corpus organicum, niſi æquiuocè; ergò eſſe corpus organicum conſtituitur ab anima.

Reſp. ablatâ animâ corpus organicum dicitur æquiuocè, non ratione corporis organici, ſed ratione viuentis, quia corpus viuens, & non viuens, in ratione corporis organici non differunt, ſed ſolùm ratione viuentis; corpus enim ſine anima neque viuere, neque operari poteſt.

Dicitur potentiâ vitam habentis, ideſt illud corpus non eſt, quodcunque corpus organicum, ſed illud, quod eſt in potentia proxima ad recipiendam animam.

Obijcies primò, Ariſt. hic lib. 2. tex. 11. ait, illam partem animæ, quæ eſt ſeparabilis, non eſſe actum corporis; ergò anima rationalis cum ſit ſeparabilis, non eſt actus corporis; ſed anima, quæ definitur, eſt actus corporis; ergò ſub illa definitione non comprehenditur anima rationalis, & conſequenter non eſt bona.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, anima non eſt actus corporis comparata cum intelligentijs, tranſeat antecedens, comparata cum alijs formis, nego antecedens; anima enim rationalis

nalis eſt actus, quia perficit corpus, & ſimul cum eo efficit hominem:licèt poſſit dici etiã,quòd anima rationalis non ſit actus, ſicuti cæteræ formæ, quatenùs nimirùm anima rationalis habet eſſe per ſe in aliquo priori, & poteſt ſeparari à materia, cæteræ verò formæ non habent aliud eſſe præter actum, neque poſſunt ſeparari, quod clarè patet in ſole E G. nam ſol habet in ſe lumen, quod deinde communicat aeri: differentia igitur inter lumen aeris, & ſolis eſt hæc; quia lux aeris in tantùm eſt, in quãtùm eſt in aere; lux autem ſolis ſemper eſt, quia habet in ſe lucem; ſicuti ergò ſol habet lucem ex ſe, ita etiam anima rationalis habet eſſe actum.

Obijcies ſecundò, anima rationalis non eſt actus corporis organici; nam omnia organa, quæ ſunt in lumine pertinent, vel ad animam vegetatiuam, vel ad ſenſitiuam; nullum autem organum eſt, quod inſeruiat animæ rationali; & hoc probatur, quia organa ſunt inſtrumenta propter operationes, quæ exercentur in illis organis; ſed operationes animæ rationalis non exercentur per organum; ergò anima rationalis non eſt actus corporis organici, cum non habeat organum.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, anima rationalis non vtitur organo ſubiectiuè concedo antecedens, obiectiuè nego antecedens, vtitur inquam organo, quatenùs materiam intelligendi accipit à Phantaſmatibus; ſicut enim dicimus oculus indiget colore ad videndum, ſenſus eſt, indiget colore obiectiuè, non ſubiectiuè; color enim ſubiectiuè in oculo impedit viſum, obiectiuè verò iuuat ad videndum, vt in ſuo loco fusè explicabimus. Prætereà, quia anima, rationalis non poteſt ſeperari à ſenſitiua, & vegetatiua, niſi corrupto compoſito, ideò indiget corpore organico.

Obijcies tertio, definitio animæ non conuenit animæ vegetatiuæ; ergò non eſt bona Prob. antecedens, quia anima definitur actus corporis viuentis; ergò anima præſupponit vegetatiuam & conſequentèr hic non definitur anima vegetatiua.

Reſpondeo negando antecedens. Ad eius probationem dico. Ariſt. non dicere animam eſſe actum corporis viuentis actu, ſed potentia viuentis, quia ſenſus definitionis eſt, anima eſt perfe-

ctio eius corporis, quod eſt aptum viuere per ipſam animam, ſicuti cum dicitur lux eſt actus corporis lucidi, non eſt ſenſus, quod lux præſupponat corpus lucidum, ſed illud conſtituit in eſſe lucidum, ità, & anima conſtituit corpus in eſſe viuens, non præſupponit viuens.

Obijcies quartò, anima dicitur actus primus, quia poteſt ſeparari ab actu ſecundo, qui eſt operatio; ſed anima vegetatiua non poteſt ſeparari ab actu ſecundo, i à ſuis operationibus, quæ ſunt nutrire, augmentare, &c. quia ſiue animal dormiat, ſiue quidpiam aliud efficiat, ſemper anima vegetatiua operatur.

Auerroes explicans hunc tex. Ariſt. reſpondet, animam vegetatiuam in quibusdam viuentibus ſeperari à ſuis operationibus, vt in Serpentibus, Ranis, & alijs, quæ toto hyberno tempore dormiunt.

Sed Auerroes in hoc deceptus eſt, quia calor naturalis cum ſit qualitas actiua, & naturaliter agens præſente humido, ſemper agit. Ratio verò ſomni illorum animalium videtur eſſe, quia illa animalia, cum ſint temperamenti frigidi, & habeant paucum calorem, cibum tempore æſtiuo largitèr ſumptum concoquere non poſſunt, qui hyberno tempore in cauernis paulatim concoquitur, quo nutriuntur illa animalia, & quià cum habeant cutim denſam, & paucis poris præditam, vapores ab illo humore exhalari non poſſunt, inuadunt cerebrum, & ſomnum inducunt. Ad obiectionem ergò reſpondeo, licet anima vegetatiua non poſſit ſeperari à nutritione, poteſt tamèn ſeparari ab augmentatione; & ratio cur ſeparari non poſſit à nutritione, eſt primò, quia nutritio eſt ordinata ad vitam; ſecundò quia calor naturalis cum ſit agens neceſſarium præſente humido, quo paſcitur, non poteſt non agere. Prætereà omnis anima dicitur actus primus, quia eſt principium actus ſecundi; Actus ſecundus eſt operatio; ergò anima dicitur actus primus, etiam ſi aliqua anima ſit ſeparabilis à ſua operatione, & alia non ſit ſeparabilis.

Obijcies quinto, definitio animę conuenit formæ cadaueris, cum ſit forma corporis naturalis potentia vitam habentis; ergò non eſt bona, antecedens probatur; quià ex cadauere generantur vermes; ergò eſt actus corporis potentia viuentis.

Reſpon-

Reſpondeo negando antecedens, definitio n. animæ non conuenit formæ cadaueris, primò, quia non eſt perfectio corporis organici, ſecundò quia non poteſt operari per illa inſtrumenta corporis. Ad probationem antecedentis reſpondeo, quod licet ex cadauere fiant vermes, non tamèn illud cadauer eſt aptum frui vita, in quo ſenſu loquitur Ariſt. ſed ex corruptione illius fiunt vermes.

Obijcies ſexto, hæc definitio non comprehendit intelligentiam, quæ eſt anima Cæli, ergó non eſt bona.

Reſpondeo, concedo antecedens, & nego conſequentiam; primò, quia hic definitur tantùm anima, quæ eſt forma informans, non verò aſſiſtens, vt eſt intelligentia. Secundò quia anima definitur actus corporis organici; Intelligentia verò cum non ſit actus corporis organici, vt ex ſe patet, illi non poteſt conuenire definitio animæ; Cælum n. eſt corpus ſimplex, & diſtinctio, quæ apparet in partibus Cæli, quòd nimirùm aliæ ſint denſæ, aliæ raræ, aliæ magis, aliæ minùs lucidæ, eſt omninò accidentalis.

Dices, etiam anima rationalis eſt forma aſſiſtens; ergò ſi hæc definitio non conuenit intelligentiæ, nequè conuenit animæ rationali; Antecedens probatur, quia forma informans debet proportionari ſubiecto, eique commiſceri, ſed hoc non poteſt dici de anima rationali, cum ſit ſpiritualis, & ſubiectum eius materiale; ergò non eſt forma informans.

Reſpondeo negando antecedens, ad eius probationem diſtinguo maiorem, forma informans debet proportionari ſubiecto in ratione entis ſimpliciter, nego maiorē: in ratione actus & potentię concedo maiorem, ad hoc, vt n. anima rationalis ſit forma informans, non eſt neceſſe commiſceri ſubiecto, ſed ſufficit, quòd ſit intimè præſens, alitèr eſſet corporea, quod dicere falſum, ac erroneum eſt.

Dubitantur, an definitio animæ vniuocè cōueniat omni animæ, an verò analogicè. Dico cū probabiliori ſentētia definitionē animæ conuenire vniuocè omni animæ, nempè vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & rationali. Probatur, quia omnis anima eſt actus corporis organici, & dat illi eſſe, & eſt principiū operandi; ſed hoc omninò eodem modo conuenit omni animæ: ergò definitio ani-

mæ vniuocè conuenit omni animæ; dependentia verò, & aliæ differentiæ, quas habent animæ inter ſe, cum non explicentur in hac definitione non impediunt, vt hæc definitio ſit vniuoca.

Ariſt. hic lib. 2. de anima tex. 24. affert aliam definitionem animæ, quæ eſt huiuſmodi; anima eſt primum principium, quo viuimus, mouemur, ſentimus, & intelligimus.

Iſta ſecunda definitio animæ clarior eſt definitione præcedenti, eamque tradit Ariſt. vt prior magis eluceſcat, & per eam illa demonſtretur; illa n. traditur per eſſe, iſta per operari clarius eſt operari, quam eſſe.

Dicitur in definitione eſſe primum principium ad excludendas diſpoſitiones, quæ ſunt inſtrumenta, & media ſubordinata animæ; tum quia eſt prima radix, vt ſuperiùs dictum eſt.

Dicitur, quo viuimus, ſub quo vocabulo continentur tantum operationes gradus vegetatiui, non vitales abſolutè, alioquin fruſtrà ponerentur reliquæ particulæ. Dicitur quo ſentimus, ad excludendas operationes non ſenſitiuas. Dicitur quo mouemur i. motu locali progreſſiuo, volatiuo, natatiuo, & reptiuo.

Dicitur quo intelligimus ad ſignificandos proprios actus animæ rationalis.

Obijcies primò, iſta definitio conuenit Deo, cum ab omnibus dicatur per ipſum viuimus, mouemur, &c. ergò hæc definitio animæ non eſt bona.

Reſpondeo negando antecedens. Ratio diſparitatis eſt, quià Deus eſt principium extrinſecum, per quod viuimus, mouemur &c. anima verò eſt principium intrinſecum, per quod viuimus, & mouemur.

Obijcies ſecundo, hæc definitio non traditur per differentias eſſentiales, ſed accidentales, cum tradatur per operationes; ergò non eſt bona.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia more philoſophico ſufficit, vt loco eſſentialium differentiarum ponantur operationes, quæ licet ſint accidentia quoad exercitium, habent tamen connexionem per ſe ſimpliciter neceſſariam cum ſuo principio.

ARTI.

ARTICVLVS V.

Quotuplex ſit Anima.

PRima ſententia ait, animam eſſe quatruplicem, nempè vegetatiuam, ſenſitiuam, rationalem, & loco motiuam. Ità Gregorius, Aegidius, multique alij apud Authores citandos. Ratio huius ſententiæ eſt, quia tot ſunt animæ. quot ſunt differentię diuidentes animam in genere, ſed tales differentiæ ſunt quatuor, vt patet ex ſecunda definitione allata, in qua ponuntur quatuor genera operationum, ergò quatruplex eſt anima.

Secunda ſententia ait triplicem eſſe animam, nempè vegetatiuam, ſenſitiuã, & rationalem, ità Conimbricenſes lib. 2 cap. 1. q. 1. Toletus q. 6. S. Thomas, Scotus cum ſuis, multiq; alij.

Ratio huius ſententiæ eſt, quia iſta tria membra diuiſi, i. animæ, ità ſunt diſtincta, vt vnum non contineatur in alio, & omnia alia includuntur in iſtis tribus; ergò triplex ſolum eſt anima.

Dico cum ſecunda ſententia, animam eſſe triplicem, ſeu animam in communi benè diuidi in tria tantùm membra, nempè in animam vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem.

Probatur primò ex Ariſt. qui primo de partibus animalium, & 2. de gen. animal. vbi diuidens animam in communi, tria tantùm aſſignat genera animæ; ergò per Ariſt. triplex tantùm eſt anima in genere.

Probatur ſecundò cum Thomiſtis, omne viuens, vel habet principium augmentandi, & hoc conſtituit vnum membrum i. gradum vegetatiuum, vel præter hoc principium habet etiam operationes externas per organa corporea, & hoc conſtituit aliud membrum, i. gradum ſenſitiuum, vel habet etiam operationes cognoſcitiuas nullo modo receptas in organo corporeo, & conſtituit tertium gradum, i. rationalem; ſed nullum datur animatum, quod non inuoluatur in iſtis tribus membris; ergò bona eſt diuiſio animæ in communi in tria tantum membra.

Ad rationem primę ſententię. Reſpondeo negando minorem, quià

quia loco motiua non habet differentiam eſſentialiter diuerſam à ſenſitiua, cum inuoluatur in illa; loco motiua enim addit ſolùm ſenſitiuæ operationem, quæ vix poterit dici differentia accidentalis, & conſequenter tria tantùm genera animatorum debent aſſignari.

Obijcies primò, Plantæ videntur habere ſenſum, quia habent appetitum ſumendi humorem bonum, & reſpuendi noxium; ergò non benè aſſignantur tria genera animatorum. Confirmatur antecedens, quia Plato, & Stoici, Pitha: Anax. & alij communiter dicebant, plantas eſſe ſenſitiuas, & Plinius lib. 2. cap. 15. narrat quaſdam plantas tactas recedere, ſeù ſe detrahere; ergò, &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem dico, Stoicos, & alios in hoc eſſe deceptos; ad dictum Platonis dico, illa eſſe animalia, & non plantas, vt patet in Piſce oſtreca, & alijs.

Ratio huius rei eſt; quia impoſſibile eſt, ſenſum eſſe ſine motu: Tactus enim eſſe non poteſt ſine dolore, & voluptate, & cõſequenter ſine appetitu elicito: quarè debetur neceſſariò omnibus ſenſitiuis vis loco motiua ad conſequendas res conformes, & fugiendas noxias, & dolores, vt ait Ariſt. appetitus igitur ſumendi humorem in plantis refertur ad virtutem nutritiuam, & attractiuam, vt in ſuo loco dicemus.

Obijcies ſecundò, differentiæ diuidentes quodlibet genus, debent eſſe contradictoriæ, inter quas non datur medium; ſed differentiæ diuidentes animam non ſunt contradictoriæ, ergò diuiſio animæ in communi non eſt bona.

Reſpondeo negando maiorem, vniuerſaliter loquendo; quia accidens, quod diuiditur in plura prædicamenta, illa membra habent oppoſitas differentias, non tamen contradictorias; ergò poteſt etiam in diuiſione animæ dici, membra eſſe verè oppoſita, & bonam diuiſionem, etiamſi illa membra non opponantur contradictoriè.

Obijcies tertio, Ariſt. hic lib. 2. profitetur per operationes inueſtigare animatorum numerum; ſed aſſignat quatuor genera operationum: ergò, & quatuor debent eſſe genera animatorum.

Reſp.

Reſp. diſtinguendo minorem, aſſignat quatuor genera operationum, quæ explicant differentias eſſentiales, nego minorem, differentias accidentales, concedo minorem, & nego conſequentiam.

ARTICVLVS VI.

An omnis Anima ſecundum ſe ſit diuiſibilis.

PRima ſententia ait, omnem animam eſſe diuiſibilem, & extenſam ad extenſionem ſubiecti; quod etiam conuenit animæ rationali. Ita Alex. Gab. Tho. de Garbo, & omnes illi faciunt animam rationalem mortalem.

Ratio huius ſententiæ eſt, quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur; ſed materia, quæ recipit animam eſt diuiſibilis; ergò & ipſa anima eſt diuiſibilis.

Hæc ſententia eſt falſa, immò & erronea; quia quoad animam rationalem eſt de fide, quòd ſit indiuiſibilis, inextenſa, & immortalis; quoad alias verò infra videbimus.

Ad eius rationem; Reſpondeo, propoſitionem illam non eſſe vniuerſaliter veram, niſi in hoc ſenſu; qualibet res debet recipi à ſubiecto eo modo, quo ſubiectum aptum eſt recipere; ſed ſubiectum aptum eſt recipere animam diuiſibiliter, & indiuiſibiliter; ergò, &c. deinde etiam anima rationalis recipitur per modum recipientis in hoc tamen ſenſu, quia ſicuti ſubiectum habet diuerſas partes, ita & in qualibet eius parte eſt anima rationalis, ſed indiuiſibiliter.

Secunda ſententia ait, omnem animam eſſe indiuiſibilem, & totam in toto, & totam in qualibet parte. Ita Albertus primo de anima tractatu vltimo, cap. vltimo: Simplicius 2. de anima, multique alij.

Ratio huius ſententiæ eſt, quia ſi omnis anima non eſſet indiuiſibilis, aliquod corruptile poteſt perpetuari, quod eſt falſum, & contra Ariſt. primo de Cælo in fine; ergò, &c. Sequela probatur, quia præſcindatur ramus ab arbore, & plantetur, ita vt creſcat in arborem, & ab ea rurſus abſcindatur alius ramus,

qui

Digitized by Google

qui plantetur, & ſic deinceps ſemper in poſteriore arbore remaneret aliqua pars formę prioris ſicuti remanet materia,& ſic aliqua pars arboris prioris perpetuaretur ; quod eſt falſum ; ergò omnis anima eſt indiuiſibilis.

Sed hæc ſententia eſt falſa, & contra experientiàm, videmus enim in plantis, & animalibus inſectis diuiſis per medietatem ſuperuiuere ambas partes;ergò in vtraq; parte remanet anima,& cōſequentèr eſt diuiſibilis.Ad eius rationē.Reſp.negando ſequelam: ad eius probationem, Dico, ramos plantarum creſcere, & germinare, in quibus erit noua materia, & noua pars formæ. Ideò ſic deinde ſi huiuſmodi rami præſcindantur, & inſerantur, vel plantetur, non erit eadem numero arbor cum priori, ſed alia à priori diſtincta, quæ exareſcente illa prima, adhuc remanet, & viuit ſua propria animâ.

Tertia ſententia ait, animam rationalem, & animas animalium perfectiorum, vt E.G. Equi, leonis, & aliorum eſſe indiuiſibiles; animas verò animalium imperfectorum, & plantarum eſſe diuiſibiles: Itá ſanctus Thomas prima parte, q.76.art 8.Albertus primo de anima cap.vltimo, ſanctus Bonauentura, Caietanus, & alij multi.

Ratio huius ſententiæ eſt, quià Ariſt. de iuuentute, & ſenectute cap.2.& de inceſſu animalium c.5.docet, animalia perfecta diuiſa non viuere, quia in ipſis formæ ſunt magis vnæ, quàm in plantis,& inſectis; ſed non eſſent magis vnæ,niſi eſſentt indiuiſibiles; ergò animæ perfectorum animalium ſunt iudiuiſibiles. Secunda ratio eſt,ideò multi non ponunt animas perfectorum animalium indiuiſibiles,nè dicant eſſe immortales; ſed hoc non ſequitur,quia cum dependeant àmateria neceſſariò debent eſſe corruptibiles; ergò dicendum eſt,eſſe in diuiſibiles.

Sed hæc etiam ſententia eſt falſa, quia animæ animalium perfectorum educuntur de potentia materiæ, & ſunt extenſæ dependent, ſubiectantur in materia,ſicuti animæ imperfectorum animalium;ergò ſi animæ imperfectorum ſunt diuiſibiles,etiam perfectorum ſunt diuiſibiles.

Ad rationem huius ſententiæ; Reſpondeo, Ariſt.tùm in locis ſupracitatis, tum etiam alijs, negat, animas imperfectorum ani-

malium

maliū eſſe vnas; quibus in locis docuerat, animas imperfectorum animalium eſſe vnas actu, & plures potentiâ; quia manere poſſunt in partibus diuiſis; animas vero perfectorum animalium eſſe, inquit, vnas actu, & potentiâ, quia non poſſunt manere in partibus diuiſis, hinc tamen non ſequitur, has animas non eſſe diuiſibiles.

Ad ſecundam rationem huius ſententiæ; Reſpondeo negando minorem, quia indiuiſibilitas, & dependentia à ſubiecto materiali, & quanto, non poſſunt conuenire rebus naturaliter, illud enim, quod dependet, neceſſariò educitur de potentia materiæ, conſequenter debet habere partes, & eſſe diuiſibile.

Quarta ſententia ait, omnem animam præter rationalem eſſe æque diuiſibilem, & extenſam ad extenſionem ſubiecti; Ita Scotus in 4. diſt. 44. q. 1. cum ſuis. Durandus in primo, *diſtin.* 8. Aegidius multique alij. Ratio huius ſententiæ eſt, quia eſſe diuiſibile deſumitur ab eductione materiæ; ſed omnis anima præter rationalem educitur de potentia materiæ; ergò omnis anima eſt diuiſibilis præter rationalem.

Dico cum hac 4. ſententia, omnem animam præter rationalem eſſe æque diuiſibilem; Quoad animam rationalem eſt de fide quòd ſit indiuiſibilis, & infra ratione probabimus.

Quoad alias animas, probatur eſſe diuiſibiles, primo ex Ariſt. qui lib. de anima, tex. 68. ait, plantarum, & animalium multa diuiſa viuere, & videntur habere eandem animam; & in lib. de gen. animal. ait primò generari cor, deinde generari cætera membra; ſi generatio animalis eſt partibilis neceſſariò; ergò etiam anima eius eſt partibilis; idem docet 2. de anima, multiſque alijs locis.

Probatur 2. ratione, præſertim de animalibus perfectis, in quibus eſt maxima difficultas; omnes iſtæ animæ ita educuntur de potentia materiæ extenſæ, vt conſequenter in ea ſubiectentur, & dependeant in eſſe, ſicuti cæteræ formæ materiales; ergò debent eſſe diuiſibiles ſecundùm diuiſibilitatem ſubiecti; Antecedens eſt certum apud omnes, conſequentia probatur, quia naturaliter nulla forma materialis dependens in eſſe à ſubiecto ſuſtentante poteſt tranſire de ſubiecto in ſubiectum; ſed ſi animæ

materiales perfectorum animalium eſſent indiuiſibiles,deberent tranſire de ſubiecto in ſubiectum, quia quando Equus E.G. nutritur,pars carnis per nutritionem genita,debet de nouo animari; ergò ſi anima ſit indiuiſibilis, non poteſt produci pars animę ex illa parte carnis, ſed debet anima exiſtens in carne tranſire ad informandam nouam particulam carnis, quod eſt tranſire de ſubiecto in ſubiectum.

Dices,non eſt abſurdum,quod anima perfectorum animalium tranſeat ad informandam partem de nouo aduenientem, dummodò non relinquat partem, quam prius informabat,ſicuti de facto facit anima rationalis; ergò poteſt in hoc ſenſu tranſire de ſubiecto in ſubiectum, & conſequenter eſt indiuiſibilis.

Sed contra eſt primo, quia hoc idem dici poterat de anima imperfectorum animalium, & ſic nulla anima eſſet diuiſibilis.

2. Contra eſt, quia idem eſt educi, ſuſtentari, & informare etiam per Aduerſarios; ſed anima non educitur, & ſuſtentatur ab illa parte carnis, quæ de nouo producitur; ergò neque poteſt illam informare.

Contra eſt 3. quia anima rationalis tranſit ad informandam partem de nouo aduenientem, non relinquendo priorem,quia nullo modo dependet à ſubiecto ſuſtentante, vnde poteſt etiam ſeparata exiſtere,quod dici non poteſt de vlla alia anima.

Probatur 3. noſtra concluſio, quia id quod producit animam materialem eſt virtus formatiua ſeminis,quæ eſt extenſa;ergò & anima debet eſſe extenſa, & diuiſibilis; alioquin imperfectius produceret aliquod perfectius,quod eſt falſum.

Obijcies pro prima ſententia, multa capita præſciſa à corpore,loqui,& moueri viſa ſunt; vt teſtatur S.Chryſoſtomus de cap. D.Pauli, & multi Auctores teſtantur, capita multorum abſciſa à corpore, per aliquot paſſus corpora progredi videbantur; ſed niſi anima hominis eſſet diuiſibilis, hoc fieri non poſſit, ergò, &c.

Reſp. quoad caput Diui Pauli fuit miraculosè; quoad alia verò ab Auctoribus allata eſſe fabuloſa, quia abſciſo capite, neque corpus moueri poteſt, neque caput loqui, niſi miraculosè, vt dicitur de corpore ſancti Dionyſij Areopagitæ, quod

caput

caput ſuum abſciſum in manutenens, per multum ſpatium progreſſum fuit.

Obijcies primò pro 2. ſententia, ſi omnis anima nō eſſet diuiſibilis, deberet ſemper in mutatione produci noua pars animæ; conſequens eſt falſum: ergò & antecedens: probatur minor, quia nunquam eſſet idem animal, cum ſemper mutaretur tàm ſecundum materiam, quàm ſecundum formam.

Reſp. negando minorem. Ad eius probationem dico, eſſe idem numero animal in principio, & fine vitæ propter partes primigenias, quæ ſemper manent, etiamſi aliæ de nouo aduenient, & aliæ corrumpantur; ſicuti cum reſtauratur domus, dicitur, manere eadem, ſi permaneant partes principales.

Obijcies 3. ſi animæ nō eſſent indiuiſibiles, ſed producerentur partes animæ ad productionem nouæ partis, animantia creſcere poterant in infinitum, ſicuti creſcunt elementa; ſed hoc eſt falſum; ergò omnis anima eſt diuiſibilis.

Reſp. negando ſequelam maioris, quia animantia habent certum, & determinatum terminum ſuæ magnitudinis, vltra quem non creſcunt, qui terminus habetur à peculiari indiuiduatione talis formæ, talis materiæ, & aliarum diſpoſitionum, propter commodam conſeruationem partium viuentis.

Obi. primò pro 3. ſententia, ex diuiſione animalis colligitur diuiſibilitas eius animæ; ſed vt patet experientiâ partes animalium perfectorum diuiſæ nullo modo ſuperuiuunt, vt patet ſi abſcindatur crus Equi, non mouetur, quod eſt ſignum vitæ; ergò ſunt indiuiſibiles. Probatur minor, quia ſi ſuperuiuerent, mouerentur, ſicuti mouentur partes viperæ abſciſæ; ſed non mouentur; ergò non ſuperuiuunt.

Reſp. tranſeat maior, & negò minorem. Ad eius probationem nego ſequelam maioris; partes enim perfectorum animalium abſciſæ per aliquod temporis ſpatium ſuperuiuunt, quandiù nimirùm durant debitæ diſpoſitiones, & non mouentur, non propter defectum animæ, ſed aliorum requiſitorum; adhoc enim; vt in animalibus perfectis moueatur aliqua pars, requiritur primò imaginatio, quæ reſidet in capite; 2. appetitus. 3. ſpiritus animales, qui à cerebro per neruos perpetuò fluunt, ad effi-

ciendum ſenſum, & motum; quo fluxu ſpirituum impedito, ad aliquam partem,non poteſt pars illa moueri, licet maneat animata, vt patet, cum aliquod membrum corporis in nobis obdormeſcit, illud vix poſſumus mouere propter defectum fluxus ſpirituum, vt in ſuo loco fusè explicabimus.

Obi. 2. ſi anima Equi eſſet diuiſibilis, eſſet maior in maiori Equo; ſed hoc eſt falſum; ergò non eſt diuiſibilis. Probatur minor, quia ſi maior Equus haberet maiorem animam, eſſet validior, & perfectior, quàm minor; ſed hoc eſt falſum, vt patet experientiâ, cum aliquando contrarium contingat; ergò, &c.

Reſp. negando minorem. Ad eius probationem nego ſequelam maioris, quia perfectio non prouenit ex magnitudine animæ, ſed ex perfectiori temperamento, & proportione membrorum, atque qualitate rerum naturalium,quæ relictæ ſunt à generatione animalis.

Obi. 3. ſi anima Equi eſſet diuiſibilis, ſequeretur, quòd percuſſo pede Equi, non deberet totus Equus ſentire, & præcipuè partes diſtantes, vt eſt caput; ſed caput ſentit dolorem pedis; ergò eſt indiuiſibilis.

Reſp. negando ſequelam maioris, quia ſufficit vnitas animæ, & coniunctio membrorum, vt læſo pede, caput etiam ſentiat dolorem; vndè iuxta hanc rationem Aduerſariorum, neque animæ animalium imperfectorum eſſent diuiſibiles, quia etiam in vipera E. G. percuſſa cauda, ſentit caput dolorem, ideò fugit.

QVAE:

Digitized by Google

QVAESTIO SECVNDA

De Anima in ordine ad ſubiectum totale.

ARTICVLVS I.

An dentur formæ partiales.

QVæritur in hoc art. an quemadmodum in diuerſis partibus corporis, vt in carne, oſſe, ſanguine, & alijs, ſint diuerſæ complexiones accidentium, quod patet ſenſui, ità & in ſingulis eſſe debeant propriæ quædam formæ ſubſtantiales, quæ conſtituant diuerſas partes, vndè dictæ ſunt formæ partiales; An verò non ſit alia forma in quolibet viuente præter animam.

Prima ſententia ait, præter animam, non dari formas ſubſtantiales partiales, quæ anima licet ſit vna, eſt tamen virtualitèr multiplex, & ideò pro varietate diſpoſitionum, quæ eſt in materia tribuit diuerſa eſſe carnis, oſſis, & aliarum partium; ſimilitèr vires, & diuerſas operationes. Ita S.Thom. p.1.q. 86. Ariſt. 3. Ægidius in 2.diſt. 18. Capreolus in 2.diſt. 15.q.5. Caietanus p.1. 76. Suarez diſp. 15. multique alij.

Ratio huius ſententiæ eſt, quia plures formæ ſubſtantiales ſimul in vna materia ſunt incompoſſibiles; ergò non dantur.

Probatur antecedens, quiâ in tantùm duo contraria non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, in quantùm vnum illorum explet capacitatem materiæ; ſed quælibet forma ſubſtantialis explet totam capacitatem materiæ; ergò non dantur aliæ formæ. Probatur minor, quia forma terræ eſt imperfectiſſima omnium, explet tamen totalitèr capacitatem materiæ; ergò multò magis aliæ formæ.

Secunda ſententia ait, dari plures formas ſubſtantiales partiales, ità Scotus in 4. diſt. 21. q. 3. Zabbarella 1. de generatione, Auicenna, Gal. multique alij.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ratio huius ſententiæ eſt,quia patet ſenſui,dari tales formas: videmus n. poſt mortem remanere eandem numero carnem, oſſa & alias; ergò dantur formæ partiales, ea conſtituentes.

Dico,in quolibet corpore organico pręter animã dari formas partiales ſubſtantiales,quę conſtituant diuerſas partes corporis.

Probatur, Corpus humanum acceptum pro aliqua parte ſubſtantiali,quæ eſt in homine præter animam eſt quid ſubſtantiale, & non totus homo; ergò præter materiam, & animam dantur formæ ſubſtantiales partiales,quæ conſtituunt illud in eſſe ſubſtantiali.

Probatur 2. experientia, primò quia videmus formam carnis, formam oſſis, ſanguinis, & aliarum partium in Embrione ante animationem,quò magis accedunt ad inſtans animationis, magis pęrfici;ergò ſignum eſt eas requiri ad animationem, & animam.

Secundò videmus in corpore humano, tàm diuerſas diſpoſitiones, & operationes etiam contrarias in diuerſis partibus; ergò debent dari diuerſæ formæ ſubſtantiales, quæ exigunt iſtas diuerſas diſpoſitiones.

Confirmatur ex Ariſt. 2. met. tex.8. vbi ait, animam eſſe talem ſubſtantiam, vt eius ſubiectum ſint plura entia in actu; ergò per Ariſt. dantur formæ ſubſtantiales partiales, quæ ante animam conſtituunt ens in actu.

Ad rationem primæ ſententiæ; Reſp. diſtinguendo antecedens, plures formæ ſubſtantiales, quæ non ſubordinantur ſunt incompoſſibiles, concedo antecedens, quę ſubordinantur, nego antecedens, & conſequentiam. Ad probationem nego minorem, quia non ex eo, quod aliqua forma ſit perfectior, vel imperfectior, explet, vel non explet capacitatem materiæ; ſed ex eo, quòd ſint ſubordinatæ,vel non ſint ſubordinatæ; forma enim terrę explet totam capacitatem materię, quia non eſt ſubordinata alteri formæ; at verò formæ partiales E.G. carnis, oſſis, & aliorum ſunt ſubordinatæ,tanquàm diſpoſitiones, & partialia ſubiecta ad animam, ideòque non explent capacitatem materiæ.

Obi. primò, fruſtrà, & ſine fundamento multiplicantur iſtæ for-

rmæ partiales; ergò non ſunt admittendæ; probatur antece-ns;quia nullum certum fundamentum, & indicium habemus; ;ò fruſtrà ponuntur.

Reſp. negando antecedens. Ad eius probationem dico, dens eſſe indicium à ſenſibus, qui non ſunt relinquendi pro-:r incertam rationem, & licèt falli poſſint circa indiuidua, ı diſcernendo E. G. inter duo oua ſimilia, an ſint idem in cumſtantijs: De formis tamen partialibus non poſſunt fal-quia manutenemus, & inuariatum videmus corpus præſens e, & poſt animationem, & ſunt neceſſaria, vt ſint diſpoſi-ıes materiæ, ſubiectum partiale animæ ſint organa ad ope-ones, & ſpiritus producendos, & formas ad conſtituendum pus formaliter.

)bijc. 2. primæ qualitates ſufficiunt ad generandos ſpiritus ı vitales, quàm animales; ergò fruſtrà admittuntur formæ :iales ſubſtantiales.

.eſp. negando antecedens, quia ſpiritus in ſui productione, onſeruatione requirunt tale temperamentum calidi cum ido, quale temperamentum ſine formis partialibus eſſe non ſt, quia licet ex ſe Formæ ipſæ ſint frigidæ, vt patet poſt tem, coniunctæ tamen animæ, quomodò ſunt principia ſpi-ım, exigunt temperamentum primarum qualitatum maxi-ıroportionatum ad ſpiritus procreandos; Vndè ad ſpiritus es calidiores eſt forma cordis, quæ calidius exigit tempe-:ntum; ad ſpiritus verò animales eſt forma cerebri ali-ıtò frigidior, ad quod non ſufficit anima cum complexio-:cidentium, vt colligitur à poſteriori.

ɔijc. 3. diuerſitatem complexionum accidentium ſufficit alis heterogeneitas animæ; ergò non ſunt neceſſariæ for-ıartiales.

ſpond. negando antecedens, quia in fieri non eſt anima, do producuntur diuerſa temperamenta in diuerſis parti-:um ſint diſpoſitiones ad animam; tùnc ergò debent habe-ud principium intrinſecum, quod eſt forma carnis, forma & aliorum. Neque ſufficit ad conſeruari, quia manen-quandò anima eſt impoſſibile, quod non poſſit variari

tempe-

temperamentum, atque ita etiam in conſeruari debent dependere à formis partialibus.

Obijc.4. ſi darentur formæ partiales, anima eſſet propriè accidens; conſequens eſt falſum; ergò & antecedens. Probatur ſequela, quia illud, quod aduenit rei in ſuo eſſe conſtituto eſt accidens; ſed anima ita ſe haberet, ſi darentur formæ partiales: ergò eſſet accidens.

Reſp. negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo maiorem, quod aduenit rei in ſuo eſſe conſtituto, ideſt in actu ſimpliciter completo, concedo maiorem, in actu incompleto, nego maiorem; eodem modo diſtinguenda eſt minor, & neganda conſequentia, quia licèt materia cum forma partiali ſit aliquid completum, non tamen vltimò, cum ſit vlteriùs perfectibile; materia verò cum anima ita eſt completum, vt vlterius compleri non poſſit.

Obijc. 5. ſi darentur formæ partiales, nullum viuens eſſet vnum per ſe; ergò non dantur. Probatur antecedens, quia vnitas deſumitur à forma; ergò ſi ſint plures formæ non poteſt eſſe vnum per ſe.

Reſp. negando ſequelam. Ad eius probationem diſtinguo antecedens, vnitas deſumitur ex forma vltima, concedo antecedens, à non vltima, nego antecedens, & conſequentiam.

Obijc. 6. Ariſt. 5. phyſ. tex. 2. ait, generatio eſt mutatio ex non ſubiecto in ſubiectum; quod non eſſet verum, ſi darentur formæ partiales, ergò non dantur.

Reſp. ad locum Ariſt. etiam poſitis formis partialibus, generatio E. G. hominis eſt ex non ſubiecto denominationis ad ſubiectum denominationis, vt diximus in primo de generatione.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

An in vno corpore vna tantum ſit Anima, an verò plures realiter diſtinctæ.

PRima ſententia ait, in vno corpore vnã tãtum eſſe animam, virtualiter continẽtem alias, quæ ſola præſtat, quidquid illæ aliæ poſſunt. Hæc ſententia eſt S.Tho.p.p.q.70.art.3. *Scoti in 4. diſtinct.*11.q.3. Suarez diſp.15.meta, aliorumque recent; qui afferunt varias rationes, & auctoritates Ariſt. ad probandam hanc ſententiam.

Prima ratio eorum eſt, ſi in homine eſſent plures animæ homo non eſſet vnum ens; conſequens eſt falſum; ergò & antecedens. Probatur ſequela, formæ, quæ dant eſſe, dant etiam vnitatem; ergò vbi ſunt plures formę, ideſt, animæ, ſunt plura eſſe, & plures vnitates.

2. ratio eſt, quia prædicata eſſentialia ſumuntur ab eâdem forma, & non à diuerſis; ergò ſi homo per vnam formam, ideſt per vnam animam eſſet animal, & per aliam rationalis, Hæc prædicatio, homo eſt animal rationale, non eſſet de eſſentia hominis, cum ſumeretur à diuerſis formis, vt homo eſt corpus, homo eſt albus, coloratus, &c.

3. ratio eſt, quia operationes animæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & rationalis, ſe inuicem impediunt; ergò ſignum eſt, quòd oriuntur ab vno, eodemque principio. Probatur antecedens, quia ſi quis ſit nimis Intentus in aliqua re, E.G. in nimia ſpeculatione, non poteſt percipere ea, quæ ſenſibus obijciuntur; Si ergò illæ operationes non prouenirent ab vno, eodemque principio, ſe inuicem impedire non poſſent, cum quælibet anima attendere poſſet ad ſuas operationes; ſed quia illlud principium eſt in vna operatione occupatum, atque intentum, alteri operationi deficit, & iſtæ tres rationes ſunt S.Tho. loco ſupracit.

4. ratio eſt, ſi anima ſenſitiua eſſet diſtincta ab intellectiua, hæc prædicatio, homo eſt animal, non eſſet bona; conſequens

D eſt

eſt falſum; ergò & antecedens. Probatur ſequela, quia homo eſt homo per animam rationalem, & eſſet animal per animam ſenſitiuam; ſicuti ergò non eſt verum dicere, anima ſenſitiua eſt anima intellectiua, ita non eſſet verum dicere, homo eſt animal, cum forma hominis eſſet realiter diſtincta, & ſpecie diuerſa à forma animalis in eodem homine.

5. ratio eſt, quia ſi in homine anima ſenſitiua eſſet diſtincta à rationali, Peto, illa anima ſenſitiua eſt nè rationalis, an irrationalis? Non poteſt dici primum, quia in vno eodem homine eſſent duæ animæ rationales, quod eſt erroneum, neque poteſt dici ſecundum, quia homo eſſet rationalis, & irrationalis; per animam enim rationalem eſſet rationalis, & per ſenſitiuam irrationalis.

6. ratio eſt, quia ſi anima ſenſitiua eſſet realiter diſtincta à rationali, diuiſio animalis in rationale, & irrationale non eſſet bona; quia vnum membrum diuiſi contineretur in alio, ideſt in homine eſſet vtrumque, nempè rationale, & irrationale; ſed hoc non poteſt dici; ergò anima ſenſitiua non eſt realiter diſtincta à rationali.

Prima auctoritas Ariſt. eſt in fin. 1. lib. de anima, vbi ait, ſi in animali ſint plures animæ, quomodò eſt vnum, & quis illas vnit; Ergo ſecundum Ariſt. in vno corpore non poſſunt eſſe plures animæ.

2. auctoritas eſt, Ariſt. loco ſupracitato, vbi reprehendit Platonem, qui ponebat plures animas in eodem corpore, ſi alia eſt, inquit, idea animalis, & alia bipedis, non poſſet homo eſſe vnum animal bipes; ergò &c.

3. auctoritas, Ariſt. 1. de anima tex. 31. ait, animas ſe habere, ſicuti numeros, & figuras, in quibus, quod eſt prius, continetur in poſteriori; ita etiam in animalibus vegetatiua continetur in ſenſitiua, & vtraque in rationali; ergò ſi intellectiua poſſit præſtare quicquid illæ duæ poſſunt, fruſtrà ponuntur realiter diſtinctæ.

4. auctoritas eſt in principio libri de iuuentute, & ſenectute, vbi particulam animæ, per quam viuimus, & ſentimus eſſe eandem rem nnmero ait differre ſolùm ſecundùm rationem.

Se-

Secunda ſententia ait, in vno, eodemque corpore eſſe plures animas realiter diſtinctas, E.G. in homine eſſe animam vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, realiter diſtinctas, & prius, inquit, educi vegetatiuam, deindè ſenſetiuam, vltimò aduenire rationalem, creatam à Deo, & vegetatiuam perfici à ſenſitiua, & ſenſitiuam à rationali. Hæc ſentedtia eſt Philo. in principio 3. lib. de anima, vbi reprehendit Plutar. qui ponebat vnam tantùm animam. Temiſ. 3. de anima in digreſſione de intellectu agente. Auer. in 2. coll. Eiuſdem ſententiæ eſt Occa, vir grauis in Theologia in 2. colli. Mirandolanus in oqere de verſione ſingularis certaminis, qui ait, contrarium tenere, ſtultum, & ignarum eſt. Ita Plato, Cardanus, multique alij viri graues, ac ingenioſi; qui varijs auctoritatibus Ariſt. & rationibus probat ſua m ſentētiā.

Prima Auctoritas Ariſt. eſt lib. 2. de gen. animal. cap. 3. vbi ait in fœtum animam vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem non introduci ſimùl, ſed in progreſſu temporis, & primò, inquit, induci vegetatiuam, per quam eſt viuens, deinde ſenſitiuam, per quā eſt animal; poſtremò rationalē, per quam eſt homo.

2. auctoritas in eodem lib. 2. & etiam 3. docet Ariſt. primum in homine generari cor, & viuere, deinde progreſſu temporis generari alia membra; ergò in homine datur anima vegetatiua, per quam cor priùs viuit ſine anima rationali; anima enim rationalis non poteſt eſſe in homine, niſi formato corpore, & conſequenter in homine ſunt tres animæ diuerſæ, & diſtinctæ realiter.

3. auctoritas eſt, Ariſt. in 2. de anima tex. 21. vbi ait cæteras animas eſſe actus corporis; ſed illam animam, quæ eſt ſeparabilis, non eſſe actum corporis; ergò anima vegetatiua, & ſenſitiua ſunt actus corporis; anima verò rationalis cum ſit ſeparabilis à corpore, non eſt actus corporis; ergò ſunt plures animæ realiter diſtinctæ.

4. auctoritas eſt ex 12. met. vbi ait, corruptibile, & incorruptibile differre plùſquam genere; ſed anima vegetatiua, & ſenſitina ſunt corruptibiles, & rationalis incorruptibilis; ergò ſunt diuerſæ, & realiter diſtinctæ.

Prima ratio huius ſententiæ eſt, oſſa habent animam vegetatiuam, quâ viuunt, nutriuntur, & augmentantur; ſed oſſa non habent animam ſenſitiuam,& rationalem; ergò in homines ſunt tres animæ realiter diſtinctæ. Probatur, oſſa non ſentiunt, vt experientiâ patet; ergò non habent animam ſenſitiuam, & conſequenter neque rationalem.

Reſpondent ad hoc Auctores primæ ſententiæ, oſſa habent animam ſenſitiuam,etiamſi non ſentiant.

Sed iſta reſponſio non valet inquit ſecunda ſententia, quia poſſita cauſa formali neceſſario debet poni effectus formalis; ergò ſi oſſa haberent animam ſenſitiuam, haberent etiam operationes ſenſitiuas; quia non poteſt cognoſci aliquid eſſe animatum,niſi per operationes animatas;ſed oſſa nullam habent operationem ſenſitiuam; ergò neque habent animam ſenſitiuam,& conſequenter neque rationalem.

Confirmatur hoc ex Ariſt.qui 3.de anima ait oſſa non habere animam ſenſitiuam, quia ſunt terrea, & conuenientia cum natura plantarum.

Secunda ratio eſt, ſentire eſt operatio materialis; ergó debet recipi in anima ſunſitiua; ſed hæc anima ſenſitiua, non eſt rationalis, cum rationalis ſit ſpiritualis; ergò debet eſſe alia realiter diſtincta à rationali: probatur minor, quia ſi anima ſenſitina non eſſet realiter diſtincta à rationali, & operatio ſenſitiua reciperetur in anima rationali, ſentire eſſet operatio ſpiritualis, quia nullum materiale recipi poteſt in aliquo ſpirituale; ſed abſurdum eſt dicere, ſentire eſt operatio ſpiritualis; ergò debet concedi in homine animam ſenſitiuam realiter diſtinctam à rationale, in qua recipiatur operatio ſenſitiua.

Tertia ratio eſt, oppoſitæ proprietates, ſeu oppoſita prædicata eſſentialia non poſſunt prouenire ab vno, eodemque principio; ſed proprietates animæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & rationalis ſunt oppoſitæ; ergò non poſſunt prouenire ab eodem principio. Probatur minor proprietates animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ ſunt educi de potentia materiæ; animæ rationalis eſt creari ex nihilo, vegetatiuæ, & ſenſitiuæ produci ab agente naturali; animæ rationalis creari à Deo; vegetatiuæ, & ſenſitiuæ eſt

eſſe

eſſe extenſas; animæ rationalis non eſſe extenſam; vegetatiuæ, & ſenſitiuæ eſſe inſeparabiles; animæ rationalis eſſe ſeparabilem; vegitatiuæ, & ſenſitiuæ eſſe corruptibiles, animæ rationalis eſſe incorruptibilem; ergò impoſſibile eſt; quòd prouenire poſſint ab eodem principio, ideſt ab eadem anima; conſequenter concedi debent in homine plures animæ realiter deſtinctæ.

Confirmatur ex Ariſt. qui ait corruptibile, & incorruptibile differre pluſquam genere; ergò in vno non poſſunt coaleſcere, & ſi non poſſint contineri ſub vno genere, multo minus contineri poſſunt in vna ſubſtantia.

Reſpondent Auctores primæ ſententiæ ad hanc tertiam rationem, animam ſenſitiuam in homine non eſſe eiuſdem ratio-tionis cum anima ſenſitiua equi, E. G. ideò illi non conueniunt allatæ propriteates.

Sed iſti male dicunt, inquiunt Auctores ſecundæ ſententiæ; quia gradus ſenſitiuus apud omnes Philoſophos eſt vniuocus, & eſt genus vniuocum; ergò debet omnino, eodem modo conuenire homini, & equo, aliјſque omnibus animalibus, aliter genus animalis eſſet æquiuocum, vel ſaltem analogũ quod eſt falſum.

Quarta ratio eſt, in homine ſunt ſimul, & ſemel contrarij motus circa idem obiectum; ergò non poſſunt prouenire ab eadem anima. Probatur antecedens, quia in homine videntur circa voluptatẽ duo motus contrarij, vnus animæ ſenſitiuæ, qui incitat ad voluptatem, alter animæ rationalis, qui repugnat voluptati; ſed hæc pugna non poteſt prouenire ab vno eodemque principio; ergo debent dari plures animæ realiter diſtinctæ, à quibus proueniant iſti motus pugnantes inter ſe.

Quinta ratio eſt, quia anima rationalis priùs habet ſuam exiſtentiam, quàm vniatur corpori; patet hoc primo ex Ariſt. qui ſecundo de genere animalium cap. 3. hoc inquit diſcrimen eſt inter tres animas, quia intellectiua extrinſecùs aduenit, reliquæ verò educuntur ex ſemine; patet etiam ratione, quia aliud eſt creari, & aliud vniri materiæ; priùs enim eſt rem eſſe in ſe, quàm eſſe in alio; ergò anima rationalis habet priùs ſuum eſſe, quàm eſſe in corpore. hoc poſito, ſic argumentor, in illo priori anima

ratio-

Digitized by Google

rationalis, vel habet ſibi identificatam animam ſenſitiuam, & vegetatiuam, vel non habet; non poteſt dici primum, quia in illo priori anima per ſe exiſtit, & eſt aliquod ſpirituale independens à materia; ergò non poteſt eſſe identificata cum illis, alioquin illæ etiam eſſent ſpirituales, & independentes á materia, quod eſt falſum, quia de eſſentia animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ eſt, vt educantur, & dependeant à materia. Si dicant ſecundum; ergò anima rationalis præſupponit animam vegetatiuam, & ſenſitiuam, & conſequenter eſt ab illis realiter diſtincta. Si illi adueniant ſunt etiam ab illa realiter diſtinctæ; ergò, &c.

Auctores huius 2. ſententiæ reſpōdent ad rationes primę ſententiæ, & primo ad primā negando ſequelā, ad eius probationē diſtingunt antecedens, forma, quæ dat eſſe, dat & vnitatē ſecundū ſuum gradū concedo antecedēs, ſecundū diuerſū gradū nego antecedens & conſequentiā, quia vnaquæque forma dat eſſe, & vnitatem ſecundùm ſuū gradū; vltima tamen forma, quæ principaliter à natura intenditur, dat eſſe ſpecificum & completum, ad quam formam omnes aliæ referuntur; ſicuti numerus ternarius, licet habeat in ſe multas vnitates tamen dicitur vnus numerus propter vltimam vnitatem, quæ dat illi eſſe talem numerum, ideſt ternarium. Vndè homo dicitur vnum ens, & vnus homo ab vltima forma, nempè anima rationali.

Ad 2. rationem reſpondent diſtinguendo antecedens prædicata eſſentialia ſumuntur ab vna eademque forma, & non à diuerſis, ſi illæ non ſint ſubordinatæ alijs formis, concedo antecedens, ſi ſint ſubordinatæ, nego antecedens, & conſequentiam: nam anima vegetatiua, & ſenſitiua cum ſubordinentur intellectiuæ, prædicata eſſentialia in homine ſumuntur à diuerſis formis ſubordinatis.

Ad 3. rationem, Reſpondent negando conſequentiam: Ad eius probationē dicunt propter duplicem rationem vna operatio impeditur ab alia, primò propter mutuam dependentiam, & connexionem quam habet vna anima cum alia; vnde ſicuti deficiente vna in eſſe, altera etiam deficit, ita etiam in operando. Altera ratio eſt, quia omnes vtuntur eodem inſtrumento

ento, nempè ſpiritibus, & calore naturali, quod inſtrumen-
m cum ſit occupatum ab vno, alteri inſeruire non poteſt.

Ad 4. rationem, Reſpondent: pro homine intelligimus to-
m illud aggregatum; deindè pro animali aliquando intelli-
tur anima ſenſitiua, & in hoc ſenſu acceptum non poteſt præ-
:ari de homine, cum ſit pars hominis Aliquando intelligi-
r anima ſenſitiua cum potentia ad intellectiuam, vt ab ea per-
itur, & ſpecificatur; & ſic acceptum habet rationem totius,
poteſt de homine prædicari, qua ratione eſt vera propoſitio,
mo eſt animal.

Ad 5. rationem, reſpondent animam illam ſenſitiuam non
: rationalem, neque eſſe abſurdum, hominem dici rationalem
pectu vnius formæ, & irrationalem reſpectu alterius; Immò
: abſurdum reperitur in oppoſita ſententia, quia reſpectu eiuſ-
n formæ. Ideſt animæ rationalis diceretur homo rationalis,
rrationalis.

Ad 6. rationem reſpond. negando ſequelam, quia illa regula
iſionis debet intelligi de diuiſione, quæ traditur per vltimas
erentias conſtituentes diuerſas ſpecies; at verò in homine
onali non eſt vltima differentia, cum non conſtituat diuer-
ı ſpeciem, ideoque rationale, & irrationale poſſunt eſſe ſi-
l, ſine vllo abſurdo.

Ad primam auctoritatem Ariſt. Reſpondent Ariſt. ibi argu-
ıtari contra Platonem, qui ponebat plures animas in eodem
pore, ſed locis diſtinctas, quarum vna dicebat non eſt, vbi
:ltera.

d 2. auctoritatem, ſimiliter reſpondent, Ariſt. ibi ſi alia eſt
ıit, idea animalis, & alia bipedis homo non eſſet animal
s, quia Plato dicebat, ideam animalis, & ideam bipedis
ſſe diuerſas, & diſtinctas vt vna non ſubordinatur alteri,
argumenta non habent locum in noſtra ſententia, in qua
mus tres illas animas eſſe ſubordinatas.

d 3. auctoritatem reſpondent: Ariſtotelem ibi explicare,
:riorem, & perfectiorem animam continere ideſt præſup-
:re priorem, vt ipſemet Ariſt. explicat in fine illius tex. non
l alio modo contineat.

Ad

Ad 4. reſpondent Ariſt. ibi loqui de corde, quòd per ipſum eſt principium vitæ, vt patet ex ipſo textu; non verò de anima.

Dices vos explicantes definitionem animæ dicitis omnem animam eſſe actum corporis, & in prima probatione auctoritate 3. Ariſt. animam rationalem non eſſe actum corporis; ergò contradicitis.

Reſpondent negando conſequentiam, quia anima rationalis dicitur actus corporis organici præſuppoſitiuè, ideſt anima rationalis præſupponit corpus organicum, quòd cum anima vegetatiua, & ſenſitiua habet rationem potentiæ ad animam rationalem, quia anima rationalis non poteſt vniri corpori niſi ſit organiſatum, vt ſuperiùs diximus, & dum dicimus cum Ariſt. auctoritate 3. animam ſeparabilem à corpore non eſſe actum corporis. Dicimus animam rationalem non dependere à corpore organico, cum ab illo ſeparari, & ſine illo exiſtere poſſit; anima verò vegetatiua, & ſenſitiua ſeparari non poſſunt à corpore ſine earum corruptione.

S. Thomas in p. par. quæſt. 78. art. 3. & in 2. contra Gentes cap. 89. primò impugnat opinionem, dicentem operationes, quæ cernuntur in fœtu non prouenire ab anima vegetatiua exiſtente in fœtu, ſed ab anima exiſtente in matre.

Secundo impugnat opinionem dicentium priùs in fœtu educi animam vegetatiuam; quæ cum perficitur euadit ſenſitiua, poſtremo verò cum adhuc perficitur euadit rationalis.

Tertio reſpondet ad ſententiam ponentem in homine tres animas realiter diſtinctas; certum eſſe inquit priùs in homine induci animam vegetatiuam, deinde ſenſitiuam; vltimo rationalem, ſed adueniente ſenſitiua corrumpitur vegetatiua, & adueniente rationali, corrumpitur ſenſitiua, & ſic in homine remanet ſola anima rationalis.

Dico primo ſententiam ponentem tres animas in homine realiter diſtinctas Philoſophicè loquendo habere magnam vim, & probabilitatem, videtur tamen in ordine ad Theologiam repugnare; nam concilium octauum generale, quod eſt conſtantinopolitanum quartum actione 10. Cano. 11. damnat ſententiam ponentem plures animas realiter diſtinctas in homine, &

Patres Sancti communiter vnam animam eſſe aſſerunt in homine; Vnde hiſce temporibus apud Theologos hæc ſententia ferè pro erronea habetur.

Pro intelligentia noſtræ ſententiæ, ſciendum eſt animam rationalem eſſe vnam ſimpliciſſimam entitatem realiter indiuiſibilem, quæ virtualiter continet tres gradus virtualiter diſtinctos, nempè vegetatiuum ſenſitiuum, & rationalem; Dum igitur in quolibet loco huius operis dico animam vegetatiuam, vel ſenſitiuam eſſe actu in homine, intelligo gradum illum vegetatiuum, & ſenſitiuum virtualiter diſtinctos.

Dico 2. in homine vnam tantum eſſe animam rationalem, quæ virtualiter continet vegetatiuam, & ſenſitiuam. Pro probatione huius concluſionis ſunt omnes auctoritates Ariſt. & rationes à prima ſententia allatæ, quæ probant vnam tantùm eſſe animam in homine.

Dico 3. in fœtu priùs generari animam vegetatiuam, deinde, ſenſitiuam, poſtremo animã rationalem creari à Deo, qua aduen iente deſinit eſſe vegetatiua, & ſenſitiua, & remanet ſola rationalis, quæ illas virtualiter continens functiones illarum efficit.

Concluſio habet duas partes prima quòd in fœtu ante introductionem animæ rationalis generetur anima vegetatiua, & ſenſitiua. Secunda eſt adueniente anima rationali perit vegetatiua. & ſenſitiua.

Prima pars probari poteſt: auctoritatibus, & Ariſt. & rationibus à ſecunda ſententia allatis, quæ probant in homine prius introduci vegetatiuam, & ſenſitiuam, poſtremò rationalem.

Probatur ſecundò ſi in generatione hominis non generaretur anima vegetatiua, & ſenſetiua, ab agente naturali nihil generaretur; conſequens eſt falſum; ergo, & antecedens. Probatur ſequela ab agente naturali non producitur anima rationalis cũ creatur à Deo, neque materia prima cum ſit in generabilis, & incorruptibilis; neque totum, cum totam etiam in ſententia omnium Philoſophorum non ſit realiter diſtinctum à partibus collectiuè acceptis; ergò in generatione hominis nihil generatur quod eſt contra Ariſt. & omnes Philoſophos, qui dicunt, homo generat hominem.

Reſpondent aliqui Auctores ad hãc probationem in generatione hominis ab agente naturali produci vnionem, cuius productio ſufficit, vt dicatur totum hominem generari.

Sed hæc reſponſio nihil valet, quia vnio in ſententia aliquorum aduerſariorum non eſt aliquid aliud preter partes, cum ſe ipſis ſine vlla vnione ſuperadita vniantur; ergo in eorum ſententia ab agente naturali nihil producitur in generatione hominis.

In ſententia quorundã aliorum, vnio eſt negatio diſtantiæ, ſeù impedimenti; ſed agens naturale non intendit producere negationem; ergò in eorum etiam ſententia nihil producitur.

In ſententia aliorum, vnio eſt accidens; ſed in generatione hominis non producitur per ſe accidens, cum per ſe non intendatur à natura; ergò in generatione hominis, vel nihil producitur vel producitur aliqua forma ſubſtantialis.

Confirmatur hoc ex Ariſt. alijſque omnibus Philoſophis, qui dicunt per generationem produci ſubſtãtiam, per alterationem qualitas, per augmentationem quantitas, per motum localem vbi, &c. ergò in generatione hominis præter diſpoſitiones, & vnionem accidentalem & alia produci debet aliqua forma ſubſtantialis, quæ non poteſt eſſe alia, niſi anima vegetatiua, & ſenſitiua; ergò. &c.

Quidam alijs recentiores dicunt in generatione hominis produci vnionem, quæ eſt modus ſubſtantialis, non accidentalis.

Sed iſti etiam nihil probabile dicũt, primò vnio licet ſit modus ſubſtantialis, non tamen poteſt eſſe per ſe terminus actionis in generatione; terminus enim actionis in generatione, vt ait Ariſt. alijque Philoſophi, eſt forma ſubſtantialis, non modus ſubſtantialis. Secundò, quia natura per ſe non intendit modum ſiuè ſit ſubſtantialis, ſiuè accidentalis, ſed ſolum ſecundariò, & per accidens, vt medium ad finem, ſicuti intendit, & alias diſpoſitiones; primariò enim, & per ſe natura intendit generare formam ſubſtantialem, quæ eſt conſtitutiuum eſſentiale rei.

Confirmatur hoc ex Ariſt. qui ait generationem eſſe viam ad naturam; ſed forma ſubſtantialis eſt natura, & non modus; ergò gene-

generatio, eſt via ad formam ſubſtantialem; ergò in generatione per ſe generatur forma ſubſtantialis, & non vnio, ſeù modus niſi, ſecundariò; & per accidens.

Prętereà in generatione plantę ab agente naturali, non ſolum generatur vnio, ſed etiam forma ſubſtantialis, ideſt anima vegetatiua: In generatione equi non ſolum generatur vnio, ſed etiam forma ſubſtantialis, quæ eſt anima ſenſitiua; ergò in generatione hominis pręter vnionem generari debet forma ſubſtantialis, quæ eſt anima vegetatiua, & ſenſitiua cum homo non ſit deterioris conditionis, quàm planta, & eques.

Secunda ratio pro noſtra ſententia eſt, Virtus ſeminis hominis, vel habet virtutem producendi aliquam formam ſubſtantialem, vel non habet, non poteſt dici ſecundùm, quia ſi ſemen plantæ, & equi E.G. habent virtutem producendi aliquam formam ſubſtantialem, & animam, multo magis habere debet ſemen hominis, cum ſit illis perfectius; ſi dicatur primum, quòd nimirum habeat virtutem producendi aliquam formam ſubſtantialem, ſic argumentor. Semen hominis habet virtutem producendi aliquam formam ſubſtantialem; ideſt animam, ſed hæc non eſt rationalis, quia anima rationalis cum ſit ſpiritualis creatur à Deo; ergò eſt anima vegetatiua, & ſenſitiua, quæ ſunt materiales, ſicuti eſt materiale, & ipſum ſemen illos producens.

Confirmatur hæc ratio ex Ariſt. qui ait idem eſſe diſponens materiam, & inducens formam in ipſa materia; ſed virtus ſeminis hominis diſponit materiam etiam per ipſos aduerſarios; ergò inducit formam; ſed iſta forma non poteſt eſſe niſi vegetatiua, & ſenſitiua; ergò illas inducit.

Secunda pars noſtræ Concluſionis, quòd nimirum adueniente anima rationali corrūpitur ſenſitiua, & vegetatiua: Probatur quia anima vegetatiua, & ſenſitiua, vel fuerunt corruptæ in morte Chriſti Domini, vel non, non poteſt dici primum, quia repugnat dicto illo vulgato; quod ſemel aſſumpſit nunquàm dimiſit: neque poteſt dici ſecundum, vt ex ſe patet: ergò adueniente anima rationali perit in fœtu anima vegetatiua, & ſenſitiua.

Colligitur ex dictis, in animalibus brutis dari duas animas

realiter diſtinctas,ideſt vegetatiuam,& ſenſitiuam;& hoc probatur atque confirmatur, omnibus auctoritatibus, Articulis & rationibus, à ſecunda ſententia allatis.

Dices in homine vnam tantùm dari animam, ideſt rationalem, quæ exercet operationes animæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ;ergò & in animalibus brutis dari ſolam animam ſenſitiuam, quæ exercet operationes animæ vegetatiuæ.

Reſpondeo concedo antecedens,& nego conſequentiam,quia in animalibus brutis non vrgent illæ rationes Theologicæ propter quas negatur multiplicitas animarum in homine.

Dices 2. generatio vnius eſt corruptio alteris; ergo genita, ſeù inducta anima ſenſitiua in fœtu animalis, corrumpitur vegetatiua.

Reſpondeo hoc axioma non eſt vniuerſale, aliter adueniente vna virtute corrumpi deberet altera; E.G. adueniente phyſica corrumperetur logica, & adueniente metaphyſica corrumperetur phyſica, quod eſt falſum; quia anima vegetatiua, & ſenſitiua,cum non ſint oppoſitæ poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto; ſicuti phyſica, logica, & alia quorum vnum non repugnat eſſe cum alio. Præterea adueniente anima ſenſitiua nullum poteſt aſſignari agens corrumpens animam vegetatiuam; ergò remanet cum anima ſenſitiua, cui etiam ſubordinatur, & ab ea perficitur.

Multi recentiores philoſophi excogitant varios modos negandi ab agente naturali, ſeù virtute ſeminis in fœtu ante aduentum animæ rationalis induci animam vegetatiuam, & ſenſitiuam, quod eſt contra ſententiam S.Tho.loco ſup. cit.

Quidam enim philoſophi dicunt animam rationalem nullàm præſupponere animam in fœtu, ſed illæ operationes, quæ in eo videntur, prouenire ab anima exiſtente in matre.

Sed iſti male dicunt, primò, quia operationes vitales cū ſint naturales non poſſunt prouenire à principio extrinſeco, ſed debēt prouenire à principio intrinſeco; natura enim eſt principiū motus in eo in quo eſt, & non in alio;ſecūdo quia anima vegetatiua matris informaret duo corpora, quod eſt omnino falſum, quam ſententiam impugnat S.Thomas loco ſupra citato.

Quidam

Quidam alij recentiores dicunt ab initio in fœtu introduci animam rationalē, quæ priùs exercet operationes animæ vegetatiuæ; deinde ſenſitiuæ, poſtremo rationalis. Operatur enim anima prout inuenit materiam diſpoſitam, & quo magis illa materia perficitur, eò perfectiores operationes efficit, quia natura ſemper ab imperfectioribus incipit.

Sed neque iſti benè dicunt primò, quia perfectior forma requirit perfectiorem materiam, ſaltem quoad diſpoſitiones; ſed illa materia fœtus, eſt ſolum apta recipere animam vegitatiuam, cum non ſit proportionata animæ intellectiuæ; ergò non poteſt recipere animam intellectiuam.

Secundò eſt expreſsè contra Ariſt. qui 2. de generatione animalium cap. 3. docet non eſſe ſimul animal, & homo.

Tertio, quia anima rationalis inducitur nè in fœtu ante trigeſimum diem, an non? Si dicant primum falſum dicunt, quia ante trigeſimum diem nō apparet diſtinctio omnium membrorum corporis in fœtu, & conſequenter non poteſt illo tempore recipi anima rationalis in corpore, vt fusè probabimus agentes de virtute formatiua membrorum.

Confirmatur hoc conſtitutione Eccleſiæ, quæ non permittit Baptiſmum fœtui, niſi eius corpus ſit perfectè organizatū, eiuſque partes omnes diſtinctè appareant, & habeant aliquem motum localem, vt patet in Rituali Romano ad Parochos; quia ante tale tempus fœtus non eſt animatus, anima rationali, cum ante trigeſimum diem corpus non ſit organizatum, vt teſtantur communiter Anatomiſtæ, & patet experientia in ſectione corporum tali tempore vtero gerentium. Si dicant ſecundum habemus intentùm, quia ante tale tempus iam in fœtu eſt anima vegetatiua, & ſenſitiua: nutritur enim fœtus, & augetur per potentias animæ vegetatiuæ, & mouetur per potentias animæ, ſenſitiuæ, quæ non poſſunt reperiri ſeparatæ à ſuis potentijs; ergò antecedenter ad introductionem animæ rationalis, iam anima vegetatiua, & ſenſitiua ſunt in fœtu.

Quidam alij dicunt ab initio in fœtu inductam fuiſſe quādam animam, quæ primò eſt vegetatiua, deinde, cum magis perficitur ſit ſenſitiua, poſtremo euadit rationalis.

Sed

Sed iſti omnino falſum dicunt, immò,& erroneū primò,quia vna res non poteſt tranſire de ſpecie in ſpeciem. Secundò,quia iuxta hanc ſententiam anima rationalis educeretur ex virtute ſeminis quomodo? ergò eſſet immortalis: illa anima, quæ primò educitur iam eſt materialis; ergò ſi eadem ſit rationalis euadit immortalis quod eſt falſum, & impoſſibile.

ARTICVLVS III.

An anima ſit in toto corpore.

PRima ſententia ait animam ſecundùm eſſentiam eſſe ſolum in corde, ſecundùm verò ſuas facultates eſſe in omnibus partibus corporis: ità Albertus magnus in hoc 2.lib.tract.1.c.7. quem ſequitur Card. in opere ſuo de ſubtilitate,& alij qui vt faciant ſuam ſententiam probabilem comparant animam cum Rege; quemadmodum Rex inquiunt, Perſarum,qui habebat duodecim Satrapas,quos mittebat ad duodecim Prouincias,ipſe verò Rex non mouebatur à Palatio: ità Anima ſecundùm eſſentiam in corde tanquam in Arce reſidet ſecundùm verò ſuas potentias in alijs partibus.

Ratio huius ſententiæ eſſe poteſt,quia ſi anima eſſet in omnibus partibus corporis, omnis anima etiam rationalis eſſet diuiſibilis; conſequens eſt falſum; ergò, & antecedens. Probatur ſequela,quia ad momentaneam ſciſſionem manus hominis E.G. deberet neceſſariò ſcindi etiam pars animæ,non enim poteſt ſaluari quò minus diuideretur.

Secunda ſententia ait animam ſecundùm ſuam eſſentiam eſſe in omnibus partibus corporis, ità S.Thom.p.p.q.76.art.8.& ſecundo lib. contra gentes,cap.32.

Dico animam ſecundùm eſſentiam non eſſe in vna tantùm parte corporis, ſed in toto corpore.

Probatur anima ab Ariſt.lib.2.de anima tex.6. definitur actus corporis organici; ſed non eſt magis organica vna pars, quam altera, ergò eſt in omnibus partibus ſecundùm eſſentiam.

Pro-

Probatur 2. anima eſt id quo viuimus, dicit Ariſt. ſed omnes partes ſunt viuentes; ergò in omnibus partibus eſt anima ſecundùm eſſentiam. Confirmatur minor experientia, quia videmus partes plantarum, & animalium imperfectorum præciſas ſuperuiuere; ergò omnes partes habent animam ſecundùm eſſentiam aliter non poſſent ſuperuiuere.

Probatur 3. ſi anima ſecundùm eſſentiam non eſſet in omnibus partibus corporis, ſed ſolum in corde, cor ſolum diceretur viuens, & animal, & non aliæ partes; cum cor ſolum haberet eſſentialiter animam, quæ eſt principium vitæ.

Ad rationem primæ ſententiæ, reſpondeo negando ſequelam, ad eius probationem, dico in eo caſu animam deſinere informare partem abſciſſam per meram ceſſationem eſſendi ibi quatenùs deficiunt requeſita, ad hoc vt informet.

Dico primo animam vegetatiuã eſſentialiter eſſe in omnibus partibus corporis. Probatur nulla eſt pars corporis quæ non viuat, non nutriatur, & augeatur; ſed viuere, nutriri, & augeri, ſunt munus animæ vegetatiuæ; ergò anima vegetatiua eſt in omnibus partibus corporis.

Confirmatur pars non habet eſſe niſi per eſſe totius; ergò pars viuentis non habent eſſe, niſi per eſſe totius viuentis; ſed eſſe totius viuentis, eſt viuere; ergò eſſentia partis viuentis eſt viuere.

Confirmatur 2. ex Gal. lib. de vſu partium vbi ait pars integrans corporis viuentis eſt ſubſtantia corporea toti continuata, communique vita fruens ad illius operationes genita; ergò anima vegetatiua eſt in omnibus partibus corporis; vt communi vita fruantur.

Dico 2. animam ſenſitiuã non eſſe in omnibus partibus corporis. Probatur anima ſenſitiua non eſt in oſſibus; ſed oſſa ſunt partes corporis; ergò non eſt in omnibus partibus corporis. Dices oſſa ſunt veræ partes viuentes corporis, & in illis ſentimus dolorem, vt patet in dentibus; ergò oſſa ſunt animata anima ſenſitiua. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, oſſa ſunt partes viuentis, & animata anima vegetatiua concedo antecedens, anima ſenſitiua, nego antecedens, & conſequentiam. Dolor enim

enim qui ſentitur in dentibus non eſt in oſſibus, ſed in membranis, vel neruulis circa dentes exiſtentibus, in quibus humor deſcendens à capite receptus dolorem generat.

Dico 3. animam rationalem ſecundùm eſſe formale, eſſe in omnibus partibus corporis exceptis oſſibus. Probatur anima rationalis dat eſſe homini, homo autem componitur ex anima, & corpore, quod conſtituitur ex omnibus partibus; ergò omnes partes informantur ab anima rationali exceptis oſſibus.

ARTICVLVS IV.

An anima præter eſſe in toto corpore reſideat in aliqua præcipua parte, ſicuti Deus in Cælo.

DVO ſunt explicanda in hoc articulo. Primum quæ nam ſit pars Princeps in corpore animalis. Secundùm an in eadem parte reſideat omnes tres gradus animæ, nēpè vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis; Magna controuerſia eſt inter Auctores de Principatu partium animalis. Quidam enim dicunt eſſe cor, vt communiter peripatetici. Quidam eſſe cerebrum, vt Plato, Gal. & alij Medici. Quidam verò hepar, vt multi ex antiquis. Pro cuius determinatione explicandum eſt priùs quid nam ſit eſſe partem principem; deindè aſſignandum qualis ſit.

Pars Princeps primò dicitur illa, quæ præbet materiam neceſſariam ad vitam, ità perfectam, vt vlteriùs per actionem alterius potentiæ non ſit perfectibilis, ſic cor præbet ſpiritus vitales, cerebrum ſpiritus animales, hepar ſpiritus naturales, (vt in ſuo loco probabimus) qui ſpiritus ſunt neceſſarij ad vitam, & vlterius non ſunt perfectibiles.

2. Illa dicitur pars princeps, à qua cæteræ omnes partes dependent, & ipſa à nulla alia parte dependet; videndum ergò eſt ex ſupradictis tribus partibus, quæ nam ſit illa, quæ eſt independens ab alijs, & ab ipſa aliæ dependeant.

Dico, omnes iſtas tres partes, nempè cor, cerebrum, & hepar

par omninò eodem modo ad inuicem dependere in fieri,in conſeruári, & in operari.

Probatur quoad primam partem, quod nimirùm omninò eodem modo ad inuicèm dependeant in fieri; nam ad conſtitutionem cordis ingrediuntur nerui,& venæ; ſed nerui originem ducunt à cerebro, venæ ab hepate, vt paulò inferiùs probabimus; ergò cor in ſuo fieri dependet à cerebro,& hepate.

Cerebrum in ſua conſtitutione inuoluit venas,& arterias; ſed venæ originem ducunt ab hepate, arteriæ à corde ; ergò cerebrum in ſuo fieri dependet à corde, & hepate.

Hepar in ſua conſtitutione requirit arterias,& neruos; ſed arteriæ ducunt originem à corde, nerui à cerebro ; ergò hepar in ſuo fieri dependet à corde, & cerebro, quod nos fusè explicabimus,atque probabimus in 2. parte, agentes de virtute efformatiua membrorum.

Probatur quoad 2.partem, quòd nimirùm eodem modo ad inuicèm dependeant in conſeruari; nam ad hoc, vt cor conſeruetur in vita, indiget ſenſu,& motu, & ſanguine; ſed motus, & ſenſus proueniunt per neruos à cerebro, & ſanguis ab hepate; ergò, vt cor conſeruetur in vita, dependet à cerebro, & hepate. Probatur maior, cor, vt conſeruetur in vita,indiget ſanguine, quo nutriatur; & motu,& ſenſu, vt attemperetur,ſine quo motu cor ſtatim ſuffocaretur; (Quòd motus, & ſenſus proueniant à cerebro, venæ ab hepate, inferiùs probabimus); ergò cor, vt conſeruetur in vita,dependet à cerebro, & hepate.

Ad hoc, vt cerebrum conſeruetur in vita, illi neceſſarius eſt ſanguis, quo nutriatur, & ſpiritus vitales, calorque natiuus, quibus foueatur, & viuat; ſed ſanguis originem ducit ab hepate,ſpiritus vitales, & calor natiuus à corde : ergò vt cerebrum conſeruetur in vita,dependet a corde, & hepate.

Hepar,vt conſeruetur in uita, exigit ſpiritus vitales,caloremque natiuum, ſine quibus non eſt vita: exigit prætereà ſenſum, & motum, vt ex ſe patet; ſed ſpiritus, & calor natiuus proueniunt à corde, ſenſus, & motus à cerebro : ergò hepar, vt conſeruetur in vita, dependet a corde, & cerebro.

Probatur quoad tertiam partem, quod nimirùm nulla ex

F iſtis

Digitized by Google

iſtis tribus partibus operari poſſit ſine alia.

Cor operatur producendo ſpiritus vitales, & calorem natiuum,quorum dicitur fons, & principium; ſed non poteſt producere ſpiritus vitales, caloremque natiuum ſine hepate, & cerebro; ergò cor non poteſt operari ſine hepate, & cerebro. Probatur minor, ſpiritus vitales generantur in corde à ſubtiliore parte ſanguinis,& aere ab ore attracto per motum; ſed ſanguis prouenit ab hepate,motus à cerebro;ergò cor in operari dependet ab hepate,& cerebro.

Cerebrum dicitur operari, eo quod in eo conficiantur ſpiritus animales,quibus fit omnis ſenſus,& motus, ſed ſpiritus animales generantur ex puriori parte ſanguinis, & aere per apophiſes mamillares attracto, concurrentibus ſpiritibus vitalibus, & calore naturali, ergò cerebrum in operari dependet à corde, & hepate.

Hepar in ſua operatione producit ſpiritus naturales,qui concurrunt ad nutritionem cuiuſcumque partis viuentis, ſed ad productionem ſpirituum naturalium cuncurrit calor naturalis, qui prouenit à corde, & motus, ſpiritusque animales, qui proueniunt à cerebro; ergò hepar in ſuo operari dependet à corde, ac cerebro; ergò omnes iſtæ tres parres æqualiter, & æquabiliter inter ſe dependent in fieri, conſeruari, & operari; conſequenter principatum,vel omnibus tribus ęqualiter tribuendum, vel nulli, licet vna pars aliâ nobilior ſit propter alias rationes, vt paulò inferiùs probabimus.

Remanet igitùr mihi probandum,quòd arteriæ originem ducãt à corde,nerui à cerebro,& venę ab hepate;quòd verò arterię ſpiritus vitales, & calor naturalis originem ducant à corde, & etiam deferantur per arterias ad vniuerſum corpus; nulla videtur dubitatio,neque controuerſia. Quoad neruos,nerui propriè, ac rigoroſè accepti,ſunt quædam corpora rotunda,longa,quæ conſtant duplici ſubſtantia interiori,& exteriori; interior eſt albida, mollis, ac medulloſa, cerebri ſubſtantiæ omninò ſimillima; exterior eſt membrana,ſeu tunica quædam,quæ in ſe continet ſubſtantiam interiorem, ne effluat,qui nerui, vt apparet ex anatome, ſunt triginta, & ſeptem paria; quorum ſeptem videntur, ra-

Digitized by Google

radicē ponere in cerebro; triginta verò in ſpinali medulla, quæ eſt quaſi cerebrū prolongatū, incipiens à cerebro vſq; ad finē oſſis ſacri, qui nerui ſubdiuidūtur deindè in innumeros ramos diſperſos ad vniuerſum corpus, motum, & ſenſum deferendi gratiâ.

Si ergò nerui originem ducerent à corde, deberet à corde enaſci truncus magnus, qui poſtea diuideretur in alios ramos, & illi in alios per omnes partes corporis, ſicuti videtur oriri arteria magna à ſiniſtro cordis ventriculo, quæ deinde diuiditur in truncum aſcendentem, & deſcendentem, illi deinde in alios, & alios ramos per vniuerſum corpus, per quas arterias transferuntur ſpiritus vitales ad omnes partes corporis viuificationis gratiâ, ſed nullus truncus apparet à corde enaſci, qui diuidatur, ac ſubdiuidatur, ſicuti apparet arteria; ergò nerui non ducunt originem à corde; Ariſt. igitur, videns corpora illa neruoſa in corde, putauit eſſe neruos, in hoc deceptus fuit, quia illa corpora non ſunt nerui, ſed ligamēta, quæ cor in ſuo ſitu detinent, in corde n. non ad ſunt alij nerui, niſi vnus ramus ſexti paris neruorum à cerebro prouenientis, qui circumcingens truncum arteriæ magnæ cordis per totum corpus diſpergitur.

Quoad venas, probatur, venæ inde ducunt originem, vnde trahunt ſanguinem, qui per totum corpus transfertur; ſed trahūt ſanguinem ab hepate; ergò originem ducunt ab hepate; maior eſt certa; minor probatur, ab illo venæ trahunt ſanguinem, quòd eſt principium ſanguinificationis, ſed hepar eſt principium ſanguinificationis; ergò ab hepate trahunt ſanguinem.

Confirmatur hæc minor, primò, quia hepar non habet alium finem, niſi ſanguinificationem, Deus, & natura nihil faciunt fruſtrà. 2. quia læſa ſanguinificatione Medici applicant remedia ad corrigendum hepar, & non cor; ergò principium ſanguinificationis eſt hepar, & non cor.

Probatur 2. experientiâ, duæ videntur præcipuæ venæ, altera videtur radicem ponere in parte caua iecoris, & altera in parte gibba; originem ducens à parte caua iecoris, dicitur vena Porta, à parte gibba egrediens dicitur vena Caua; Vena Porta diuiditur in plures ramulos, qui diſperguntur per viſcera ventris, quæ vena porta, nullam videtur habere connexionem

cum corde, neque immediatè, neque mediatè. Vena caua egrediens à gibba iecoris ſtatim diuiditur in truncum aſcendentem, & deſcendentem, aſcendens diſpergitur vſque ad ſummitatem capitis, deſcendens vſque ad extremitatem digitorum pedum; iſti trunci; & rami non videntur originem ducere à corde, ergo origo venarum eſt hepar, & non cor.

Colligitur ex dictis, quòd ſpiritus vitales, & calor natiuus per arterias diffunduntur ad vniuerſum habitum corporis operationes vitales efficiendi gratia, ſpiritus naturales per venas ad vniuerſum corporis habitum operationes naturales, ideſt nutritionem, ſeù reſtaurationem corporis efficiendi gratia, licèt aliqui ſine vllo fundamento negent ſpiritus naturales, vt in ſuo loco probabimus; ſpiritus animales per neruos diſperguntur ad vniuerſas partes corporis, operationes, ideſt ſenſum, & motum efficiendi gratia, & hoc de neruis; Probatur experientiâ, obſtructis neruis alicuius partis, ſtatim tollitur ſenſus, & motus illius partis: nàm obſtructis neruis opticis E. G. ſtatim oritur cæcitas, nullo apparente vitio in oculo, vt agentes de compoſitione oculi, & aliorum ſenſuum, fusè probabimus, & hæc hucuſquè dicta patent ſenſui viſus, qui poſitis omnibus circumſtantijs, non fallitur; propterea illi, qui ſenſum relinquunt, & ad rationes recurrunt, non benè philoſophantur recentiores quidam philoſophi, qui peritiâ anatomiæ carent, de rebus anatomicis ſermonem faciunt, ſicuti Cæcus à natiuitate, qui diſputat de coloribus.

Ex dictis infertur, auctoritates Ariſt. & etiam rationes, quæ ab Aduerſarijs afferri ſolent ad probandum, præcipuam, ſeù principem partem in corpore animalis eſſe cor, & animam in corde reſidere, nihil probare, cum nitantur fundamento falſo, quod nimirùm venæ, & nerui originem ducant à corde, ſicuti arteriæ, quod fundamentum, inquam, eſt falſum, quia venæ originē ducunt ab hepate, & nerui à cerebro, vt ſuperiùs probauimus.

Dices, cor, & arteriæ mouentur à facultate, & ſpiritibus ſibi inſitis; ergo non mouentur à ſpiritibus animalibus, à cerebro prouenientibus.

Reſp. negando conſequentiā. Ratio huius rei eſt, quia etiamſi in corde ſit facultas motiua inſita, & etiamſi ſpiritus inſiti, non tamen.

tamen ſunt ſufficientes ſine facultate influente, & ſpiritibus influentibus à cerebro ad productionem motus,& ſenſus; ſimiliter licèt in omnibus partibus corporis ſit facultas vitalis;& ſpiritus inſiti; non tamen ſunt ſufficientes ſine facultate, & ſpiritibus influentibus vitalibus ad efficiendas actiones vitales; ità & facultas naturalis, & ſpiritus naturales, etiamſi ſint in omnibus partibus corporis; per ſe tamen non ſunt ſufficientes ad educendas actiones naturales: quemadmodũ enim Luna,& aſtra, quæ etiamſi ex ſe habeant lumen, niſi tamen illuminentur è Sole, nõ poſſunt terram illuminare, ità niſi à cerebro, quod eſt Sol animalium, deferantur facultas, & ſpiritus animales, influentes ad cor,& omnes alias partes corporis, quibus facultas animalis inſita,& ſpiritus inſiti foueãtur,reſtaurẽtur, & excitentur, cũ à cõtinua actione debilitentur, & diſſipentur; ritè ſuas operationes efficere non poſſunt; ſimiliter niſi à corde, quod eſt Sol vitalium, deferantur ad cerebrum, & alias partes corporis facultas vitalis, & ſpiritus vitales influentes, facultas inſita; & ſpiritus inſiti non poſſunt ritè operari;eodem modo niſi ab hepate transferatur facultas naturalis, & ſpiritus naturales influentes ad vniuerſum corporis habitum,facultas inſita, & ſpiritus naturales inſiti non poſſunt benè efficere ſuas operationes: hoc, vt ſuperiùs etiam dixi,patet ſenſui;nam obſtructis neruis alicuius partis, tollitur ſenſus,& motus illius partis, non niſi, quia impeditur influxus ſpirituum,a cerebro per neruos ad illam partem peruenientium, aliter cum in illa eſſent omnia requiſita præter influxum ſpirituum animalium per neruos ad illam partem moueri, ac ſentire poſſet,cuius oppoſitum docet experientia.

Probatũ iam fuit, omnes tres partes æqualiter ad inuicem pendere in fieri, conſeruari, & operari; conſequenter omnes tres reſpectu aliarum partium æquè principes dici poſſe.

Videndum iam eſt, quænã ex iſtis tribus ſit nobilior, ac perfectior,vt ſit domiciliũ animæ;pro cuius determinatione.Sciendum eſt, animam habere analogiam cum Rege, & domicilium animæ cum Ciuitate, quæ à Rege colitur:nam ſicuti Rex requirit nobiliorem, & perfectiorem Ciuitatem ad habitandum, ità anima requirit nobiliorem,& perfectionem partem corporis ad illam incolendam.

Præte-

Præterea; quemadmodum Ciuitas adhoc, vt ſit habitatio Regis, debet excedere omnes alias in nobilitate, & perfectione, ità & vt aliqua pars ſit habitatio Animæ debet excedere omnes alias partes corporis.

Nobilitas, & perfectio Ciuitatis habetur primò ex eius ſitu, quod nimirùm ſit in altiori loco propter puritatẽ, & bonitatem aeris. 2. Habetur ex ſumptuoſis ædificijs. 3. Ex nobilitate, & numero optimatum. 4. Ex mœnijs eiuſdem Ciuitatis, multiſque alijs, quæ quidem conditiones proportionaliter reperiuntur tantùm in cerebro; nomine tamen cerebri non intelligo illam tantùm ſubſtantiam albidam, ſed etiam alia in capite inhærentia: nam cerebrum primò ſuperat cor, & hepar in ſubſtantia, ſeu in materia, quia iuxta ſententiam Hipp. aliorumq; multorũ Philoſophorum, cerebrum à natura factum eſt ex puriore parte ſeminis; cor verò, & hepar ex ſanguine menſtruo. 2. In ſitu, cerebrum n. eſt in ſublimioriloco, cor, & hepar in locis depreſſis, & concauis; quod locus ſublimior ſit perfectior, & nobilior, patet ex Ariſt. qui 14. problematum ait, habitantes loca ædita, tardiùs ſeneſcere, & è contrà idem Ariſt. in fin. 8. lib. phyſ. ait, Deum eſſe in ſupremo Cælo, ſi ergò locus humilis, vel medius eſſet nobilior, quàm æditus, Deus eſſet in centro mundi. 3. In ędificijs alias ſuperat; nam cerebrum eſt inuolutum tenuiſſimâ, & nobiliſſimâ membranâ, pia matre dicta; cor eſt circumuolutum membranâ quadam rudi, & craſſa, aquâ plenâ; Natura, vt ſapientiſſima textrix rete illud mirabile in ſummitate cerebri texens, vt ſedem regiam locauit, & vmbrella nobili, ideſt membrana quadam, dura matre, ſeù meninge dura dicta velauit, quæ à rete mirabili, piaque matre altiùs diſtans, pendet à cranio ad inſtar regiæ vmbellæ, qua ſub ſe continet ſedem illam phrygiatam, nempè rete mirabile.

4. Cerebrum ſuperat cor, & hepar in nobilitate habitantium, & primatum; nam in cerebro reſident principes facultates, quæ omnes alias facultates dignitate, & perfectione excellunt, quarum præſtantiam, & eminentiam vide in par. 3. tractatus de ſenſibus internis.

5. Natura, vt cerebrum incolume ſeruet, circumſepit cranio, ideſt

deſt ollâ illâ oſſeâ tanquam fortiſſimis mænijs; omitto hic multa alia, cum alibi fusè [illegible] explicanda; cerebrum ergò nobilitate, ac præſtantia cor, & hepar antecellit; his explicatis vnicuique animæ proprius locus, in quo reſidet, eſt aſſignandus.

Dico enim cũ Ariſt. alijſq; Philoſophis, animam vegetatiuam præcipuè reſidere in corde, licèt ſit formaliter, & eſſentialiter ſit in toto corpore. Probatur primò varijs auctoritatibus Ariſt. lib. de iuuentute, & ſenectute, vbi ait, animam eſſe non poſſe ſine calore, & 2. de partibus animalium cap. 7. & 2. de anima ait, animam eſſe in illa parte, quæ eſt principium caloris; ſed Cor eſt principium caloris; ergò in corde reſidet anima vegetatiua; Vndè omnes aliæ auctoritates Ariſt. aliorumque Philoſ. atque rationes, probantes, animam eſſe in corde, intelligendæ ſunt tantùm de anima vegetatiua, non verò de alia anima.

Probatur 2. ratione; anima vegetatiua eſt principium vitæ; ſed vita præcipuè eſt in corde; ergò & anima vegetatiua præcipuè eſt in corde. Maior eſt certa; Minor probatur, vita conſiſtit in calore natiuo, & humido radicali, vt ſuo loco fusè probabimus; (ſed calor natiuus, & humidum radicale maximè vigent in corde; ergò ibi, & ipſa vita; & conſequenter anima vegetatiua: vndè omnes auctoritates, & rationes Philoſophorum ſunt pro noſtra ſententia.) Nobiliori Principi nobilior locus eſt aſſignandus; ſed apud omnes philoſophos anima ſenſitiua eſt nobilior, & perfectior animâ vegetatiuâ; ergò animæ ſenſitiuæ perfectior, & nobilior locus eſt aſſignandus.

Dico igitur, animam ſenſitiuam eſſe in toto corpore, præcipuè tamen reſidere in cerebro.

Probatur primò, anima ſenſitiua cum ſit vegetatiuâ nobilior, & perfectior, reſidere debet in nobiliori parte corporis; ſed cerebrum eſt nobilior pars corporis; ergò anima ſenſitiua reſidet in cerebro.

Probatur 2. ibi reſidet anima ſenſitiua, vndè feruntur mandata mouendi, & ſentiendi ad omnes partes corporis, ſed à cerebro proueniunt mandata mouendi, & ſentiendi; ergò in cerebro reſidet anima ſenſitiua; maior eſt certa; minor probatur;

appe-

appetitus ſenſitiuus, exiſtens in cerebro, excitando facultatem motiuam imperat motum fieri in pede, & in quacunque alia parte corporis; ergò à cerebro proueniunt mandata motus, & ſenſus.

Dices, multa animalia non habent caput, & tamen habent animam ſenſitiuam; ergò anima ſenſitiua non eſt in cerebro; ſed in corde.

Reſpond. Concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia multa etiàm animalia non habent cor, & tamen viuunt, nutriuntur, & augmentantur; ſicuti igitur iſta animalia, quæ corde carent, habent aliquid cordi æquiualens, quod cordis officio fungitur, ita & Cancri, & alia animalia capite carentia habent aliquod æquiualens, quod functiones ſenſitiuas efficit.

Dices, cerebrum ex ſua natura eſt expers ſenſationis; ergò non poteſt eſſe origo ſenſuum. Confirmatur ex Ariſt. qui 2. de partibus animalium cap. 7. ait, cerebrum à natura datum eſſe ad mitigandum vehementem calorem cordis; ergò non eſt principium ſenſuum.

Reſp. Tranſeat antecedens, & diſtinguo conſequens, cerebrum materialiter non poteſt eſſe origo ſenſuum, concedo conſequentiam, formaliter, nego conſequentiam; ſicuti enim album materialiter non eſt diſgregatiuum viſus, ſed formaliter; ita & cerebrum formaliter eſt origo ſenſuum, non materialiter.

Ad confirmationem; Reſp. negando antecedens, primò, quia cerebrum calidius eſt aere ambiente, immò ab aere frigido læditur; ſecundò cerebrum etiamſi eſſet frigidum; cum tamen ſit inuolutum ſuis membranis, & oſſibus denſis, & fortiſſimis in tanta diſtantia, cordis calorem refrigerare non poteſt.

3. Si cerebrum à natura factum eſſet propter refrigerationem cordis, quid opus erat tanto artificio, non nè erat facere illud, ſicuti ſpongiam? Gal. loco ſupracitato contra Chriſippum, hanc ſententiam Ariſtotelis conſiderans, pudet me, inquit, hac de re diſſerere, & miror cùm Ariſtoteles hoc dixerit; meliùs quidem Ariſt. philoſopharetur, ſi potiùs dixiſſet, calcaneum factum eſſe a natura ad refrigerationem cordis, quàm cerebrum.

Dices

Dices; Anima ſenſitiua non poteſt eſſe ſine vegetatiua; ergò vbi eſt vegetatiua, eſt etiam ſenſitiua.

Reſp. ego numquam negaui, quòd vbi eſt vegetatiua, non ſit ſenſitiua, ſed ſemper dixi, animam vegetatiuam eſſe in toto corpore, præcipuè tamen in corde, & animam ſenſitiuam eſſe in omnibus partibus corporis, in quibus eſt vegetatiua (exceptis oſſibus) & etiam in corde, ſed præcipuè in cerebro.

Dico 3. animam rationalem eſſe in toto corpore præcipuè tamen in cerebro, vbi eſt anima ſenſitiua; eſt ſententia Platonis in Timæo, vbi ait, in cerebro duplicē eſſe animā, & eius circulū eſſe in cerebro operationes vtriuſq; eſt etiā Gal. aliorumq ſapientum.

Probatur, anima rationalis in corpore non poteſt eſſe ſine anima ſenſitiua; ergò vbi præcipuè eſt anima ſenſitiua, ibi præcipuè eſt etiam anima rationalis.

Probatur 2. ibi maximè eſt anima rationalis, vbi operatur; ſed operatur in cerebro; ergò anima rationalis potiſſimùm eſt in cerebro, maior patet ex Ariſt. qui lib. de ſomno & vigil. cap. 1. ait, actus, & potentia ſunt in eodem ſubiecto; minor probatur, anima rationalis operatur in corpore per phantaſmata, ſeu dependenter à phantaſmatibus; ſed phantaſmata ſunt in cerebro, ergò operatio animæ rationalis eſt in cerebro.

Confirmatur experientiâ: nam læſa facultate imaginatiua in cerebro tollitur omnis operatio animæ rationalis, cum ampliùs illi phantaſmata adminiſtrari non poſſint; ergò in cerebro reſidet, ibique operatur.

Colligitur ex dictis, animam vegetatiuam formaliter eſſe in omnibus partibus corporis, pręcipuè tamen in corde; animam ſenſitiuam ſimiliter eſſe in omnibus partibus corporis, præcipuè tamen in cerebro; animam rationalem eſſe in omnibus partibus corporis, maximè tamen in cerebro.

Quæres, in quanam parte cerebri reſident anima ſenſitiua & rationalis? Reſp. hunc locum; natura ex ſe manifeſtè oſtendit eſſe anteriorem partem cerebri verticem verſus in cuius medio poſitum eſt regale illud ſolium, ideſt rete mirabile, quod regia vmbella tegitur, nempè dura matre.

Probatur hoc ex modo, quo fiunt operationes ſenſitiuæ, ſpe-

cies rerum ſenſibilium per ſenſus externos deferũtur ad ſenſum communem in anteriori ſiniſtra parte cerebri exiſtentem, qui ſpecies in ſe à ſenſibus externis receptas phantaſiæ in anteriori dextera parte paulò altiùs reſidenti porrigit, & phantaſia illis ſpeciebus alias ſimiles effingens, illas ad ſummitatem cerebri, tamquam ad aulam regiam, vel ſummum tribunal repræſentat, quibus ſpeciebus ibi conſideratis pronunciatur ſententia ad conſequendum, ſi nimirùm ſit bonum, & conueniens; ad fugiendum, ſi ſit malum, & inconueniens; vndè ad exequendum mandatum principis,ideſt animæ,ſtatim conſurgit appetitus ſenſitiuus, ibi vt miniſter aulicus inhærens, ſtimulatus a bonitate, vel malitia obiecti excitat potentiam motiuam, quæ excitata præcipit, vt fiat motus localis in pede, vel in qualibet alia parte corporis, vt fiant actiones concupiſcibiles, vel iraſcibiles in corde, ideſt amor, odium, vel ira, &c. Clarè ergò docet nobis natura, locum animæ ſenſitiuæ, & rationalis eſſe ſummitatem cerebri in rete mirabili. Hæc probatio, aliæque plures dependent a notitia ſenſum internorum, modi, quo in corpore fit motus localis, & modi, quo fiunt animi pathemata: propterea de hac re vide in parte tertia tract. de ſenſibus internis,vbi de hac re multa, ac pulchra habentur.

Infertur ex dictis,in brutis animalibus eſſe duas animas,nempè vegetatiuam, & ſenſitiuam; vegetatiua eſt in omnibus partibus corporis, præcipuè tamen in corde. Dixi eſſe in omnibus partibus, ideſt animatis; quæ nam verò ſint partes animatæ,& quæ inanimatæ, in 2.par. agentes de ſemine explicabimus; ſimiliter anima ſenſitiua eſt in toto corpore animalis, præcipuè tamen in cerebro, non tamen in omnibus partibus corporis, cum oſſa ſint partes corporis, non tamen animata animâ ſenſitiuâ.

Infertur 2. multiplicato capite in vno corpore animalis,multiplicari & ipſum animal, quia multiplicatur anima ſenſitiua; multiplicato verò ſolo corde,non multiplicatur animal, cum animal in eſſe animalis conſtituatur per animam ſenſitiuam, quæ reſidet in capite.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO
De potentijs in communi.
QVAESTIO VNICA
De potentijs ſecundum ſe conſideratis, earumque diſtinctione.

IN hac quæſt. tria quærimus; primum, quid, & quotuplex ſit potentia; 2. an ſint diſtinctæ ab anima; tertium an ſint diſtinctæ inter ſe.

ARTICVLVS I.
Quid, & quotuplex ſit Potentia.

NOmine potentiæ intelligitur vis quædam, per quam anima operatur; vndè potentia, facultas, vis, & virtus hic omninò idem ſignificant.

Potentia à varijs variè deſcribi ſolet; à quibuſdam ſic, facultas eſt qualitas profluens ex corpore viuenti, ſecundum quam illud corpus agit; ab alijs potentia eſt cauſa, principium, & forma accidentalis exiſtens in parte corporis, propter quam ipſa pars agit; ab alijs, potentia eſt virtus inſtrumentalis animæ, per quam immediatè eliciuntur operationes viuentis.

Quoad numerum potentiarum; quòd ſint multæ, patet, quia multæ, & variæ operationes indicant varia inſtrumenta. Varia inſtrumenta indicant varias potentias; ſed in corpore viuente ſunt multæ operationes, & multa inſtrumenta; ergo & multæ potentiæ.

Quoad determinatum numerum potentiarum; Peripatetici cum Ariſt. 2. de anima tex. 27. 32 conſiderantes potentiam in ordine ad diuerſas operationes, & obiecta, quinque aſſignant

Digitized by Google

genera potentiarum, nempè vegetatiuum, ſenſitiuum, appetitiuum, loco motiuum, & cogitatiuum. Medici cum Gal. potentiam conſiderantes non in ordine ad operationes, & obiecta, ſed in ordine ad differentiam principum organorum, nempè in ordine ad cerebrum, cor, & hepar tria genera potentiarum aſſignant, ideſt animalem, vitalem, & naturalem; potentiam animalem ponunt in cerebro, quæ continet ſub ſe ſenſitiuam, appetitiuam, & loco motiuam, & ratiocinatiuam; vitalem in corde, potentiam naturalem in hepate.

Quidam diuidunt potentiam in ordine ad ſuum principium, vndè iuxta triplicem animam; tria aſſignant genera potentiarum, nempè vegetatiuum, ſenſitiuum, & rationale, quæ ſubdiuiduntur in ſpecies ſubalternas, & illæ in infimas, vt in tractatu de anima in particulari fusè explicabitur, & hæc diuiſio eſt magis immediata, & fortaſsè clarior.

ARTICVLVS II.

An potentiæ animæ diſtinguantur ab anima.

PRima ſententia ait, potentias diſtingui ſolùm ratione ab ab anima, eſt Nominalium in 2. diſt. 16. tribuitur Scoto.

Ratio eius eſt, quia nulla videtur neceſſitas, nullaque efficax ratio, & auctoritas diſtinguendi realiter potentias ab anima; ergò non diſtinguuntur niſi ratione ab anima.

2. Sententia ait, potentias realiter diſtingui ab anima, ita S.Thom. 1. par. quæſt. 77. art. 1. vbi ait, impoſſibile eſt, potentias non eſſe realiter diſtinctas ab anima.

Ratio eius eſt, quia actus, & potentia per Ariſt. pertinent ad idem genus; ſed actus animæ ſunt accidentia; ergò & potentiæ animæ; & conſequenter realiter diſtinguuntur ab anima, cum accidens realiter diſtinguatur à ſubſtantia. Secundò, quia, ſi potentia eſſet eſſentia animæ, deberet ſemper operari, cum eſſet immediatum principium operationis, & ſemper ſit actu in corpore; ſed non ſemper operatur; ergò, &c.

Dico

Dico, potentias materiales, ideſt animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, realiter diſtingui ab ipſa anima.

Probatur primò ex Ariſt. cap. de quali; qui omnes potentias ponit in 2. ſpecie qualitatis; ſed qualitas, cum ſit accidens, eſt realiter diſtincta ab anima, quæ eſt ſubſtantia; ergò potentia eſt realiter diſtincta ab anima, quæ eſt ſubſtantia.

Probatur 2. illa, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; ergò ſi potentiæ ſunt eadem cum anima, ſunt eadem inter ſe; ſed hoc eſt apertè falſum; ergo potentiæ ſunt realiter diſtinctæ ab anima; ſub ſumptum probatur, potentiæ quædam ſunt nobiliores, & imperantes, quædam ignobiliores, & operantes; ergo non poſſunt eſſe eędem inter ſe.

Probatur tertiò, ſi ſubſtantia ſemel ponatur immediatè effectiua, fruſtrà admittuntur accidentia, quod eſt falſum, quia ſubſtantia conſtituitur operatiua mediantibus potentijs, quibus operatur; ergo potentiæ non poſſunt eſſe identificatæ cū anima.

Probatur 4. quotieſcumque corrumpitur vnum manente altero, illa duo ſunt realiter diſtincta; ſed corruptâ potentiâ remanet anima; ergò potentia, & anima ſunt realiter diſtinctæ; maior eſt certa, minor probatur, corruptâ potentiâ viſiuâ remanet anima; ideò enim aliquis dicitur cæcus, quia amittit potentiam, aliter dormiens diceretur cæcus, quia tunc anima non exerceret operationes viſiuas; quod eſt falſum.

Prætereà illud, quod non poteſt prædicari in recto de alio, eſt ab illo realiter diſtinctum; ſed anima non poteſt prædicari de potentiâ in recto; ergo ſunt realiter diſtinctæ; probatur minor, non poteſt dici potentia imaginatiua eſt anima; potentia appetitiua eſt anima, &c. Sicuti benè dicitur, rationale eſt animal; ergo potentia eſt realiter diſtincta ab anima.

Ad rationem primæ ſententiæ; Reſpondeo negando antecedens, neceſſitas enim eſt, quia ſubſtantia ex ſe non eſt completè potens, ac proindè requirit virtutem ſuperadditam; auctoritas diſtinguendi potentias ab anima eſt Ariſtot. Sanctus Thom. Gal & alij.

Obijcies, potentia, quæ eſt accidens, immediatè producit effectum; ergo multò magis ſubſtantia, ideſt anima, quæ eſt per-

perfectior accidente, Reſp. negando conſequentiam, quia ſubſtantia non eſt immediatè actiua.

Obijcies ſecundò, ſi potentia eſſet realiter diſtincta ab anima, Deus poſſet auferre potentiam viſiuam, exempli gratia, & ponere in lapide, & ſic lapis euaderet videns, quod eſt falſum.

Reſpondeo, etiamſi Deus ponat animam viſiuam in lapide, lapis tamèn non euaderet videns; primò quia non eſt capax viſionis. Secundò quia deeſſet anima, quæ eſt cauſa principalis viſionis.

Obijcies tertiò, potentia paſſiua materiæ, non eſt realiter diſtincta à materia; ergo neque potentia actiua debet eſſe diſtincta realiter.

Reſpon. transeat antecedens, & nego conſequentiam, quia materia, cum debeat facere vnum per ſe cum forma, illam debet immediatè recipere. Secundò, quia potentia paſſiua eſt ordinata ad perficiendam intrinſecè ſeipſam; potentia verò actiua ad perficiendum aliud à ſe diſtinctum; ideò actiua debet eſſe realiter diſtincta, non verò paſſiua, licet etiam potentia paſſiua proxima materiæ ſit accidentalis, & ab ea realiter diſtinctam.

Dico ſecundò, potentias animæ retionalis, ideſt intellectum, & voluntatem non diſtingui realiter ab ipſa anima. Probatur ſi potentiæ animæ rationalis eſſent realiter diſtinctæ ab anima, eſſent ab ea ſeparabiles; conſequens eſt falſum, ergo & antecedens; probatur ſequela, ſignum conuertibile diſtinctionis realis eſt ſeparabilitas: nam ſunt ſeparabilia, ergo realiter diſtincta, ſunt realiter diſtincta; ergo ſeparabilia.

ARTI-

ARTICVLVS III.

An potentiæ inter ſe realiter diſtinguantur?

Dico, potentias materiales, ſeù organicas inter ſe realiter diſtingui. Probatur, quia quotieſcumque vno corrupto remanet alterum, illa duo ſunt realiter diſtincta; ſed corrupta vna potentiâ, remanet altera; ergò ſunt inter ſe realiter diſtinctæ; maior eſt certa; minor probatur, orbato oculo, E.G. potentiâ videndi, remanet potentia auditiua, vt experientia docet, ergo corrupta vna potentia, remanet altera.

Probatur 2. potentiæ diuerſificantur, & diſtinguuntur realiter per diuerſitatem obiectorum, & modi tendēdi, ſeù operandi; ſed obiecta potentiarum, earumque modi operandi ſunt omninò diuerſi, vt ex ſe patet; ergò & potentiæ ſunt diuerſæ, & diſtinctæ realiter inter ſe. De potentijs immaterialibus, ſeù inorganicis, vt eſt intellectus, & voluntas eſt magna controuerſia inter Tho. & Scotis. Thomiſtæ enim volunt, quod ſint inter ſe realiter diſtinctæ. Scotiſtæ, quod ſint ſolum formaliter diſtinctæ, quam quæſtionem, nos agentes de intellectu, & voluntate in tractatu de anima rationali, determinabimus.

Dices, cum aliquis orbatur viſione, potentia viſiua remanet in oculo, ſed non operatur propter defectum organi læſi.

Sed contrà eſt, ideò enim oculus dicitur orbatus potentiâ videndi, quia potentiam amiſit; nam priùs erat potens videre, quia habebat potentiam videndi; deinde redditur impotens, quia amiſit ſuam potentiam, ſicuti album E.G. etiam potens diſgregare viſum, quin amittat albedinem; ergò & oculus non poteſt euadere cæcus, quin amittat potentiam videndi; præterea ſi potentia maneret in oculo, exiſteret otioſa, quod eſt falſum.

Quæres, an in qualibet parte corporis ſint omnes potentiæ?

Reſp. quaſdam potentias eſſe in toto corpore, vt eſt nutritiua, augmentatiua, ſenſitiua, motiua, & aliæ; quaſdam verò

eſſe

eſſe ſolum in ſuo peculiari organo, vt potentia viſiua in oculo; auditiua in aure. Nos agentes de potentijs in particulari, vnicuique ſuum proprium locum aſſignabimus; & ratio tamen eſt; ſi omnes potentiæ eſſent in qualibet parte corporis, vt quidam opinantur, potentia viſiua E.G. eſſet in toto corpore, & dum aliquis euaderet cæcus, nihil amitteret, cum haberet illam potentiam in alijs partibus corporis, quod eſt falſum. Prætereà omnes potentiæ iacerent otioſæ; carerent enim ſuis operationibus, quæ ſunt finis ipſarum, quod eſt falſum; philoſophi colligere ſolent potentias, earumque ſubiecta ab earum operationibus; operationes potentiæ viſiuæ E.G. apparent in oculo; ergò ibi tantùm inhæret, & potentia viſiua, & non in omnibus partibus corporis.

ARTICVLVS IV.

In quo ſubiectantur potentiæ Animæ.

DVbitatur hic, an ſubiectum inhæſionis potentiarum ſit ipſa anima, an corpus, an verò totum conflatum, ſeu compoſitum ex anima, & corpore. Omiſſis varijs opinionibus, breuitatis gratiâ.

Dico primò, potentias animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ recipi in toto compoſito ex anima, & corpore.

Probatur primò ex Ariſt. qui in lib. 1. de ſomno & vigilia c. 1. ait eiuſdem ſubiecti eſt potentia, cuius eſt actus; ſed actus, ideſt operationes animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ ſunt in toto compoſito; ergò & ipſæ potentiæ: & in lib. de ſenſu, & ſenſili cap. 1. idem Philoſophus ait, ſentire non eſt animæ, neque corporis, ſed totius; ergò totum eſt ſubiectum inhæſionis potentiarum.

Probatur ſecundò, potẽtiæ animę vegetatiuæ, & ſenſitiuæ ſunt materiales; ergò recipi debent in ſubiecto materiali; ſed hoc ſubiectum non eſt ſolum corpus, alioquin maneret in corpore poſt corruptionem animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, quod eſt falſum, neque ſunt ipſæ animæ, quia orbato oculo viſione E. G.

ma-

maneret potentia viſiua in anima otioſa, quòd eſt inconueniens, fruſtrà enim datur potentia, quæ non reducitur ad actum, dicit Ariſt., ergò ſubiectum inhæſionis harum potentiarum eſt totum compoſitum ex anima, & corpore.

Probatur tertiò, poſſe operari non eſt ſolius corporis, neque ſolius animæ, vt ex ſe patet; ergo eſt totius compoſiti; ergò potentiæ ſunt inhæſiuè in compoſito, quod reddunt potens operari.

Dices accidentia materialia ſubiectantur in materia prima; ergò & ipſæ potentiæ.

Reſp. concedo antecedens, & nego conſequentiam; diſparitas eſt, accidentia materialia cum ſint diſpoſitiones materiæ ad recipiendam formam, debent in illa immediatè recipi, potentiæ, cum ſupponant, animam eſſe in materia à qua, anima efluunt, debent recipi in compoſito animato, & non in materia.

Dico ſecundò, potentias animę rationalis, ideſt intellectum, & voluntatem eſſe in ipſa anima rationali.

Probatur p. quia operationes animæ rationalis ſunt in ipſa anima; ergò, & ipſæ potentiæ animæ ſunt in anima; probatur antecedens, quia ſi intelligere miſceretur cum corpore, eſſet corporeum, & materiale, quod eſt falſum, vt multoties ſuperiùs fuit probatum.

Probatur ſecundò, anima intellectiua habet eſſe per ſe; ergò potentiæ illius non dependent à corpore, aliter eſſent materiales. Confirmatur ex Ariſt. qui in 2. de gener. animal. probat intellectum non educi ex potentia ſeminis, quia inquit actiones intellectus non communicantur corpori. Præterea intellectus intelligit omnia materialia, & immaterialia; ſi ergò eſſet in toto tanquam in ſubiecto non poſſet intelligere, niſi materialia, & deſtructo toto deſtrueretur, & ipſe intellectus, quòd eſt abſurdum.

Dices, communiter dicitur, homo intelligit, non anima; ergò homo eſt ſubiectum intellectus, non anima.

Reſp. homo eſt ſubiectum denominationis, intellectus nõ inhæſionis, quia homo intelligit per animam, quam habet in ſe.

Dices, anima rationalis eſt in toto corpore; ergò & eius potentiæ.

Reſp. negando conſequentiam, quia potentiæ animæ non ſequuntur animam, ſed effluunt ab ipſa, prout habet eſſe per ſe, & antequam vniatur corpori; ideoque ſunt in anima; & non in corpore, licet merè per accidens dici poſſit, quod ſint in corpore, quatenùs nimirum anima, in qua inſunt, recipitur in corpore.

ARTICVLVS V.

De origine Potentiarum.

IN hoc artic. tria quærimus, primum an potentiæ educantur de materia prima. Secundò, quæ earum cauſa efficiens; tertiò, à quo organo educantur.

Quoad primum quæſitum. Dico, potentias materiales educi a materia, non tamen a materia prima præcisè, ſed a materia prima, quatenus includit formas partiales, vt potentia viſiua E.G. educitur ex pupilla, quatenùs totum ſubſtantiale eſt cōſtans ex materia prima, & forma propria ſubſtantiali partiali, quia adęquatum ſubiectum non eſt ſola materia prima, ſed materia prima cum forma partiali.

Dico ſecundò, potentias immateriales, vt eſt intellectus, & voluntas non educi de potentia materiæ, aliter eſſent materiales, & corruptibiles, ſed influi ab anima rationali, & in ea recipi, vt ſuperiùs probatum eſt.

Quoad ſecundum quæſitum. Dico, animam eſſe cauſam effectiuam potentiarum; & de hoc nulla eſt dubitatio, dubitatur ſolum, in quo genere cauſæ anima caùſat potentias.

Dico, animam quodam modo poſſe dici cauſam potentiarum in triplici genere cauſarum; poteſt enim dici cauſa materialis, quia potentiæ recipiuntur in toto actuato, quod eſt compoſitum ex anima, & corpore. Poteſt dici cauſa finalis, non tamen vt finis, cuius gratia, ſed vt finis cui. Poteſt dici cauſa efficiens, quia concurrit effectiuè, vndè potentiæ dicuntur proprietates

ani-

animæ, & non corporis, etiamſi educantur ex corpore, quia corpus ſe habet merè paſſiuè, non poteſt dici, quod anima ſit cauſa formalis potentiarum, quia ſubſtantia non poteſt eſſe forma accidentis.

Quoad tertium quæſitum Gal.5. de vſu partium cap. 2. & 3. & lib.3. contra Chriſippum ait; potentiam nutritiuam oriri ab hepate, vitalem à corde, animalem à cerebro, quod probat varijs rationibus, & experientijs.

Prima, læſo enim, inquit, cerebro læduntur facultates ſenſitiuæ, & motiuæ. Secundò inde educuntur, vbi operantur; ſed operantur in cerebro; ergò educuntur a cerebro, & in eo exiſtunt. Tertiò ſomnus impedit facultatem ſenſitiuam, quod impedimentum ſit in cerebro grauando caput, & non in corde.

Quarto, dùm principes facultates perturbantur in ſuo naturali ſtatu, applicantur remedia cerebro ad corrigendam eius intemperiem, qua correcta reddunt ad priſtinam ſuam naturalem perfectionem: eodem modo philoſophatur de facultatibus vitalibus in corde, & naturalibus in hepate, vbi affert multas alias rationes, & experientias contra Ariſt. quarum aliquas nos ſuperiùs attulimus ad probandum, animam ſenſitiuam reſidere in capite.

Ariſtoteles 2. de partibus animalium cap.7. de cerebro, in libello de ſenſu, & ſenſili cap.1. de ſomno, & vigilia, alijſque pluribus locis docet, omnes potentias originem ducere à corde, ad quod probandum affert varias rationes, quæ nihil probant, quia Ariſt. nititur fundamento falſo, quòd nimirùm venæ, & nerui originem ducant à corde: quod hoc fundamentum ſit falſum, iam alibi fusè probauimus multis rationibus, & experientijs. Ego quidem nè idem toties repetam, agens de potentijs in particulari, ſingillatim aſſignabo organa, ex quibus educuntur, & in quibus exiſtunt, atque operantur; quantum verò facit ad rem præſentem. Dico cum Gal. potentias animales oriri à cerebro, vitales à corde, & naturales ab hepate, vt in ſuo loco fusè probabo.

ARTICVLVS VI.

An potentiæ ſpecificentur per actus, & an actus ſpecificentur per obiecta.

QVoad primum quæſitum, ſciendum eſt, vnum ſpecificari ab alio, non eſſe,vnum eſſe, vel fieri eiuſdem ſpeciei cum alio,cum hoc ſit impoſſibile,ſed propriè vnum ſpecificari ab alio eſt ità vnum eſſentialiter dependere ab alio,vt nullo modo poſſit concipi ſine illo; vndè non ſufficit ad ſpecificationem vnius ab alio quæcumque eſſentialis dependentia; ſed prætereà requiritur, quod ſpecificatiuum ſit de conceptu eſſentiali ſpecificati: proptereà homo E.G.etiamſi eſſentialiter dependeat à Deo,quia tamen Deus non eſt de conceptu eſſentiali hominis, non dicitur, homo ſpecificari à Deo;his adnotatis,omiſſis controuerſijs Scotiſtarum, qui negant,potentias propriè ſpecificari à ſuis actibus.

Dico breuiter, potentias ſenſitiuas, & rationales propriè ſpecificari à ſuis actibus.

Probatur primò ex Ariſt. qui 2. moralium eudemiorum c.4. ait, potentias ſe habere,ſicuti habitus ad actus; ſed habitus apud omnes ſpecificantur ab actibus;ergò & potentiæ:& 5.met.tex.17. potentiam definit in ordine ad actum; ergò non poteſt concipi ſine ſuis actibus,& conſequenter ab illis ſpecificatur.

Probatur ſecundò,illud eſt eſſentiale ſpecificatiuum rei, ſine quo res concipi non poteſt; ſed potentia concipi non poteſt ſine actibus; ergò potentiæ ſpecificantur ab actibus.

Dices, potentia exiſtere poteſt ſine actibus; ergò potentia non dependet eſſentialiter a ſuis actibus.

Reſpondeo, concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia illud non poteſt exiſtere ſine alio, quod dependet eſſentialiter in fieri, & conſeruari ab illo; at verò potentiæ licet eſſentialiter dependeant ab actibus, non tamen in fieri, & conſeruari, cum hoc habeant ab anima, ſed ſolùm, quia a natura ſunt inſtitutæ in ordine ad actus, tanquam media ad finem, ſine

quibus,

quibus non poſſunt concipi; poſſunt tamen exiſtere, vt patet in potentia viſiua, quæ inter dormiendum exiſtit, non exiſtentibus actibus videndi; ſufficit enim quod actus ſint poſſibiles.

Dices, potentiæ animæ vegetatiuæ non ſpecificantur eſſentialiter ab actibus; ergò neque potentiæ animæ ſenſitiuæ, & rationalis.

Reſpondeo, tranſeat antecedens, & nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia potentiæ vegetatiuæ non ordinantur eſſentialiter ad operationem præcisè, ſed ad terminum operationum, qui remanet in facto eſſe, qualem terminum non habent potentiæ animales, & rationales.

Quoad ſecundum quæſitum: breuiter dico actus ſpecificari per obiecta formalia.

Probatur primò, actus non poteſt concipi ſine ſuo obiecto formali; ergò ſpecificatur ab illo.

Probatur ſecundo, diuerſorum obiectorum diuerſi ſunt actus; perfectioris obiecti perfectior eſt actus, & ſi impoſſibile eſſet obiectum, implicarent & ipſi actus; ergò actus ſpecificantur à ſuis obiectis formalibus.

PARS

PARS SECVNDA.

DE ANIMA VEGETATIVA.

POſtquam egimus de Anima in communi, agere aggredimur de ſpeciebus ipſius animæ, incipiendo ab Anima vegetatiua; tùm quia eſt magis generica reſpectu aliarum, cùm non ſolùm cõueniat animalibus rationalibus, & irrationalibus, ſed etiam plantis, tùm quia omnes aliæ animæ nempè ſenſitiua, & rationalis eam præſupponũt. Anima vegetatiua definitur hìc ab Ariſt. ſic: Anima vegetatiua eſt illa, quæ eſt generatiua alterius, quod eſt eiuſdem ſpeciei cum ſuo generante; potentiæ animæ vegetatiuæ communiter ſeptem aſſignari ſolent, quarum tres ſunt principales, quatuor famulares, Nutritiua, Augmentatiua, Generatiua, & iſtæ dicuntur principales. Attractrix, Retentrix, Concoctrix, & Expultrix, & iſtæ dicuntur famulares. Antequàm iſtas potentias explicemus, explicanda ſunt vita & mors, & ad eas pertinentia.

Digitized by Google

DISPVTATIO I.

De Vita, & Morte.

QVoniam vita, ſeu viuere ſit effectus animæ vegetatiuæ, & præcedens omnes eius potentias, & operationes, cum ſit principium, & origo operationum viuentium, priùs de vita, deindè de alijs potentijs, & operationibus animæ vegetatiuæ eſt nobis agendum.

QVAESTIO I.

De Vita.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex ſit Vita.

VITA, ſeù viuere multipliciter accipi ſolet. Primò accipitur prò operatione cuiuſcumque rei, in quo ſenſu loquens Ariſt.8. Phyſic. ait, motum eſſe vitam rerum omnium.

Secundò accipitur pro omni eo, quod exiſtit, & operatur independenter à materia, quâ ratione Deus, & Angeli dicuntur viuere: vt patet ex Ariſtotile primo Cæli tex.100. & 12. Met. tex.131. & 10. Ethi. cap.8.

Tertiò accipitur pro omni eo, quod ſe ipſo mouetur, in quo ſenſu argentum viuum & aquæ fluentes dicuntur viuere.

Quarto accipitur prò duratione vitæ, in quo ſenſu loquens Hippocrates primo Aphoriſmorum tex. primo ait ars longa, vita breuis.

Quinto propriè, & rigoroſè accipitur pro vita ſolùm viuentium, vt patet ex Ariſtotile primo de Anima, in qua acceptione vita definitur ab Ariſtotele lib.1. de Iuuent. & Seneſt. cap.14. ſic

ſic vita eſt manſio animæ in corpore calido, & humido.

Controuerſia eſt inter Auctores, in quonam conſiſtat ipſa eſſentia vitæ. Quidam enim dicunt, eſſentiam vitæ conſiſtere in ipſa ſubſtantia animæ. Sed iſti malè dicunt; quia defacto datur, & exiſtit anima Adami,& tamen defacto Adam non dicitur viuere; ergò non conſiſtit in ipſa ſubſtantia animæ.

Quidam alij dicunt, vitam conſiſtere in operationibus animæ; ſed neque iſti benè dicunt. Primò,quia dùm aliquis haberet animam, & non operaretur, diceretur mortuus. Secundò, dùm aliquis haberet operationes vegetatiuas, & non ſenſitiuas, vt contingit in ſomno, non diceretur animal; quia non haberet vitam animalis; quæ omnia ſunt falſa; ergò eſſentia animæ non conſiſtit in operationibus animæ.

Dicendum ergò eſt, cum Ariſt. eſſentiam vitæ conſiſtere in ipſa permanentia animæ in calido, & humido. Probatur ex Ariſt. loco ſupra citato lib.1. de Iuuent. & Senect. vbi definiens vitam, ait, conſiſtere in calido, & humido. Aduertendum eſt quandò Auctores dicunt, vitam conſiſtere in operatione intelligendi, ſunt de vita in actu ſecundò, non verò in actu primò. Viuere enim non eſt vita, ſed ſequitur ad vitam.

Quæres quidnam intelligatur hìc nomine calidi & humidi?

Reſpondeo nomine calidi intelligitur calor natiuus, & nomine humidi, humidum radicale. Calor natiuus quantum facit ad rem præſentem,eſt quidam calor ab ortu à parentibus in ſingulis partibus corporis genitus,& præcipuè in corde impreſſus ad exercendas operationes vitæ, de quò infra fusè agemus.

Humidum radicale eſt quoddam humidum, quod eſt ab ortu à parentibus in ſingulis partibus corporis genitum ad conſeruandas illas humidas, propter quam humiditatem partes calorem natiuum ſubſtentare poſſint.

Pro perfecta intelligentia vitæ, caloris natiui, humidique radicalis, afferam exemplum, quo vita, ſeù viuere optimè explicari poteſt ad ſimilitudinem lampadis ardentis: nam ſicuti, vt lampas ſit ardens,multa requiruntur. Primò eſt Elychnium, quod in ſe flammam concipit. Secundò requiritur Elychnio

quæ-

quædam ſubſtantia aerea, & humida propter quam Elychnium concipit flammam. Tertiò requiritur ipſa flamma. Quartò, requiritur oleum nutriens Elychnium accenſum. Quintò, requiritur aer extrinſecùs ambiens, qui flammam fouet. Sexto, requiritur emicatio flammæ, ſeù lumen vndequaque emiſſum. Totidem quidem requiruntur etiam adhoc, vt aliquod corpus ſit viuens, loco enim Elychnij in corpore viuente ſunt partes corporis; vt ſunt caro, oſſa, & aliæ; loco ſubſtantiæ aereæ propter quam Elychnium concipit flammam in viuente, eſt humidum radicale, propter quod partes corporis viuentis concipiunt calorem natiuum; loco flammæ in viuente eſt calor natiuus; loco olei ellychnium nutriētis in animali ſunt quatuor humores alimentarij, nempè ſanguis, bilis, pituita, & melancholia, qui nutriunt humidum radicale, ſeù partes corporis viuentis; loco aeris flammam fouentis, eſt aer, qui per inſpirationem in pulmones attractus fouet, & conſeruat calorem natiuum; loco emicationis flammæ, eſt emicatio caloris natiui, vel ſpirituum influentium, qui à corde ad ſingulas partes corporis mittuntur ad excitandas facultates, & ſpiritus inſitos.

Præterea ſicut in lampade exareſcente Elychnio, ſeù deficiente ſubſtantiâ, illa aerea extinguitur flamma, cum amplius conſeruari non poſſit, licet effundas perfectiſſimum oleum, vt patet, in cremato elychnio, quod ardore flammæ exſiccatum, nulla induſtria amplius reſarciri poteſt. Ità & in corpore viuente, exareſcentibus partibus corporis, vel deficiente humido radicali, calor natiuus, cùm ampliùs ſuſtentari non poſſit, extinguitur, cuius caloris natiui extinctio mors dici ſolet.

Quæres quomodo diſſipetur, & abſumatur humidum radicale, & extinguatur calor natiuus?

Reſpondeo duplici modo abſumi humidum radicale. Primò, humidum radicale, cum ſit pabulum caloris natiui, in illud perpetuò calor natiuus agendo, perpetuò aliquid illius diſſipat, vt patet ex Gal.2.aphoriſ.com.2.vbi ait proceſſu ætatis noſtra corpora à noſtro calore exſiccari. Secūdò humidum radicale, & ipſe calor natiuus abſumuntur; quia ad ſuam reſtaurationem nituntur, alimenta ad ſe conuertere.

Digitized by Google

Omne enim agens agit, vt aſſimilet ſibi paſſum: agendo igitur, & reagendo in alimentum ab illa actione, & reactatione patiuntur. Omne enim agens in agendo patitur, inquit Ariſt. Vnde ſenſim debilitantur, abſumuntur, ſuaſque virtutes amittunt. Virtus conuerſiua alimenti in ſubſtantiam corporis in primis ætatibus eſt adeo fortis, & valida, vt poſſit conuertere ex alimẽto, non ſolum quantum ſufficit ad reſtaurationem deperditi, ſed etiam ad augmentum. Succeſſu verò ætatis, non poteſt conuertere, niſi quantum ſufficit ad reſtaurationem deperditi. Ideoque in vltimis ætatibus ſequitur diminutio corporis, ſicuti in primis ſequitur augmentatio: in media verò ætate corpus viuentis perſeuerat eſſe ſine diminutione, atque augmentatione.

Ex hoc colligimus, quod ſi in Embrione, vel puero ſit quatuor gradus humiditatis, E.G. & ſiccitatis, quatuor caloris, & quatuor frigoris, in iuuentute ſunt E.G. quinque ſiccitatis, & tres humiditatis, quinque frigoris, & tres caloris, & ita vſque ad ſenectutem decreſcente humiditate, creſcit ſiccitas, & decreſcente calore, creſcit, & frigus.

In ſenectute igitùr ſunt ſeptem gradus ſiccitatis, & vnus humiditatis ſeptem frigoris, & vnus caloris.

Tandem ità exareſcit textura corporis, vt ampliùs calor natiuus ſubſtineri non poſſit, ſicuti in cremato ellychnio flamma conſeruari non poteſt. Vnde ſequitur extinctio caloris natiui, & ipſa mors.

Dices. Iuuenes pueris robuſtiores ſunt; ſed robur prouenit à calore natiuo; ergò plus caloris natiui eſt in iuuenibus, quam in pueris.

Reſpondeo concedo maiorem, & diſtinguo minorem; robur prouenit à calore natiuo aſſociato, cum ſiccitate concedo minorem, cum humiditate, nego minorem, & conſequentiam calor enim natiuus in pueris cùm impediatur ab humiditate, non poteſt producere illos effectus, quos producit cum ſiccitate: nam humiditas membra corporis facilè flexibilia, reddit, & ſiccitas difficilè flexibilia. Ideo iuuenes robuſtiores ſunt, non quia habeant plus caloris natiui.

Confirmatur ex Theophraſto noſtra ſententia, qui lib. de hiſt. plant.

plant. ait: in plantis eſſe humidum inſitũ, ſicuti, & in animalibus, quod dùm incipit abſumi, diminutio, & ſenectus initium ducunt; dum verò iam eſt abſumptum, & diſſipatum ſequitur extinctio, & mors.

Confirmatur prætereà experientia; quia ligna, quæ priùs exſiccantur, deinde exciduntur; difficilè comburuntur: ligna verò, quæ priùs exciduntur, deinde exſiccantur, facilè comburuntur.

Ratio huius rei eſt; quia in lignis, quæ priùs exſiccantur, deinde exciduntur, cùm ſit à calore, & ſiccitate intrinſeca diſſipatum humidum radicale, quod eſt pabulum flammæ, & ignis, difficillimè comburuntur; in illis verò lignis, quæ priùs exciduntur, deinde exſiccantur per calorem; & ſiccitatem extrinſicam non eſt diſſipatum humidum radicale, ſed ſolùm humidum aduentitium, ideoque facilè flammas concipiunt, & facilè comburuntur.

Simile patet in carne bouis, & vituli: nàm caro bouis, quantumuis benè habentis, & pinguiſſimi, tardiùs coquitur, quàm caro vituli, quantùmuis macilentis, & ſtrigoſi; quia caro vituli habet humidum radicale, quod eſt pabulum caloris, & ignis: caro verò bouis non habet tale ignis pabulum, ideſt humidum radicale, licet habeat nimis tamen paucum, cum in eo propter proceſsum ætatis abſumptum ſit.

Dices humidum radicale perpetuò nutritur, & reſtauratur per humores alimentarios; ergo non abſumitur, & deficit.

Reſpondeo tranſeat antecedens, & nego conſequentiam; quia licet omnes partes corporis trahant ad ſe alimentum, ſeu humidum ſibi conueniens, E.G. oſſa ex alimento trahant duriorem ſubſtantiam, vt illam in ſe conuertant, & partes mollieres, vt ſunt caro, venæ, membranæ, & aliæ, trahant molliores partes alimenti, illud tamen humidum, quod continetur in illa ſubſtantia alimenti attracti, non eſt adeò perfectum, cum non ſit pingue, & aereum, ſicuti eſt humidum radicale; ideò facilè abſumitur, quo abſumpto deficit & humidum radicale, & extinguitur calor, vt agentes de tranſitu à ſenectute ad iuuentutem, probabimus; calor natiuus, licet reperiri poſſit alimentum, quod

producat humidum æquæ perfectum, ac humidum radicale; quod tamen non eſt in vſu, cum vnuſquiſque videtur ſatisfieri commune alimentorum vſu.

Præterea ſicuti imperfectum oleum flammam in lampade malè nutrit, & praue conſeruat, eamque facilè extinguit, ità etiam humidum de nouo ex alimenti ſubſtantia acquiſitum, cum ſit imperfectum, ideſt aqueum, & non aereum, malè paſcit calorem natiuum; vndè oritur, vt generentùr variæ ægritudines, & conſequens mors.

Dices ſecundò, iuxta hanc doctrinam primi Parentes in Paradiſo Terreſtri etiamſi non peccaſſent, adhuc morirentur, cum in illis abſumeretur humidum radicale, & extingueretur calor natiuus; ſed hoc eſt contra ſacram Scripturam, quæ expreſsè docet, mortem genitam eſſe ab ipſo peccato; ergò falſa eſt allata doctrina.

Reſpondeo negando ſequelam; quia in Paradiſo Terreſtri Deus præbuit primis Parentibus efficaciſſimum remedium mortis, nempè prębuit illis pro cibo lignum vitę, quod habebat virtutem conſeruandi humidum radicale, & calorem natiuum ſine vlla læſione à quacunque actione, & contrario: adueniente verò peccato primi Parentes expulſi à Paradiſo terreſtri amiſerunt lignum vitæ; vndè ſecuta fuit mors, quæ priùs impedita erat ligno vitæ.

Ad confirmationem huius rei omiſſis varijs auctoritatibus Cardani, Scalig. aliorumque Philoſophorum affero ſolum ſancti Auguſtini, qui lib.4. de Ciuitate Dei; loquens de primo Parente ait: in paradiſo terreſtri aderat cibus, nè eſuriret, aderat potus, nè ſitiret, & aderat lignum vitæ, nè eum ſenectus conſumeret, vndè in paradiſo terreſtri non erat mors, non quia homines ex ſe erant immortales, aliter mors eſſet violenta homini, quod eſt falſum; ſed quia lignum vitæ impediebat mortem per conſeruationem humidi radicalis, & caloris natiui.

ARTI-

ARTICVLVS II.

De cauſis longitudinis vitæ.

LOngitudo, & breuitas vitæ hominis pendet ex cauſis illi intrinſecis; pro quarum intelligentia. Sciendum eſt, alias ſſe cauſas viuendi, alias eſſe cauſas diu viuendi; cauſa enim iuendi eſt ipſa anima, ſeu manſio Animæ in corpore: cauſæ verò diù viuendi ſunt diſpoſitiones corporis, nempè humidum raicale, & calor natiuus.

Sciendum eſt prætereà, non eſſe idem viuere ſanum, ac eſſe ongioris vitæ: nam poteſt contingere, quòd aliquis viuat ſaus, & tamen ſit breuioris vitæ; & è contra, poteſt contingere, t aliquis viuat æger, & tamen ſit longioris vitæ.

Ratio huius rei eſt; quia ſanitas conſiſtit in ſola proporione qualitatum: diù verò viuere conſiſtit in quantitate, ſeù bundantiâ qualitatum, nomine qualitatum hìc intelligitur umidum radicale, & calor natiuus; poteſt enim contingere, t in aliquo homine, vel quocumque alio animali, (quidquid nim dico de homine, dicendum de quocumque alio animali) alidum, & humidum ſint exigua, ſed benè proportionata, quæ ona proportio humidi, & calidi eſt cauſa, vt ille homo, vel nimal viuat ſanum; & paucitas humidi, & calidi eſt cauſa, t parum viuat: ſi verò qualitates non ſint bene proportionaæ, ſed tamen ſint abundantiores, propter improportionem ualitatum homo viuit æger, & propter illam abundantiam arundem qualitatum multum viuit.

Cauſę lõgitudinis, & breuitatis vitę alię ſunt intrinſecę, & alię xtrinſecæ. Auerroes duas affert cauſas intrinſecas longitudinis itæ. Primam ait eſſe, dominium qualitatum actiuarum ſuper aſſiuas; ideſt dominium caloris, & frigoris ſupra ſiccitatem, & humiditatem; quia inquit; dum qualitates actiuæ dominanur in qualitatibus paſſiuis viuens diù viuit. Hoc tamen dominium qualitatis actiuæ ſupra paſſiuam non debet intelligi in

gra-

gradu, ſed in virtute continendi. Secundam cauſam longitudinis vitæ ait eſſe bonam proportionem reliquorum membrorum ad cor; quia ſi pulmo E. G. ſit grauior, cor non benè refrigeratur, ſi hepar non ſit benè affectum cor patitur, & conſequenter animal non poteſt diù viuere.

Ariſtoteles lib. de cauſ. longitutinis, & breuitatis vitæ ait, cauſas longitudinis vitæ eſſe magnam copiam humidi, vbi maiora animalia, inquit eſſe longioris vitæ minoribus, & maiores plantas eſſe longioris vitæ minoribus.

Rationem ait eſſe; quia maiora animalia habent plus humidi radicalis, quàm minora; & maiores plantæ poſſident plus humidi radicalis, quàm minores: quod humidum ideo eſſe debet multum, vt nè citò abſumatur, & partes corporis citò exſiccentur, & præterea hoc humidum ſecundum qualitatem debet eſſe pingue, & aereum; quia cum ſit pabulum caloris natiui debet illum benè paſcere, atque conſeruare: humidum enim aqueum cum ſit frigidum, & pinguedine carens malè nutrit calorem natiuum, illumque prauè conſeruat, vt patet in oleo imperfecto, quod non ſolùm non benè nutrit flammam, ſed illam extinguit. Confirmatur experientiâ; nam ſues ſunt pinguiores mulo, & equo, alijſque pluribus animalibus; ſunt tamen illis breuioris vitæ, non niſi quia pinguedo eorum non eſt aerea, ſed aquea.

Neque ſufficit ad longitudinem vitæ abundantia humidi radicalis, & eſſe pingue, & aereum, ſed præterea requiritur, vt calor ſit aliquo modo proportionatus; quia ſi ſit nimis paucus, facilè extinguitur, ſi multus, citò diſſipat humidum radicale.

Propter hanc rationem Ariſt. ait, hominem eſſe longioris vitæ pluribus maioribus animalibus, quæ deficiunt, vel in quantitate humoris, vel in proportione cum calore.

Galenus affert duas alias cauſas longitudinis vitæ, primam ait eſſe bonam ſumptionem cibi, eiuſque eiectionem. Secundam cauſam, ait eſſe, vti oleo, & hoc intrinſicè & extrinſecè, bonũ eſt inquit, intrinſecè vti oleo; quia oleum cum habeat humorem pinguem, & aereum, facilè, ac benè conuertitur ad humidum

humidum

nidum radicale, & conſequenter fit bonum pabulum coloris natiui.

Bonum, inquit, etiam eſſe, vti extrinſecè, ideſt ſe oleo vngere, & ſæpè, quia oleum per ſuam pinguedinem conſeruat illud corpus à ſiccitate,& putredine, & hoc patet ex Ariſt. lib. de cauſis longitudinis vitæ vbi ait: pinguia non putreſcere; intelligendus tamen eſt philoſophus de pinguedine aerea, non verò de quacunque pinguedine, & iſtæ ſunt cauſæ intrinſecæ longitudinis vitæ.

Cauſæ extrinſecæ longitudinis vitæ ſunt multæ, quarum prima eſt Cœlum.

Nomine Cœli non ſolùm intelligimus corpora Cæleſtia, ſed etiam ipſum aerem; bonus enim aer multum confert ad longitudinem vitæ, &c.

Ratio huius rei eſt; quia vti loquitur Hippocr. qualis ſit aer, tales ſunt ſpiritus, tales & humores; quales ſunt humores, tales ſunt partes corporis, & totum corpus; ſi ergò aer ſit bonus, & iſta omnia alia erunt bona; & è contrà.

Confirmatur ex eodem Ariſtotile, qui de aere loquens ait: aerem calidum, & ſiccum multum conferre ad longitudinem vitæ; Intelligendus tamen eſt Philoſophus de aere temperatè calido; quia aer nimis calidus corpora calefacit, ſpiritus diſſipat, vires deijcit, ſudores generat, vrinam minuit, multaque alia mala generat.

Rationem ait eſſe idem Ariſt. cur aer calidus,& ſiccus ſit cauſa longitudinis vitæ: quia mors cum ſit refrigeratio, ideſt extinctio caloris, in locis calidis, & ſiccis, ab aere calido, & ſicco fouetur calor natiuus; conſequenter non refrigeratur. Propter hanc rationem etiam ait; homines in Aegypto, & alijs regionibus calidis eſſe longioris vitæ. Alia cauſa longitudinis vitæ eſt ſol, ſi nimirùm ſol per totam diem aliquam terram reſpiciat, illam habitantes ſunt longioris vitæ: patet ex eodem Ariſtotele, qui 14. problemat. ait, habitantes loca edita,ac aperta, tardiùs ſeneſcere, caua verò, & paluſtria ociùs, quia, inquit, in locis editis, & apertis ſol aerem purgat, qui aer vndique afflans ſpiritus agitat, & aſſiduè nouus,& purus attrahitur;

in

in locis verò concauis, ac paludoſis, cùm ſol omnes partes attingere non poſſit, illas non purgat, & aer immobilis manens, facillimè putreſcit.

Confirmatur ex Ariſtotile loco ſupra citato vbi ait; Serpentes, Lacertę, Scamoſæ, & alia ſimilia in locis calidis maiora eſſe, & diutiùs viuere, quàm in locis frigidis.

Ratio eſt quia in locis frigidis humidum eſt magis aqueum, quod in animalibus facilè eſt congelabile, congelatio autem, vt ait Ariſt. aufert augmentum, & alimentum.

Inter cauſas longitudinis vitæ aſſignari etiam debet ars medica; ratio eſt, quia ſi ſanitas amiſſa arte medicâ recuperari poteſt, multò magis poteſt eam conſeruare, & defferre mortem; vt ait Galenus de ſanitate tuenda.

Secunda ratio eſt, quia humidum radicale abſumptum meliùs reſtauratur arte medicâ, quàm ſine vlla arte; ergò ars medica dici debet cauſa longitudinis vitæ.

Tertia ratio eſt, quia ſi quis ſit colericus, & huiuſmodi humor illius non temperetur, citiùs illi aduenit mors: Si verò ille humor reddatur ad debitum temperamentum, quod fieri poteſt, vt probat ipſe Galenus lib. de ſanitate tuenda; ergo arte medica prolungatur vita.

Dubitatur hic, an arte medica, aut virtute alimentorum dari poſſit tranſitus à ſenectute ad iuuentutem, pro quà dubitatione eſt peculiaris articulus.

ARTICVLVS III.

De tranſitu à ſenectute ad iuuentute.

MVlti hoc negant, quorum quidam ſunt, qui ſua inſcitiâ lætantur, & præter vulgata nihil ſcire deſiderant.

Quidam alij etiam ingenioſi, & viri docti hoc negant, ſine vllo tamen fundamento; concedunt enim difficiliores effectus arte prouenire poſſe, vt ex Argento viuo, & etiam alijs metallis arte confici poſſe verum aurum, multaque animalia viuentia,

ia, licet imperfecta; & negant ſenem iuuenem euadere poſſe, quod eſt multò faciliùs, vt infra probabimus.

Dico arte medicâ, & virtute alimentorum non ſolùm iuuentutem prolongari, ſed etiàm ſenem iuuenem euadere poſſe.

Probatur primò, à paritate effectuum difficiliorum, qui arte fieri poſſunt: nam arte chimica ex argento viuo; & etiam alijs metallis conficitur verum aurum. Arte conficiuntur multa animalia; ergò multò magis arte, & induſtriâ haberi poteſt regreſſus ſenectutis ad iuuentutem. Antecedens licet ſit verum, tamen probatur, ex ſancto Thoma, qui expreſsè docet, fieri poſſe arte chimicâ verum aurum; illud tamen ſoluere, inquit, non licet.

Probatur ſecundò. Exemplis eorum, qui ex metallis verum aurum fecerunt. Arnaldum Villanouanum hìc Romę publicè virgulas aureas confeciſſe teſtantur grauiſſimi Iuriſconſulti. Antonius Pharmacopola Tormiſanus Venetijs coram omnes commutauit Argentum viuum in verum aurum, & quædam eius operis adhùc reperiuntur in Theſauro ſancti Marci Venetijs, & hoc teſtatur Cardanus de ſubtil. lib. de metallis; multiq; alij, qui videri poſſunt apud Derlium lib. 1. de diſquiſ. magiæ, & alios.

Probatur tertiò à paritate; nam calore fornacis educuntur pulli in Aegypto, quod eſt certum apud omnes; ergò, & calore fornacis confici poteſt verum aurum.

Conſequentia. Probatur, quia ſi calor fornacis ſupplet naturam animalis ideſt gallinæ gallinaceæ, cur non poteſt ſupplere naturam terræ ad conficiendum verum aurum, cum omnis calor ſublunaris ſit eiuſdem rationis?

Probatur conſequentia primi Entimematis, quòd nimirùm multò magis ſenex fieri poſſit iuuenis: difficiliùs conuerti poteſt vna natura ſpecifica in aliam, quàm eadē natura ſpecifica perfici, quod eſt, ſenem iuuenem fieri: ſed vna natura ſpecifica arte conuerti poteſt in aliam; vt probauimus, metalla conuerti in aurum; ergò multo faciliùs arte, & induſtriâ ſenex iuuenis euadere poteſt, quod infrà fuſiùs probabimus. Probatur prætereà exemplis multorum effectuum artificialium, qui multò difficiliores, ac mirabiliores ſunt, quàm tranſitus ad iuuentutem;

non nè fuit mirabilior Architæ Tarentini, lignea columba arte ità elaboratâ, vt viuæ colũbæ volatum imitaretur? Non nè fuit mirabilius Alchimedis ſpeculum elonginquò Romanorum claſſem comburens. Alberti Magni caput ligneum humana voce loquens? Lucerna antiquorum, quæ mille, & ſeptingentos annos perpetuò ardens? Nauis illa Mirmicidæ, quæ ornata prora; puppi, clauo, carina, ancora, rudentibus, cordis, remis, cæteriſque omnibus ad perfectam nauim requiſitis; propter ſuam exilitatem Apiculæ pennis tegeretur? currus ille mirabilis, quatuor equis ornatus, qui muſcæ alis; vndiquè operiebatur, multaque alia: quid ergò mirum videtur, ſenem iuuenem euadere, ſi ab arte alia mirabiliora fieri ſoleant?

Probatur ſecundò, noſtra concluſio, quòd nimirùm poſſit dari tranſitus à ſenectute ad iuuentutem, & primò exemplis eorum, qui à ſenectute ad iuuentutem retrogreſſi ſunt.

Valeſcus de Tarantia Illuſtris ſua ætate Medicus lib. 6. Philonij cap. 2. ſcribit, in quodam oppido Regni Valentini Sagunto, ſeu Manuero dicto, fuiſſe Monacam Prioriſſam cuiuſdam Monaſterij, quæ cum ad extremam ſenectutem perueniſſet, denigrata coma, renatis dentibus, reuocato ſanguine menſtruo, pendulis mammis ad modum puellæ factis, in iuuenculam ſit transformata.

Leonardus Lopez, Luſitaniæ Regis, Hiſtoriographus à varijs Luſitaniæ, & Hiſpaniæ in Indias Orientales nauigantibus, fidei dignis confirmatus, refert anno 1536. à Nugno de Acugna Indiarum Prorege in Bengala inuentum fuiſſe ſenem annos tercentos quatraginta natum, qui cum decrepitam ſenectutem quater attigiſſet, toties ad iuuentutẽ retrogreſſus, & tunc ſine rugis, ſine vlla canitie, toto habitu corporis, iuuenilem vitam degebat.

Torquemada dialogo primo horti Floridi refert multas ſimiles hiſtorias eorum, qui poſt decrepitam ſenectutem ità retrogreſſi ſunt ad iuuentutem, vt à ſuis conciuibus non agnoſcebantur, multique alij, quos hìc ſigillatim enarrare erit digreſſio nimis longa.

Probatur tertiò, varijs rebus, quæ habent proprietatem occultam ad talem effectum producendum.

Rodi-

Rodiginus lib. 17. lectione antiq; cap. vltimo ex Aeliano, & Theopompo refert, eſſe duo flumina, quæ Meropum circumdant, vnum dictum voluptatis, alterum mæroris, & triſtitiæ, ex quibus enaſcuntur arbores platani, magnitudinis, quarum fructus ſunt talis virtutis, vt qui fructu veſcantur voluptatis E.G. omni mærore denudantur, & ſi ſint ſenes ad Iuuentutem, ſi Iuuenes ad pueritiam retrocedunt.

Derlio lib. 2. diſquiſitione magiæ ex Cardano, & Chicza refert in Bonica, & Lucaia adeſſe fontes, quorum aqua pota, Senectutem ad Iuuentutem commutant. Multi alij fontes, & flumina narrantur ab auctoribus, huiuſmodi virtutem habentes.

Dices, iſta omnia eſſe fabuloſa, & conſequenter non debemus fidem præſtare allatis auctoribus.

Reſpondeo negando antecedens; quia hac ratione res omnes; habentes virtutes occultas, dicerentur fabuloſæ, non eſt nè mirabilius illud, quod communiter enarratur de aquis in quibuſdam litoribus Oceani prope Scotiam, & Hyberniam, quarum virtute ex fragmentis nauium, in illis aquis putrefactis, generantur aues dictæ apud nos Anſeres? Similiter virtute illarum aquarum, ex quibuſdam arborum fructibus, propè ripam maris exiſtentium, in aquam deciſis, ac putrefactis, generantur ſimiles Anſeres? Quid mirabilius illo, quod dicitur de magnete fugiente ferrum, & attrahente aurum, quid de arbore in Malacca cuius radices ad orientem ſolem vergentes, venenis medentur, quæ verò ad occidentem vergentes, ipſa venena ſunt? De Remora, piſciculo currentem nauim, velis, remiſque actam ſolo carinæ adhæſu, illicò ſiſtente? de Phyrrho, Epirotharum rege digito lienoſis tactu ſonante? de Galliarum Rege tactu ſtrumis medente, de concreto ſanguine interfecti, qui adueniente homicida reſoluitur, ac fluit? quid tandem mirabiliùs vnguento armario, quo illito cultro, vel gladio, vel quouis panno ſanguine vulnerati, tincto medici vulneribus vulnerati, quantumuis diſtantis mederi ſolent; innumeraque alia habentia virtutem occultam, vel Sympathiã, vel etiam Antypathiam producunt effectus mirabiles; attamen à nullo appellantur fabuloſa.

bulofa Si ergò iſta non dicuntur fabuloſa, neque illa, cùm non ſit maior ratio. Præterea Hiſtoricis, & Auctoribus æquè fidem preſtandum eſt de enarratis, vel enim omnes hiſtoriæ dicendæ ſunt falſæ, vel omnes veræ. Ad libitum, & ſine fundamento dicere, has eſſe veras, illas falſas, inconueniens eſt.

Dices iſta certa appello, quia multoties expertus ſum, illa verò non.

Ego reſpondeo, quando, & illa expertus eris, niſi producant dictos effectus, tunc, & non nunc appellabis falſa, & fabuloſa. Eſto tamen, quòd hucuſque dicta ſint fabuloſa, licèt ſint vera; afferendæ ſunt rationes, & auctoritates, quæ fortaſsè negari non poſſunt, quibus elucеſcant etiam hucuſque dicta. ſciendum eſt. Senectutem, vt alibi dixi, conſiſtere in ſiccitate, & frigiditate partium corporis acquiſitis ex abſumptione humidi radicalis, & caloris natiui; ſi igitur probauero, partes ſiccas humectari, & calefieri poſſe per reſtaurationem humidi radicalis, euidenter probauero tranſitum ſenectutis ad Iuuentutem, quo poſito, ſic probatur; dantur plura, quæ ex ſua natura ſunt ſicciſſima, & frigidiſſima, quæ de facto humectantur; ergo multò magis partes corporis per ſenectutem exſiccatæ, humectari, & calefieri poſſunt. Probatur antecedens. Terra ex ſua natura, & eſſentialiter eſt ſicciſſima, & frigidiſſima, & tamen humectatur, & ad aquam tranſmutatur. Adamas Gemmarum duriſſimus, & ſicciſſimus hircino ſanguine molleſcit, & elaboratur. Oſſa noſtri corporis ſolidiſſima, & ſicciſſima ſunt, tamen humectantur, tumeſcunt, & etiam cariem contrahunt, vt patet in morbo gallico, in quo oſſa ab humore acri humectantur, & tumeſcunt; ergò res ſicciſſimæ, & frigidiſſimæ poſſunt humectari. Probatur conſequentia ſi ſuperiùs allata humectari poſſunt, etiamſi nullam in ſe habeant humiditatem, multò faciliùs humectari poſſunt partes corporis, quæ non ſolùm habent aliquid humidi, ſed etiam illud naturaliter appetunt, quem appetitum non habent ſuperiùs dicta,

Probatur, quòd iſta humectatio corporis partium fieri poſſit artificialiter.

Senectus eſt morbus ſimilis febri hecticæ; ſed febris hectica fal-

ſaltem in ſecunda ſpecie, ſeù in ſecundo gradu curari poteſt; ergò, & Senectus curari poteſt; tam maior, quàm minor eſt certa apud omnes, & ab omnibus Medicis conceditur.

Conſequentia patet, cùm ſit par ratio vtriuſque, immò faciliùs curari poteſt Senectus, quàm hectica in ſecundo gradu; & hoc probatur; quia in hectica in Secundò gradu non ſolùm eſt ſiccitas præternaturalis in corde, & in toto corpore impreſſa, ſed etiam calor extraneus qui perpetuò agit, & reſiſtit nè introducatur humiditas, cùm qua eſt incompoſſibilis; ſed in ſenectute non adeſt contrarium agens, & reſiſtens præter ſiccitatem; ergò faciliùs curatur ſenectus, quàm hectica in ſecundo gradu.

Præterea in curatione hecticæ non ſolùm adhibenda ſunt humectantia, ſed etiam refrigerantia; in ſenectute verò ſola humectantia ſufficiunt; quia aucto humido radicali, quod eſt pabulum caloris natiui, neceſſariò augetur calor natiuus; at verò humectatis partibus corporis in hectica non tollitur hectica, cum adhuc remaneat calor præternaturalis.

Dices, Auctores Medici comparant ſenectutem cum hectica in tertiò gradu, cum ſit illi omnino ſimilis; ſed hectica in tertiò gradu eſt incurabilis; ergo & ſenectus eſt incurabilis.

Reſpondeo tranſeat, quòd ſenectus, Maraſmus, ſeù ſilicernium dicta, quæ iſtis temporibus eſt centum annorum circiter, quòd comparetur cum hectica in tertiò gradu, (dixi tranſeat, non quia eſt verum; ſed, vt oſtendam adhuc eſſe curabilem.) Senectus ergò octuaginta annorum ſe habebit, vt hectica in ſecundò gradu; & ſenectus ſexaginta, vel ſeptuaginta annorum circiter ſe habebit, vt hectica in primo gradu, ſed apud omnes hectica in primo gradu facillimè curatur, & in ſecundò gradu curatur, licèt difficiliùs; ergò ſenectus ſexaginta, vel ſeptuaginta annorũ facillimè curatur, & octuaginta annorum etiam curari poteſt, licet difficiliùs; etiamſi non poſſit per ſe curari vltima ſenectus; cur ergò abſolutè negas tranſitum ſenectutis ad Iuuentutem?

Dices, diſparitatem eſſe inter hecticam, & ſenectutem; quia humidum, quod à calore febrili in ſecũdo gradu hecticæ abſumitur, non eſt humidum radicale, cum hoc abſumatur in ter-

Digitized by Google

tio gradu,ſeu ſpecie hecticæ; in ſenectute verò eſt abſumptum humidum radicale, ideò hectica curari poteſt, non verò ſenectus. Sed contra eſt; quia in quocumque viuente datur triplex humidum, alimentare nimirùm, radicale, & elementare: primo loco abſumitur humidum alimentare, ſecundò loco humidum radicale, tertiò loco elementare; quod clarè patet in ligno viridi in igne poſito, cuius priùs effluit, ſeù abſumitur humidum alimentare; deinde incipit flameſcere,& abſumitur humidum radicale, quod eſt pabulum flammæ, ſine quo flamma neque incipere,neque conſeruari poteſt, deinde abſumitur humidum elementare, quandò nimirùm lignum euadit cinis. Idē omninò euenit corpori,febri hectica affecto: nam in primo gradu calor febrilis depopulatur humidum alimentare, & ſimul aliquid radicalis, in ſecundò gradu magnam partem humidi radicalis, in tertiò gradu depopulatur illud humidum,â ſecundò gradu relictum, quod finit depopulari,vndè ſequitur mors.

Confirmatur exemplis plantarum,quæ metamorphoſim hãc, ſeù tranſitum ſenectutis ad iuuentutem nobis manifeſtant: nam exſiccatis ramis, totoque trunco alicuius plantæ, dummodò remaneat aliqua pars radicis viuens, quâlibet induſtriá adhibitâ, itèrum illa planta pullulat, ac iuueneſcit, cur ergò animal ſeneſcens, cuius non ſolum cor, quod habet proportionem cum radice, ſed etiam cætera membra corporis ſunt viua, aliquâ arte, & induſtriâ pullulari,& iterùm iuueneſcere non poſſit?

Probatur prætereà, atque confirmatur exemplis à ſacra Scriptura, & ſanctis Patribus; ideſt à ſanctoAuguſtino, ſancto Hieronymo,ſancto Epiphanio,& alijs.

Nam ceruus dùm peruenit ad quinquageſimum annum inquiunt, ſeneſcit, & cognoſcens ſe ſeneſcentem, percurrit ſyluas,montium, & valles indagando cauernas, in quibus ſerpentes deliteſcunt, quibus inuentis nares cauernæ ſerpentis admouens, vehementiſſimè inſpirando, foras ſerpentem trahit illumque deuorat; ſtatim ob materiam illam venenatam, maximâ ſiti flagrans,ad aquarum fontes decurrit, quod ſi trium horarum ſpatio aquam non inueniat moritur; ſi verò aquæ, potus obtingat, iuueneſcit; decidentibus cornubus, piliſque renoua-

tis,

:, iuuenculus euadit. Denuò quinquaginta annorum ſpatio tam protrahit, & denuò ſeneſcens, iterùm idem faciens, iuue-:ſcit, vſque perueniat ad terminum ſpecificum ſuæ vitæ à Deo ſtitutum.

Elephas dùm ad annum centeſimum peruenit, ſeneſcit, quâ neƈtute denudatur eſu ſerpentium; omninò eodem modo, ac ruus teſtantur naturalium rerum ſcriptores.

Aquila cum perueniat ad annum cẽteſimum, roſtrum ei cre-it, atque curuatur, calligantur oculi, alæ deijciuntur, ità vt ne-ıe videre, neque cibum capere poſſit; ita ſeneƈtute ſe grauam percipiens percurrit ad petram, in qua roſtrum ſuum alli-:ns, errũpit, ſtatimq; currit ad comedendã carnem teſtudinis oſt cõmeſtionẽ teſtudinis aquis frigidis ſe immergens, & ad-erſus ſolares radios ſe ãpponẽs, alas nouas induitur, oculorũ ppitudines depellit, atq; iuueneſcit. Iterũ ad eundẽ centeſimũ ınũperueniens, idẽ efficit, & denuò vſq; ad terminũ ſpecificum æ vitæ. Serpens cum ſenio grauatur, calligantur illi oculi, & m iterùm iuueneſcere volens, quadraginta diebus à cibo ſe-ıſtinet, poſtea inter duos lapides, ſeu anguſtum foramen pro-ıs tranſiens, cutim exuit, quâ depoſitâ currit ad bufonis co-eſtionem, ſtatim poſt comeſtionem gaudet, atque iuueneſcit. ıncri ranarum eſu renouantur, gallinæ aranearum, innume-que alia animalia; ſi ergò bruta animalia à ſeneƈtute ad iu-ntutem retrogredi poſſunt, cur non animalia rationalia?

Dices natura hoc conceſſit animalibus brutis, non verò ho-nibus; ergò etiamſi animalia bruta iuueneſcant non tamen-mines.

Reſpondetur; hoc dici non poſſe; quia natura ſapientiſſima; præuidens, iniuſtè, & contumelioſè egiſſet, cum hominibus, n adeò magnum bonum conceſſiſſet brutis animalibus, & nõ minibus. Immo ideò natura id conceſſit animalibus, vt addiſ-ıt homines; ſicuti etiam aliarum rerum, & remediorum no-am manifeſtauit hominibus, exemplis brutorum animalium ex ſe patet: nam notitiam pulſus hominibus minifeſtauit Si-a. Seƈtionem venæ Hippopotamus, ſeu fluuialis equus, qui ſe :uatum ſentiens, arundinatum ingreditur, caudici arundinis

tan-

tandiù ſe affricat, donec rupta vena ſufficientia ſanguinis emiſſa ſit, aperturam poſteà limo, ſeu cœno ſuper inducto, ſiſtit, & ſanat.

Enematis, ſeu clyſteris vſum ibis, qui roſtri aduncitate eam promouens partem, qua ciborum onera redduntur, ſe excremẽtis purgat. Similiter Ardea ſuo roſtro ſalſam aquam marinam ſibi loco clyſteris infundens, ſe purgat; canes vſu graminis inferiora, ac ſuperiora purgant, ſimiliter crocuta animal vorax, & inſatiabile, innumeraque alia, quæ vt puto cum ſint omnibus nota omitto. Ità igitur inquam exemplis brutorum animalium; natura manifeſtauit hominibus tranſitum à ſenectute ad iuuentutem.

Dices iuxta hanc ſententiam aliquod animal perpetuari poſſet in vita, quod eſt falſum, ergò, &c.

Reſpondeo, poteſt aliquod animal perpetuari vſque ad terminum ſpecificum ſuæ vitæ, ſeu intra ſphæram actiuitatis ſuæ vitæ: Deus enim poſuit terminum vnicuique ſpeciei, vltraquem progredi non poteſt. Sic terminus ſpecificus Canis eſt annus XII. Bouis XX. Aſini XXX. Equi L. Muli LXXX. Cerui CCC. Elephantis CCCC. Aquilæ ſimiliter CCCC. terminus ſpecificus hominis eſt M. circiter.

Terminus ſpecificus vitæ eſt illæ, ad quem licet omnia indiuidua ad illum pertingere nequeant, ſufficit tamen quòd aliqua pertingant, extra quem nullum. Quòd terminus ſpecificus hominis ſit annus M. circiter, patet exemplis eorum, qui ad illum circiter peruenerunt, Adam ad DCCCCXXX, ſeu ad DCCCCX. Enos DCCCCV. Matuſalem DCCCCLXIV. Noè DCCCCL. multique alij. Dices anni illius temporis erant lunares, non ſolares, vel non conſtabant duodecim menſibus, ſicuti anni noſtræ ætatis, ideò antiqui dicuntur vixiſſe adeò longam vitam.

Sed contra eſt; quia ſacra Scriptura non ſolùm enumerat annos, ſed etiam menſes, & dies; nam Geneſis primo cap. 7. anno inquit ſexcenteſimo vitæ Noè menſe ſecundò, ſeptimo decimo die menſis erupti ſunt omnes fontes, &c. & capite octauo requieuit Arca menſe ſeptimo, vigeſimo ſeptimo die menſis,

ſuper

ſuper montem Armeniæ; at verò aquæ ibant, & decreſcebant vſque ad decimum menſem decimo vero menſe prima die mẽſis apparuerunt cacumina montium; igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, primo die menſis imminutæ ſunt aquæ ſuper terram,&c. Menſe ſeptimo, & vigeſimo,die menſis arefacta eſt terra, &c. & hæc ſunt verba ſacræ Scripturæ.

Remanet ſolùm probandum, quòd deſideratur medicamentum ſcilicèt, ſeu victus habens virtutem producendi humidum æquè bonum, ac eſt humidum radicale; pro quo.

Dico dari plura pruducentia humidum,non ſolùm æquè perfectum humido radicali, ſed perfectiùs,vt eſt lac humanum,caro teſtudinis, ſerpentis, cancri, aliorumque plurium, gemmæ prætereà metalla, & herbæ, quàm plurimæ.

Probatur priùs de lacte, quod nimirùm producat perfectius humidum, humido prouenieute à natiuitate. Corpus fœtus in vtero matris efformatur, ac conſtituitur materialiter à ſanguine menſtruo, à quo etiam nutritur toto tempore grauidationis ex quo originem ducit humidum radicale; ſed lac humanum perfectiùs eſt, quàm ſanguis menſtruus, ex quo prouenit humidum radicale; ergò perfectius eſt humidum proueniens à lacte humano, quàm proueniens à ſanguine menſtruo; ideſt radicale; perfectio enim effectus deſumitur à perfectione cauſæ: maior eſt Ariſtotelis, & communiter omnium Philoſophorum, quam nos infrà probantes, fœminam concurrere paſſiuè ad cõceptionem fœtus, varijs rationibus probabimus. Minor probatur quòd nimirùm lac ſit perfectiùs ſanguine menſtruo. In omni concoctione rei excernitur aliquid excrementi; ergò quò pluribus vicibus concoquitur res, eò purior, & perfectior euadit; ſanguis menſtruus, ſemel eſt concoctus, lac vero bis; ergò purius,& perfectius eſt lac,quàm ſanguis mẽſtruus, ex quo corpus fœtus conſtituitur in vtero matris, & ex quo deducitur humidum radicale.

Confirmatur experientiâ puer natus ex parentibus calidioribus, & ſiccioribus, ſi a nutrice lac bene temperatum habente nutriatur, a natiua intemperie ad meliorem tranſit, & quò ad omnes actiones, & operationes; ſed hoc fit virtute lactis nutri-

cis; ergò lac humanum generat perfectiùs humidum humido habito a natiuitate.

Confirmatur hoc ex Gal. lib. ſan. tuen. & lib. Artiſmedicæ, alijſque pluribus locis. Vbi ait, cauſarum ſalubrium vſu intemperiem naturalem corporũ immutari poſſe, & in meliùs, & humidum, quòd in nobis eſt, in conditionem meliorem aliquandò tranſire.

Probatur de carne teſtudinis, ſerpentis, cancri, &c. Aquila eſu teſtudinis, Ceruus ſerpentis, ſerpens bufonis ad iuuentutem redeunt; ſed non poteſt dari tranſitus a ſenectute ad iuuentutem, niſi per generationem noui humidi radicalis, & caloris natiui, vel ſaltèm eorum augmentatione; ergò carnes eorum animalium habent virtutem generandi humidum ſaltèm æque perfectum, ac eſt humidum radicale, & calor natiuus.

Dices Aquila tranſit ad iuuentutem per eruptionem roſtri, ſerpens per depoſitionem cutis; ergo non per deuorationem horum animalium.

Reſpondeo, eruptio roſtri aquilę tollit ſolum impedimentum cibum ſumendi, depoſitio cutis ſerpentis præbet aditum exalãdi vaporibus, & exalationibus noxijs: augmentum autem humidi radicalis, quod neceſſariò requiritur ad iuuentutem, habetur ex alimento carnis illorum animalium, & probatur ſecundò peritiſſimi medici corpora febri hecticâ, & pthiſi arefacta, ac exiſiccata eſu lactis, carnis teſtudinis, & cancri, humectant, pinguia reddunt, curant, atque ſanant; etiamſi reſiſtente calore extraneo; ergò habent virtutem abſumendi humidum excrementitium, & generandi humidum radicale.

Quo ad carnem ſerpẽtis comprobat puluis viperina, quæ habet mirabilem virtutem, humorem excrementitium exſiccandi, humidumque radicale, augendi, quod patet in eam aſſumẽtibus, qui licet ſint Senes, tamẽ ſani, & iuuenibus robuſtiores vitam ducũt, inter quos in hac Ciuitate ante oculos habetis Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Scandarolã & D. Antoniũ Pharmacopolã, virum quidem ingenioſiſſimum, qui vſu pulueris viperinæ circa centeteſimum annum vitâ fruuntur, ſine vlla moleſtia, & affectione, ac ſi eſſent iuuenes, multique alij.

Rema-

Remanet mihi probandum de virtutibus gemmarum, herbarum, & metallorum, quæ humidum radicale, caloremque natiuum augere ſolent, ſed quia earum notitia indiget longa tractatione, quæ cum ad tractatum de Anima ſit omninò impertinens, & ad noſtrum inſtitutum oppoſita, hic omitto, quas tamen videre poteſtis apud Alb. Mag. Card. & alios, qui de hac materia fusè agere ſolent.

Dices video te ſenectute nimis grauatum, cur non perquiris remedium ad iuuentutem tranſire?

Ah, reſpondeo propter duo maxima impedimenta, vnum eſt ſenectus ipſa, alterum quod maius eſt, nimia paupertas, quæ perpetuò me ita cogitabundum de modo victum mihi inueſtigandi tenet, vt non ſolum remedium tranſitus ad iuuentutem mihi quærere non permittat; Sed nequè reliquum illud exiguum humidum radicale ſenectutis conſeruare concedat, quod à nimio labore in ſenectute citiſſimè abſumitur. Vtinam non eſſem adeò ſenex, & pauper, ſicuti tamen probaui, tranſitum ad iuuentutem poſſibilem eſſe, & aliorum mirabilium effectuũ, tàm naturalium, quam artificialium faciliorem fortaſsè inuenire poſsé, & ſi non hìc, ſaltem in Oriente, vbi omnia generantur, cum ſuis virtutibus integris. Naturalis Philoſophi de Elephãtis fœminâ enarrant, quæ percurrit ad Orientem quærendi mãdragoram herbam, qua inuenta eam comedens, cupiditate accenditur, & ad marem properans, illam ipſi offert: mas verò cum illam comedat, ardet libidine, & fœminæ miſcetur. Sed cur ad Orientem, ſi mandragora reperiatur vbique? quia, inquiunt, ibi ſolum herbæ cæteraque omnia reperiuntur cum ſuis virtutibus integris, & perfectis.

ARTICVLVS IV.

De cauſis breuitatis vitæ.

MVltæ ſunt cauſæ breuitatis vitæ, quarum prima eſt nimius vſus Veneris, & hanc puto eſſe omnium aliarum

Digitized by Google

cauſarum maximam, vt patet ex Plin. qui in proemio lib. 14. ait cum voluptas viuere cœpit, vita ipſa deſijt.

Ratio huius rei eſt, quia ſemen trahit ad ſe à toto corpore ſpiritus, & ſanguinem tenuiorem, atque perfectiorem; qui ſanguis, & ſpiritus ſunt à natura inſtituti pro alimento corporis; proptereà ex nimia eorum detractione, & amiſſione corpus languеſcit, atque minuitur.

Secunda ratio eſt, quia nimius coitus in hepate bilem, in renibus nephritidem, in cerebro catarrhum, in ſtomacho cruditatem, in corde palpitationem; in oculis tandem cæcitatem generat.

Tertia ratio eſt, quia nimiùs coitus calorem naturalem ventriculi diſſipans, illum debilitat, quo debelitato, cibus ampliùs concoqui non poteſt, qui ita crudus manens putreſcit, & malè olet, & præcipuè poſt coitum, cum per motum illum coitus humores agitentur; vndè homines ſalaces ferè ſemper in ore fœtorem habent.

Quod à nimio coitu fœtor oriatur, probatur ex Ariſtotele 6. de hiſt. animalium cap. 29. vbi ait: Ceruos propter libidinis grauiolentiam fugere, & abſconditos iacere, vſque pluuia adueniat; ſimiliter, & elephantes poſt coitum fugiunt, inquit, & aquam inquirunt, in qua totum corpus abluunt.

Quarta ratio eſt, quia ex nimia emiſſione ſeminis exſiccatur corpus, & conſequenter citò ſeneſcit, cum ſenectus conſiſtat in ſiccitate, & frigiditate. Confirmatur ab Ariſtotele lib. de longitudine, & breuitate vitæ, vbi ait: emiſſionem ſeminis ſiccitatem inducere.

Confirmatur ſecundò experientia animalia bruta, quibus teſtes adepti ſunt, pinguia euadunt, & Eunuchi, ac ſpathones florem adoleſcentiæ diutiſſimè conſeruant propter nimiam ineptitudinem coeundi; proptereà & mulus eſt longioris vitæ, & tardiùs ſeneſcit, quàm equus, & aſinus, ex quibus genitus eſt, & fœminæ maribus, ſi mares ſalaces ſint; & propter hanc rationem paſſeres maſculi breuioris vitæ ſunt, quàm fœminæ; ſunt enim paſſares maſculi breuiores vitæ quàm fœminæ quia adeò libidinoſi, vt in ſpatio vnius horæ ſeptiès coeunt, & ſemper ſemen

men emittunt; vndè Hierogliphici ad ſignificandum hominem imperfectum, & libidinoſum paſſarem pingere ſolebant.

Secunda cauſa breuitatis vitæ eſt multa quantitas cibi, & potus; quia plerumque producunt cruditates, quæ matres morborum dici ſolent, cùm ab ipſis cruditatibus putredines producantur, quæ mortem accelerant.

Tertia cauſa eſt nimia abſtinentia à cibo, quia natura humores obnoxios ex partibus corporis ad ventriculum trahit, illumque bilioſis excrementis replet, ex quibus varij morbi generantur, vireſque diſſoluuntur; vndè tam nimia abundantia cibi, quàm nimia abſtinentia eſt cauſa breuioris vitæ.

Quarta cauſa eſt mala qualitas cibi, & potus cum producant multa excrementa, ex quibus generantur putredines.

Quinta cauſa eſt intempeſtiuè comedere, quia cum homo magno, cum impetu cibum aſsumit, ſimul cum cibo magnam aeris copiam trahit, qui aer intùs incluſus facilè putreſcit, quod patet ex Hippocrate lib. de flat. vbi ait: quòd aer intùs incluſus putredinem facilè generat: & confirmatur ex Ariſtotele, qui ideò habitantes in locis concauis, inquit, citiùs ſeneſcunt, quia aer in huiuſmodi locis incluſus, & immotus manens, facit corpora citiùs putreſcere.

Sexta cauſa eſt immoderata corporis exercitatio: nam moderata exercitatio, vt ait Ariſtoteles, multum confert ad longitudinem vitæ, cum exerceat calorem natiuum, ſordeſque corporis ſecernat; nimia verò exercitatio, ſeu labor corpus exſiccat, vires diſſipat, & conſequenter ſenectutem inducit, ac mortem accelerat, vt fusè explicabimus agentes de motu corporis.

Septima eſt nimius ſomnus, & nimia vigilia, cum vtrumque ſit cauſa, vt ſpiritus accendantur, & morbi generentur, vt in ſuo loco probabimus.

ARTI-

ARTICVLVS V.

De quibuſdam, quæſitis circa longitudinem, & breuitatem vitæ.

QVæres in quibus viuentibus ſit longior vita? Reſpondeo inter viuentia genus plantarum eſſe longioris vitæ, & inter plantas longioris vitæ eſſe cupreſſum, palmam, vlmum, & oliuam. Oliua enim, & palma, vt communiter teſtantur Philoſophi naturales, pertingunt vſque ad annum ſeptingenteſimum.

Duas inuenio rationes propter quas iſtæ plantę ſunt longioris vitæ. Prima ratio eſt, quia iſtæ plantæ habent multum humorem, & hunc pinguem, & aereum, atque viſcoſum, & non aqueum, & facilè congelabilem. Secunda ratio eſt, quia iſtæ plantę habent duriſſimã corticem, aptam ad conſeruandum calorem natiuum, & reſiſtendum contrarijs.

Inter animalia, terreſtria ſunt longioris vitæ, quàm Aquatilia; ratio eſt quia animalia aquatilia, cum habeant paucum humorem, illumque nimis aqueum, qui cum ſit frigidus, & pinguedine carens, eſt facilè congelabilis, & corruptibilis, vndè ſunt breuioris vitæ. Secunda ratio eſt, quia aquatilia habent exiguum calorem natiuum, & hoc patet ex Ariſtotele, qui teſtatur piſces reſpiratione carere; reſpiratio enim fit propter refrigerationem caloris natiui, quem calorem, cùm piſces exiguum habeant, refrigeratione non indigent.

Inter animalia terreſtria, exanguia, vt apes, veſpes, ſcarabei, & alia cùm non habeant ſanguinem, qui eſt calidus, & humidus, & conſequenter fundamẽtum vitæ, eorumque humidum ſit aqueum ſunt breuioris vitæ, quamuis apes propter earum dulcedinem, & pinguedinem vſq; ad Septimum annum pertingant, & mortuæ iterùm reuiuiſcant: nam hyeme mortuæ apes, ſi vere radio ſolis ſimul cum cinere foueantur, reuiuiſcunt.

Inter animalia ſanguinea Ariſt. primò tribuit longiorem vi-

tam

tam Elephanti. Secundò Homini. Tertiò Camelo;nam Ariſt. quarto de generatione animalium, Elephantem viuere, inquit, vſque ad quatricenteſimum annum; hominem verò vſque ad centum & viginti;multi ex antiquis Philoſophis longitudinem vitæ tribuunt Coruo. Card. contra Ariſt. dicit non eſſe veriſimile hominem viuere poſſe per ſpatium annorum cētum & viginti; quia vel hic eſt terminus, ad quem ſaltèm poteſt pertingere vita hominis, & hoc etiam eſt falſum, cum non omnes homines hunc terminum, ſeù numerum pertingant; multi enim viuunt etiam vſque ad centum, & triginta; & plùs, & exantiquis inuenimus Noè, Maptuſalem, & alios vixiſſe vſque ferè ad milleſimum annum; falſum ergò dicit Ariſt. hominem viuere vſque ad centum, & viginti annos. Addit Cardanus, hominem eſſe longioris vitæ quocunque alio animali; rationem ait eſſe, quia homo eſt præſtantioris naturæ, perfectioris temperamenti,& proportionis inter qualitates, quàm quodlibet aliud animal; rationem etiam affert, cur homo de facto parum viuat, quia inquit,homo eſt incontinentior omnibus animalibus,ideo parum viuit; ſed.

Quæres cur ante diluuium homines erant adeò longioris vitæ?

Reſpondeo propter tres rationes. Primò, quia primi Parentes habebant meliorem, ac perfectiorem complexionem. Secundò, quia cibi tunc erant melioris ſucci, præbebant firmiùs nutrimentum, & pauciora excrementa generabant. Tertiò illi homines non erant libidinoſi, ac venerei, non adeò veneri incumbebant, vt de facto iſti incumbunt. Propterea illi erant longioris vitæ, iſti breuioris; illi verò, qui duxerunt longiſſimam vitam ideſt vſque ad milleſimum annum circiter habuerunt remedium ad iuuentutem redire, vt ſuperiùs probauimus.

Quæres inter homines, qui ſunt longioris vitæ, & qui breuioris?

Reſpondeo, maſculos eſſe longioris vitæ,quàm feminas,cùm maſculi habeant plùs caloris natiui, illumque perfectiorem, vt infrà dicemus. Similitèr, & in plantis, analogicè loquendo, dantur mares, & fœminæ in vnaquaque ſpecie, mares cùm

ſint

ſint calidiores, habent ſuperiores partes, ideſt ramos craſſiores, ac maiores radices: fœminæ verò cum ſint frigidiores, habent, tàm radices, quàm ramos minores, & tenuiores; vndè earum mares ſunt magis fructificantes, & longioris vitæ, fœminæ verò minoris, ac breuioris vitæ, vt experientia docet.

Quæres inter maſculos hominum, qui ſunt longioris vitæ?

Pro reſponſione ſciendum eſt, hominum quidam habent temperamentum ſanguineum, quidam bilioſum, ſeù colericum, quidam pituitoſum, ſeù phlegmaticum, & quidam melancholicum. Temperamentum, ſeù complexio ſanguinea inclinat ad calidum, & humidum; Temperamentum bilioſum ad calidum, & ſiccum; Pituitoſum ad frigidum, & humidum; Melancholicum ad frigidum, & ſiccum. Ad quæſitum ergò reſpondeo. Inter maſculos, habentes complexionem ſanguineam eſſe longioris vitæ. Prima ratio eſt; quia vita conſiſtit in calido, & humido; ſanguinei verò, cùm habeant plùs calidi, & humidi, ſunt longioris vitæ. Secunda ratio eſt quia ſalaciores, & magis laborioſi celeriùs ſeneſcunt, habentes verò complexionem ſanguineam ſunt minùs ſalaciores, & laborioſi, atque moroſi omnibus alijs; ergò ſunt longioris vitæ omnibus alijs.

Poſt ſanguineos bilioſi ſunt longioris vitæ; quia inclinant ad calidum, quod eſt magis principale requiſitum ad vitam; Tertiò loco ſunt pituitoſi, qui habent alterum principium requiſitum ad vitam, nempè humidum. Quartò loco ſunt malencholici, quorum complexio eſt omnium ineptiſſima, cùm inclinent ad frigidum, & ſiccum; quæ ſunt omninò contraria principio vitæ.

ARTICVLVS VI.

De ſignis longitudinis & breuitatis vitæ.

PRimum ſignum longitudinis vitæ eſt bonum temperamentum, ſeù complexio, & præcipuè ſanguinea.

Secundum ſignum eſt congruentia membrorum, ſitus legitimus, numerus debitus; operatio facilis.

Tertium

Tertium ſignum eſt mollities carnis, quæ arguit optimam ſanguinis temperiem.

Quartum ſignum eſt denſitas cutis, quæ facit, vt nè calor euaporet, ſed facilè reſiſtat externis contrarijs.

Quintum eſt latitudo pectoris, craſſities colli, grauitas hepatis.

Signa breuitatis vitę ſunt omnia oppoſita ſignis longitudinis vitæ.

Aliqui addunt inter ſigna breuitatis vitę raritatem dentium, & longitudinem colli, quod probant experimento, non ſolùm hominis, ſed aliorum omnium animalium, ita Ariſtoteles problematum ſec. 34. vbi docet: Animalia, quæ debito ordine, & numero dentium, prædita non ſunt, eſſe breuioris vitæ, & rationem reddit Ariſtoteles ſectione 10. problemate 47. vbi ait: dentes raros habentes, os mandibulæ, & etiam totius capitis denſum habent, ex quo cùm vapores exhalari ſatis non poſſint, breui tempore cerebrum, & totum caput malè afficiunt; vndè breuitas vitæ.

ARTICVLVS VII.

De diſtinctione vitæ, ſeù ætatis.

Agere hìc ſolent Philoſophi de diſtinctione vitæ, quæ fit per ætates; Aetas autem eſt ſpatium quoddam durationis vitæ.

Quidam vitam diuidere ſolent iuxtà Aſtrologorum dogmata in ſeptem ætates, iuxtà nimirùm numerum planetarum; Vndè ſingulæ ætates, (inquiunt) participant proprietates ſui planetæ.

Prima ætas dicitur Infantia, quæ extenditur vſque ad ſeptimum annum, cui ætati dominatur Luna, ideoque infantes calidi, & humidi eſſe ſolent, propter humiditatem, & caliditatem Lunæ.

Secunda ætas dicitur pueritia, quæ extenditur vſque ad de-

cimum quartum annum, & huic ętati dominatur Mercurius, ideoque in iſta ætate incipiunt pueri eſſe apti ad diſciplinam.

Tertia dicitur Adoleſcentia, quæ extenditur à decimo quarto anno, vſque ad vigeſimum ſecundum annum, & hæc ætas eſt ſub dominio Veneris; ideoque in iſta ætate Adoleſcentes maximè dediti ſunt crapulis, & voluptatibus.

Quarta eſt Iuuentus, quæ à vigeſimo ſecundo, vſque ad trigeſimum annum extenditur, hæc ætas eſt ſub ſole, ideoque in iſta ætate percipiunt ſplendores, honores, gloriam, &c.

Quinta dicitur ætas virilis, quæ à trigeſimo, vſque ad quadrageſimum annum extenditur, cui ætati dominatur Mars, ideoque in hac ætate homines ſunt apti ad bellandum.

Sexta dicitur ſenectus, quæ à quadrageſimo, vſque ad ſexageſimum annum extenditur, hæc ætas eſt ſub dominio Iouis. Ideoque homines in hac ætate ſunt apti reddendi conſilium.

Septima dicitur decrepita, & hæc ætas extenditur vſque ad finem vitæ, cui dominatur Saturnus. Ideoque in hac ætate ſunt ægritudines, moleſtiæ debilitates, multaque alia mala.

Quidam alij, cum Ariſtotele diuidunt vitam in tres ætates, qua dicunt homo, aut creſcit, aut decreſcit, aut neque creſcit, neque decreſcit.

Tempus, quo creſcit eſt vna ætas, quæ extenditur vſque ad vigeſimum ſecundum annum, tempus, quo neque creſcit, neque decreſcit, eſt ſecunda ætas, quæ extenditur vſque ad trigeſimum tertium annum. Tempus quo decreſcit inſenſibiliter, extenduntur vſque ad ſexageſimum annum; vlteriùs verò ſenſibiliter decreſcit, & eſt tertia ætas.

Quidam alij fortaſsè meliùs diuidunt vitam in vndecim ætates; iuxta varietatem; quæ colligitur ex variatione earum ætatum; quia in ſingulis ſeptenarijs annorum colligitur ſenſibilis varietas corporis viuentis. Prima dicitur Infantia, quæ extenditur vſque ad ſeptimum annum.

Secunda dicitur pueritia vſque ad decimum quartum annum.

Tertia dicitur pubertas vſque ad vigeſimum primum annum.

Quar-

Quarta dicitur Adoleſcentia vſque ad vigeſimum octauum annum.

Quinta dicitur Iuuentus vſque ad trigeſimum quintum annum.

Sexta dicitur Virilitas vſque ad quadrageſimum ſecundum annum.

Septima ætas matura vſq; ad quadrageſimũ nonum annum.

Octaua dicitur viridis ſenectus vſque ad quinquageſimum ſextum annum.

Nona dicitur ſenectus vſq; ad ſexageſimum tertium annum.

Decima dicitur ætas ſenium vſque ad ſeptuageſimum annum.

Vndecima dicitur ſilicernium vſque ad finem vitæ.

Primæ ætates ſunt calidæ & humidæ vſque ad vigeſimum primum annum.

Secundæ ætates ſunt calidæ, & mediocriter humidæ; quæ ætates extenduntur vſque ad trigeſimum quintum.

Tertiæ temperatæ in calido, ſunt tamen ſicciores vſque ad quadrageſimum nonum annum: poſtremæ ætates frigidæ, & ſiccæ, & quo magis ad finem verſus vergunt, eò magis frigidæ, & ſiccæ ſunt.

Quòd in ſingulis ſeptenarijs natura faciat aliquam mutationem, patet experientiâ: nam ſeptimo die fit conceptio, & incipiunt efformari tres partes nobiliores, ac principes corporis, nempè cor, cerebrum, & hepar. Secundò, & tertiò ſeptenario incipiũt efformari cæteræ partes. Quarto ſeptenario finit efformatio. Quinto incipit motus fœtus in vtero. Sexto, & ſeptimo perficitur. Septimo menſe fœtus eſt aptus, vt in lucem edatur; ſeptimo die poſt partum fugit periculum vitæ; ſeptimo menſe poſt partum incipit denteſcere; ſeptimo anno renouat dentes.

Secundo ſeptennario renouat dentes, & incipit pubeſcere, & habere ſemen licet imperfectum. Tertio ſeptenario eſt adoleſcens, & habet ſemen perfectum.

Quartò ſeptenario eſt Iuuenis. Sexto, & ſeptimo fit prudens. Octauo perditur ſemen. Poſtremò ſingulis ſeptenarijs fit magna mutatio vitæ, vt ex ſe patet.

QVAESTIO II.

De morte, eiuſque cauſis & ſignis.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex ſit Mors.

MORS ab Ariſtotele dicitur extinctio caloris natiui, pro cuius intelligentia ſciendum eſt; Id quod in animalibus mors appellatur, in plantis, & herbis ariditas dicitur.

Mors varijs modis accipi ſolet ſicut & ipſa vita; vnde propter varias eius, acceptiones, aliquandò accipitur propiè, aliquando impropriè: proptereà illud, quod non operatur, dici ſolet mortuum, ſic aquæ, quæ non mouentur, mortuæ dici ſolent, ſicuti illæ, quæ ex ſe ipſis mouentur, aquæ viuæ dicuntur.

Omiſſis igitùr his, & alijs varijs, & improprijs acceptionibus aſſerimus hic propriam, & rigoroſam mortis acceptionem, quæ nihil aliud eſt, quàm ſeparatio animæ à corpore, ſiue ſit ſenſitiua, vt eſt anima brutorum, ſiue rationalis, vt eſt anima hominum. Mors enim cū ſit oppoſitum vitæ, ſi vita igitur conſiſtit in manſione animæ in corpore; mors neceſſariò conſiſtere debet in ſeparatione animæ, à corpore.

Dubium iàm eſt, an mors ſit naturalis, an violenta viuenti.

Pro reſponſione ſciendum eſt naturale multipliciter accipi poſſe.

Primò enim dicitur naturale illud, quod à natura per ſe intenditur, in qua acceptione, mors non poteſt dici naturalis, cum mors per ſe à natura non ſit intenta.

Secundò naturale dicitur illud, quod aduenit alicui rei, vt capaci illud habendi, etiamſi ab illa re non appetatur, & in hac acceptione mors poteſt dici naturalis viuenti.

Tertiò naturale dicitur illud, quod prouenit à cauſis naturalibus, iuxta hanc acceptionem mors non dicitur naturalis, cum ali-

aliquando mors proueniat violenter,& ab extrinſeco.

Mors propriè, & rigoroſè naturalis dicitur illa, quæ prouenit ex debilitate caloris natiui, & abſumptione humidi radicalis, quæ mors aduenit omni viuenti, non tamen omni tempore, ſed tantùm in ſenectute; vndè mors dici poteſt proprium viuenti tertio modo, ſicuti canities dicitur proprium hominis.

Dubitatur ſecundò, an omnis mors ſit acerba.

Dico, omnem mortem eſſe acerbam.

Ratio eſt, quia omne animal, naturaliter loquendo, diligit eſſe, & quo magis intelligit ipſius eſſe, eò magis amat, & appetit permanere in eſſe.

Secunda ratio eſt, quia coniunctio animæ cum corpore eſt illi aliquod bonum, & magna perfectio; ergò eius ſeparatio à corpore maximè diſplicet; vndè Ariſt. tertio ethic. agens de fortitudine,ait; fortis non poteſt non dolere in morte; mors eſt etiam acerba propter nimios dolores, & propter priuationem diuitiarum, voluptatum, & bonorum, &c. Vndè mors eſt acerba ſecundum magis, & minus, diuitibus eſt magis; pauperibus minus acerba.

Aduerte tamen mortem,quæ fit in ſenectute ob debelitatem caloris natiui, & humidi radicalis, non eſſe acerbam; Ratio eſt quia fit ſine dolore, videretur enim ſua ſponte cedere corpus, ſicuti candela,quæ ſine pabulo; mors enim, quæ fit in ſenectute, eſt ſimilis morti hecticorum,qui nullum ſentiunt dolorem; Loquentes enim, ſentientes extinguntur ipſi, eorumque vita. Huic morti ſimilis eſt mors, quæ accidit ex morſu Viperæ, ſeu exſumptione veneni; quia huiuſmodi res, ideſt venena ità frigefaciunt, vt homines ſtupidi, & quaſi dormientes moriuntur; ſimiles etiam eſt mors, quæ fit ex effuſione ſanguinis. Ideoq; talis mors permittitur ſolùm Regibus, aliiſque viris illuſtribus. Quo genere mortis mulctatus fuit Seneca à Nerone.

Dices in morte ſenium, licet non ſit præſens aliquod tangibile dolorificum, quod afferat triſtitiam; eſt tamen mentalis triſtitia apprehenſionis corruptiui: animal enim,videns ſe mori morte naturali, triſtantur mentaliter propter damnum vitæ; ergò & ipſa mors acerba eſt.

Reſpondeo, hoc certum eſſet, ſi mors cognoſceretur: nam non eſt cognoſcibilis ex parte ſenſus: animalia dum ſunt propè talem mortem lætantur, quoniam calidum propter priuationem refrigerationis acuitur, & ſic videntur quodammodo viuaciora facta. Vndè Cygnus propter hanc rationem, dùm moritur morte naturali, dulciter cantat, cum cognoſcat ſe vigoroſius acuto calore; neque cognoſcitur ex parte illius, quia nullus eſt ſenex, qui vno anno ſaltem non credat, ſe adhuc eſſe victurum. Vndè Ariſtoteles 2. Rætoricorum, nullus timet mortem, inquit, quoniam vnuſquiſque exiſtimat mortem eſſe procul.

Quæres an omnibus hominibus mors videatur acerba.

Reſpondetur negatiuè; ratio eſt, quia vir ſapiens animaduertit primò rerum omnium eſſe certum terminum. Secundò animaduertit, ſibi non contingere aliquid impoſſibile. Tertiò cõſiderat; quod tale corpus non poteſt perpetuò viuere; Vnde Theophraſtes, cum erat diſceſſurus ex hac vita, prorupit in quandam quærelam contra naturam. En; dixit, dum philoſophare incipio, inuenio me mori oportere; præterea iuſtus, & ſapiens, qui optimam vitam duxit, potiùs gaudet morte, quia expectat futuram beatitudinem, quæ ſinê morte haberi non poteſt: qui verò improbè vixit, mortem timet, præſertim propter pœnas inferni, ad quas per mortem debet tranſire.

ARTICVLVS II.

De Cauſis mortis.

CAuſæ mortis multæ ſunt, & variæ. Prima eſt perpetua conſumptio humidi radicalis, & caloris natiui, quæ abſumptio humidi radicalis, & caloris natiui, quantum facit ad rem præſentem, duplici modo fieri poteſt. Primò marcore. Secundò à ſuis contrarijs, ſicuti extinguitur ignis, vt docet Ariſtoteles lib. de iuuentute, & ſenectute cap. 2. 8. & 13. tunc dicitur abſumi marcore, cùm ad inuicem agendo, & reagendo patiun-

tiuntur, & ſenſim abſumuntur, nulla vi contrariis impellente, vt explicauimus agentes de vita articulo primo quæſt.2. Abſumuntur à ſuis contrarijs primo a frigore ambiente extrinſico, quod exſiccando humidum radicale illud diſſipat, & extinguit calorem natiuum, quemadmodùm etiam afficit plantas, & herbas, quæ hyberno tempore a nimio frigore aduruntur, ac exſiccantur.

Secundò abſumuntur à frigore intrinſeco vt contingit in nimia lætitia, in qua à corde exhalant multi ſpiritus vitales; vndè calor natiuus refrigeratur, & extinguitur; & à nimio etiam dolore ſpiritus vitales diſſipantur, calor refrigeratur, ac extinguitur. Simile contigit ob nimiam effuſſionem ſanguinis, ſiue à vulnere, ſiue à quolibet alio. Idem præſtant venena ſua nimirùm nimia frigiditate, & ſua virtute maligna diſſipando ſpiritus, & extinguendo calorem natiuum, mortem inducunt: abſumuntur obſuffocationem, vt contigit in ſtrangulatione, & conſtrictione aſperæ arteriæ, eiuſque obſtructione, ſiue ſit ab extrinſeco, ſiue ab intrinſeco, in quibus impeditur aditus aeris per pulmones ad cor per inſpirationem, & expirationem; per inſpirationem enim aer attrahitur ad cor, vt eo calor naturalis attemperetur, & cor refrigeretur; per expirationem expelluntur à corde foras exhalationes calidæ, fuligines, & alia excrementa, in corde exiſtentia, impedito igitur ingreſſu, & egreſſu aeris calor in corde ſuffocatur, & extinguitur, vt patet etiam in flamma, vel lumine lucernæ, quod non ventilato ab aere, ſtatim extinguitur: hoc idem contingere ſolet, etiam ex aliquo defectu pulmonum, qui à natura inſtituti ſunt ob refrigerationem cordis, vndè, & flabellum cordis dicti ſunt. Si igitur immobiles euadant, calorem natiuum attemperare, & cor refrigerare nequeunt; propterea calor natiuus ſuffocatur, ac extinguitur, quam immobilitatem pulmones, licet a multis præſertim tamen à tribus cauſis aquirere ſolent.

Primò diuturnitate temporis, quo paulatim abſumpto eorum humido exſiccantur, & ad ventilationem cordis inepti redduntur; vt contingit in ſenibus, quorum quàmplurimi hac morte moriuntur.

Se-

Secundò ab aliquo humore, quo implentur, atq; tumeſcunt, & conſequenter immobiles euadunt, qui humor aliquandò in ipſis generatur ob defectum caloris, aliquando deſcendit à capite, & aliquandò prouenit ab alijs partibus.

Tertio ab aliquo affectu præternaturali, vt eſt à poſtema, vlcus, vel aliquo alio.

A calore extrinſeco, & intrinſeco etiam abſumitur humidum, & extinguitur calor naturalis; quia nimiùs calor extrinſecus ambiens ſpiritus diſſipat, caloremque natiuum diſſoluit; calor verò intrinſecus aduenięns, vt eſt calor febrilis putrefaciendo humores, vel diſſipando humidum ſolidarum partium corporis, illas exſiccat, & cùm ſit incompoſibilis cum calore natiuo, illi opponitur: Vndè oritur certamen illud inter calorem natiuum, & extraneum; calor enim natiuus conatur expellere calorem febrilem, ſeu extraneum, ne ſuum pabulum, nempè humidum radicale diſſipet, & calor extraneus conatur illum à corde expellere, atque extinguere; ſuperante verò calore extraneo, diſſipat humidum radicale, & extinguit calorem natiuũ; vndè oritur mors; ſi tamen ſuperet calor natiuus, corpus conualeſcit: facilliùs tamen, & paruo conatu calor extraneus ſuperat calorem natiuum in ſenibus, quàm in iuuenibus; nam calor ſenium ſe habet, ſicuti lumen, vel flamma lucernæ fumicans ex impuritate, & paucitate olei, & exilitate elychnij, quæ à leui motu extrinſeco extinguitur; ità flammula illa ſenium, ideſt calor natiuus parua febricula adueniente, vel alio extraneo calore ob paucitatem, & impuritatem humidi radicalis, ſtatim extinguitur. Calor verò in iuuenibus ſe habet, vt lumen lucernæ multo, ac puro oleo plenæ, & elychnioque craſſo, cuius lumen non facilè à quocunque vento extingui poteſt: Ita calor natiuus iuuenis cum habeat humidum radicale, bonum, ac multum, vireſque validas, non adeò facilè ſuperatur à calore extraneo.

Quæres primò, cur in morte priùs refrigerantur membra externa, deinde interna, & ſic paulatim totum corpus?

Reſpondeo hoc fieri ſolet naturaliter; nam accedente contrario res ſeſe colligit; anima enim, quæ erat per totum corpus ſparſa, reliquens partes exteriores, ſeſe colligit, & ad fortiorem,

rem, ac principaliorem partem corporis retrahitur, vt ibi facilius reſiſtat contrario, iuxtà illud, Virtus vnita fortior. Quemadmodum faciunt illi, qui defendunt aliquam Ciuitatem, in qua primum ſunt mænia, deindè arx munitiſſima, primùm hoſtes inuadunt mænia, & defendentes Ciuitatem refugiunt ad arcem; debellatis mænijs, hoſtes arcem inuadunt: ita prorsùs efficit mors, quæ corpus viuentis inuadit, priùs extinguit calorem aliarum partium, poſtremò cordis.

Quæres ſecundò, vndè prouenit, quòd initio febris partes externæ corporis refrigerentur, deindè incaleſcant calore quodam acri, & mordaci; poſteà verò calor ille mitis, benignus, & non amplius mordax apparet?

Reſpondeo, hoc licet contingat etiam in alijs febribus, præcipuè tamē in intermittentibus; & ratio huius rei eſt, quia calor natiuus cognoſcens febrim, ſeù calorē extraneum iam eſſe acceſſurum, reliquens partes exteriores, cum ſuis ſpiritibus vitalibus retrahitur ad cor, in quo tanquàm in arce munitiſſima cum hoſte, ideſt calore extraneo faciliùs pugnare poſſit, & ſic partes externę per receſſum caloris natiui, & ſpirituum vitalium refrigerantur; adueniente verò calore extraneo priùs occupat partes externas, quas calore ſuo acri ac mordaci calefacit, approximatur deindè propè cor, tanquam ad arcem, quæ eſt ſedes caloris natiui ad deſtruendum humidum radicale, & extinguendum calorem natiuum: Vbi incipit certamen inter calorem natiuum, & extraneum, poſt aliquod ſpatium certaminis, ſi calor natiuus vincat, vt ſolet facere in ſupradictis febribus intermittentibus, expellens à partibus externis calorem extraneum, ac mordacem, ad illas mittit ſpiritus vitales, vt incaleſcant illæ partes calore illo miti, benigno, ac naturali, quibus calefactis aperiuntur pori cutis, tanquàm ianuæ ciuitatis, per quos foras calor natiuus expellit materiam morbiferam, quæ eſt ipſe ſudor, & conſequenter hoſtem ipſum, ideſt febrem: ſi verò calor natiuus non ſuperet calorem extraneum, certamen illud multis diebus perſeuerare ſolet, aliquando ſinè vllo ſigno victoriæ alterutrius; aliquando modò vnius modò alterius; tandèm ſi vincat calor natiuus, ſalus: ſi extraneus, mors ſequitur.

N Dices

Dices aliquando ſudor prouenit à debilitate naturæ; ergò non indicat expulſionem materiæ peccantis.

Reſpondeo, ego hic non loquor de ſudore ſymptomatico, ſed critico, ſeù de illo, qui prouenit in febre intermittente poſt magnum calorem, qui ſudor niſi eſſet materia morbifica, non finiretur febris.

Quæres tertiò, vndè prouenit, quod moribundi euidenter ante mortem ſoleāt edere magnum conatum, vt quaſi videantur conualeſcere.

Reſpondeo, hoc contingit, vt in lumine candelæ, quod cum debeat extingui paulò priùs edit flammam. Ratio tamen phyſica huius rei eſt, quia vltimum membrum, à quò anima diſcedit, eſt cor, quod cùm ſit officina ſpirituum vitalium & fons caloris natiui, ante mortem adhuc in eo ſuperſunt aliqui ſpiritus, & paucus calor, qui per motus diſceſſus animæ per corpus effunduntur, quibus apparet illa valitudo corporis; vbi tamen breui tempore diſſipantur, & mors ſuperuenit.

Secunda cauſa mortis eſt ipſe aer ambiens, qui ſi ſit mala qualitate prædictus, eſt cauſa mortis, cum cordi eam malam qualitatem communicet.

Tertia ſunt nimij dolores animi; prætereà ſunt omnes illæ cauſæ, quæ ſunt oppoſitæ longitudini vitæ, multæque aliæ, quæ ex ſe patent.

ARTICVLVS III.

De ſignis futuræ mortis.

Signa futuræ mortis ſunt varia, quorum primum deſumitur ex capite, E.G. ſi tempora ſint concaua, aures frigidæ, & languidæ, cutis in fronte dura, & valdè tenſa, color faciei nimis pallidus, mors citò eueniet.

Secundum ſignum deſumitur ex oculis, ſi lumen effugiant; lacriment, ſi firmiter diù aliquid intueantur, ſi ſint concaui, &c. mors proxima erit.

Ter-

Tertium ſignum deſumitur ex vnguibus digitorum,& linguæ; vngues ſint pallidæ, & nigræ;lingua pallida,& craſſa, ſi ægri arpant floccos,multaque alia ſigna ſunt futuræ mortis, de quibus in tractatu de ſignis morborum agere ſolent medici.

DISPVTATIO II.

De potentia generatiua.

QVoniam potentia generatiua præcedat cæteras potentias animæ vegetatiuæ, ideſt potentiam nutritiuam, & augmentatiuam, de ea nobis priùs eſt agendum, cuius conitio, in omni ſcientia eſt maximè neceſſaria, licèt hiſce temoribus a recentioribus in ſcholis explicari non ſoleat propter liqua naturalia, quæ ibi publicè explicare non decet, etiamſi nt naturalia, & maximè neceſſaria ad acquirendas ſcientias erfectè præcipuè, artem medicam.

QVAESTIO I.

De natura, & eſſentia potentiæ generatiuæ.

ARTICVLVS I.

Quid ſit potentia generatiua.

POtentia generatiua eſt facultas, quædam animæ vegetatiuæ, inſita in quibuſdam partibus corporis ad generatiom deſtinatis, præbens ſemen, tanquam cauſam proximam nerationis propter conſeruationem ſpeciei; eiuſque propationem.

Quæres potentia generatiua non ſolū eſt virtus animę vegeiuæ, ſed etiam ſenſitiuæ, & rationalis; cur ergò in definitione itur facultas ſolius vegetatiuæ,& non ſenſitiuæ,& rationalis?

Reſpondeo licèt generare ſit commune omnibus tribus animabus, primò tamen reperitur in anima vegetatiua, & dùm eſt in anima ſenſitiua, eſt propter vegetatiuam: nam calor naturalis, quæ eſt in planta generat plantam, & idem generat animal cum cognitione, quę cognitio ad generationem nil prodeſt.

Duplex eſt potentia generatiua. Vna quæ conficit ſemen, & hæc eſt in mare; altera, quæ conſiſtit in ſemine, & hæc eſt in fœmina, qua in vtero fœminæ efformatur fœtus.

Potentia generatiua, quæ efficit ſemen dicitur proprie, & rigoroſè potentia generatiua, & cauſa principalis generationis: ſecunda verò ideſt illa, quæ conſiſtit in ſemine, dicitur minùs principalis, & inſtrumentalis.

Potentia generatiua differt ab alijs potentijs animæ vegetatiuæ, nempè nutritiua, & augmentatiua; quia nutritiua, & augmentatiua reperiūtur in omnibus partibus corporis, generatiua verò in quibuſdam ſolum, nutritiua, & augmentatiua omni tempore operantur; generatiua verò non omni tempore: finis potentiæ nutritiuæ, & augmentatiuæ eſt conſeruatio indiuidui finis verò generatiuæ eſt conſeruatio ſpeciei propter productionem ſimilis generanti.

Dices, ſi virtus generandi data eſſet ad conſeruationem ſpeciei, primi Parentes in Paradiſo terreſtri, cùm non eſſent corruptibiles, non haberent potentiam generatiuam: ergò in ſtatu innocentiæ non erat potentia generatiua, neque generatio.

Confirmatur, quia generatio, & corruptio, ſunt duo contraria, ità connexa; vt vnum neceſſariò ſequatur ad alterum: patet ex Ariſt. qui generatio vnius, inquit, eſt corruptio alterius; ſed in Paradiſo terreſtri non erat corruptio; ergò neq, generatio.

Confirmatur ſecundò, ſemen viri intendit generare ſibi, ſimile, ideſt maſculum, & quando generat fœminam eſt ex defectu caloris, & præter intentionem naturæ; patet ex Ariſtotele, qui ait fœminam eſſe monſtrum, quia cum natura animalium maſculum producere non poſſit, producit fœminam; ſed in primis parentibus in Paradiſo terreſtri non erat defectus caloris; ergò in illo ſtatu, ſi eſſet generatio, non generarentur niſi maſculi, ergò, &c.

Re-

Reſpondeo negando ſequelam; quia tunc generatio adeſſet ropter perfectionem hominis, & propagationem ſpeciei; nam tomo in ſtatu innocentiæ, vel habebat potentiam generatiuam, vel non. Si ſecundum eſſet animal imperfectum, ſi primum, vel illa potentia erat reducibilis ad actum, vel non; Si ſecundum fruſtrà datur potentia, quæ nunquam poteſt reduci ad actum; Si primum; Ergo tunc erat potentia generatiua, & generatio.

Ad primam confirmationem Reſpondeo, in Paradiſo terreſtri non erat generatio ordinata ad corruptionem, ſeù ad conſeruationem ſpeciei; erat tamem generatio, & potentia generatiua ordinata ad propagationem ſpeciei, quæ generatio propter propagationem dari debet, etiam ſine corruptione.

Ad ſecundam confirmationem Reſpondeo, ad generationem Maſculi non ſolùm concurrit calor, ſed etiam modus coeundi, venti aquilones, imaginatio, multaque alia de quibus nos fusè infrà agemus?

Quæres, an omnia animalia habeant potentiàm generatiuã?

Reſpondeo negatiuè: ratio eſt, quia Deus, & natura nihil faciunt fruſtrà; multa enim animalia, cùm aliundè generari poſſint, vt ſunt Ranæ, Vermes Anguillæ, &c. quæ generantur ex putri materia, & quædam alia, quæ generantur ex non putri materia, vt ſunt animalia, quæ generantur ex plantis viuis, & multa ex mortuis, ſimiliter mulus, qui generatur ex equo, & aſino non indiget potentiâ generatiuâ, cum aliundè generari poſſit, ideoque multa animalia non habent potentiam generatiuam.

Quæres, an animalia perfecta, quæ à ſemine generari ſolent, poſſint aliundè generari ſine ſemine?

Reſpondeo, licet de hac re nos infrà multa, & pulcra dicemus, quantum tamem facit ad rem præſentem.

Dico, quòd multi hiſtorici fidei digni enarrant, quod in Scotia ex fragmentis nauium, & quibuſdam fructibus in mare putrefactis anſeres generari; & hoc eſt iam certũ apud omnes, vt videre poteſtis apud Scalig. & Senert.lib. de natura ſponte naſcentium; ſed magis admirabile eſt, quod enarrat Fortun.

licet

licet lib. de origine ſponte viuentium Cæſ.Scalig. exerc. 11. & multi alij,quos videre poteſtis apud Senert.lib. de natura ſpontè naſcentium, qui dicunt ex quodam ſemine peponis ſemini ſimili, paulo tamen maiori, & rotundo in terra emiſſo generari quoddam animal, quòd eſt omnino agno ſimile; habet enim pedes, vngues caput, aures, cornua; cæteraque omnia externa, ad perfectum agnum requiſita; habet prætereà carnem, & ſanguinem: caro tamen eius eſt cancrorum carni ſimilis, adeòque dulcis, & guſtui grata, vt lupi, aliaque rapacia animalia eam multum appetant; hoc animal radicem habet in ventris medio, ideſt in vmbelico, per quam ſubſtentatur, habetque corium album, tenuiſſimum, ac pulcherrimum,quo detracto, homines iuxta conſuetudinem illius regionis, caput tegunt, & vbi generatur hoc animal, circumcirca generantur etiam quædem herbæ, quibus vireſcentibus, & hoc animal viuit, quibus verò exareſcentibus, & ipſe agnus exareſcit, & moritur.

Quo ad cauſam efficientem horum animalium, dicendum eſſe Cælum, quod attemperat, & diſponit materiam ad introducendam formam ſubſtantialem; Neque valet dicere, cælum eſſe vbique; ergo in omni loco generari poſſunt huiuſmodi animalia, quia præter diſpoſitiones communes Elementorum, & influxuum Cæli requiruntur etiam quædam diſpoſitiones propriæ locorum, vt experientiâ docet in generatione multarum plantarum, & perfectorum animalium; nam multæ plantæ in vno loco producuntur, corroborantur, atque viuunt; in alio verò loco etiam proximo,nullâ induſtriâ culturæ generari poſſunt, ſic & animalia. Elephantes circa primum, & ſecundum Climate non generant. Leones in 6. & 7. Climate nunquam produxiſſe dicuntùr, propter diſpoſitiones ſibi connaturales; ergò &c.

ARTI-

ARTICVLVS II.

n in fæmina ſit virtus generatiua, actiua, an paſſiua.

N quacumque materia, & operatione aſſignari debet potentia actiua, quâ agens operatur, & potentia paſſiua, quâ ſſum aliquid in ſe recipit. Generatio igitùr cum ſit opus naæ præſtantiſſimum in ea aſſignari debent potentia paſſiua, & iua. Vndè oritur difficultas, an ad generationẽ mas concuractiuè, & fœmina paſſiuè, an verò tàm mas, quàm fœmina ıcurrant actiuè, & paſſiuè?

Prima ſententia ait, tàm marẽ, quàm fœminam concurrere iuè, & paſſiuè: eſt ſententia Gal lib. 1. de ſemine, quàm ſequi- Scotus, multique alij.

Galenus cum alijs ſuis ſequacibus ſic explicat ſuam ſentenn in tractatu de ſemine; ſemen tàm viri, quàm fœminæ, int, continet duas partes, vnam calidiorem, tenuiorem, & ſpiıoſam, quæ habet vim agendi, alteram partem craſſiorem, erreſtriorem, quæ eſt tanquàm materia fœtus. Rurſùs in fœıa eſſe, ait ſanguinem menſtruum, qui habet rationem matead efficienda membra materialiter ſimul cum illa parte ſiore ſeminis viri, & fœminæ, cum permiſceantur iſta duo ina, maris nimirum, & fœminæ; partes tenuiores vtriuſq; inis conficiunt vnum integrum agens; partes verò craſſiovnum integrum paſſum. Vndè tàm mas, quàm fœmina currunt actiuè, & paſſiuè; ſed quia pars actiua in ſemine i eſt maior, & pars actiua in ſemine fœminæ eſt minor, ideò ſolet in mare eſſe virtutem actiuã; in fœmina verò paſſiuam, li modo Scotus, & alij explicant eandem ſententiam.

rima ratio huius ſententiæ eſt, quia in coniunctione maris, eminæ, tàm mas, quàm fœmina emittunt ſemen; ſi enim per emiſſionem ſeminis dicitur concurrere actiuè; ergò & ina dicenda eſt concurrere actiuè.

:cunda ratio eſt; quia in fœminis dantur omnino eadem orga-

organa generantia ſemen, quæ ſunt in maſculis, vt ſunt teſtes, cæteraque omnia, & etiam copioſa materia ſeminis: ergò fœmina habet proprium ſemen, (cum Deus, & natura nihil faciant fruſtrà) ergò vel fœminæ habent ſemen, & concurrunt actiuè, vel fruſtrà a natura fœminis indità ſunt inſtrumenta, ſemen efficientia.

Tertia ratio eſt, quia ſi fœmina non concurreret actiuè, non poſſet dici generare, cum generare ſit agere; ſed dicitur generare; ergò concurrit actiuè.

Quarta ratio eſt; quia ſi fœmina non concurreret actiuè, non adeò diligeret filium; ſed plus diligit mater filium, quàm pater; ergò actiuè concurrit.

Quinta ratio eſt, quia filij aliquandò aſſimilantur patri, & aliquando matri; ſed non poteſt reddi huius rei alia ratio, niſi dicatur tam matrem, quam patrem actiuè cõcurrere; fœtus enim eſt ſimilis agenti, non paſſo; ergo tàm mas, quàm fœmina concurrunt actiuè, & paſſiuè.

Secunda ſententia ait, fœminam concurrere paſſiuè, ideſt præbere ſolùm materiam, ex qua formatur fœtus; maſculum verò concurrere actiuè: eſt Ariſtotelis primò de Generatione animalium, quàm ſententiam ſequitur S.Thom. 3. par. q. 33. ità Auerroes in 1. col.

Prima ratio huius ſententiæ eſt, ſi fœmina haberet ſemen fœcundum, ex ſe ipſa ſine congreſſu maris conciperet; conſequens eſt falſum; ergò, & antecedens. Probatur ſequela, quia vbi reperitur agens, & paſſum, locus, & tempus, &c. ibi fit conceptio, ſed iſta omnia reperiuntur in fœmina; ergo, ſi ſemen fœminæ haberet fœcunditatem, ideſt vim agendi, generaret ſine congreſſu maris; ſicuti mures fœminæ ex eo ſolũ, quòd ſalem lambant, concipiunt, & generant centum circiter murium paruulorum ſine vlla coniunctione maris.

Secunda ratio eſt, quia ſemen viri, atque mulieris eſt continuum, & ſimilare; ergò non eſt maior ratio, cur vis actiua ſit in vna parte illius ſeminis, & non in altera; & conſequenter, vel totum eſt actiuum, vel totum paſſiuum.

Tertia ratio eſt, quia, ſi virtus actiua partim eſſet in ſemine maris

ꝛaris, & partim fœminæ, vis actiua maris concurreret ad fa- ꝛricanda aliqua membra, & fœmina ad fabricanda aliqua alia nembra; ſed hoc eſt falſum; ergò, &c. minor probatur, quia i vis ſeminis maris concurrit ad efficienda tria membra cur nõ deficienda quatuor? quinque? & conſequenter omnia? ergò is ſeminis viri ſolum concurrit actiuè & nullo modo paſſiuè. Præterea diuerſitas proprietatum, præcipuè actiuè & paſſiuè ꝓrouenit ex diuerſis principijs, ſed diuerſitas principiorum fa- it rem, heterogeneam; ergò ſemen fœminæ ſi concurrit actiuè, & paſſiuè, eſſet heterogeneum, quod eſt falſum.

Quarta ratio eſt, quia mas, & fœmina ſunt duo ſexus diuer- i, & diſtincti; diuerſitas enim ſexus eſt propter generationem; rgò habent vim generandi diuerſam, diuerſas facultates, & perationes; ergò mas concurrit actiuè, & fœmina paſſiuè tan- ùm.

Mihi probabilior videtur ſecunda ſententia, quia eſt ma- is conſentanea principijs philoſophicis. Vnius enim effectus aturalis, vna debet eſſe materia, & vnum agens, vt patet in mnibus rebus naturalibus; ſed, ſi ſemen fœminæ concurreret ctiuè, duo eſſent agentia, & duæ materiæ, quod repugnat in- ituto naturæ; ergò fœmina non concurrit actiuè, ſed ſolum aſſiuè: præterea ſi ſemen fœminæ concurreret actiuè, & paſſi- è idem eſſet agens, & paſſum, quod eſt abſurdum; nullum nim totum ſiuè ſit homogeneum, ſiue heterogeneum poteſt gere in ſe ipſum alioquin ſeipſum corrumpere poſſet, quod eſt ontra principia philoſophica.

Quæres, an ſemen viri confecto fœtu maneat in vtero fœ- ninæ?

Reſpondeo manere, ſed ex eo non fiunt partes fœtus, vt di- unt multi Medici, cum idem non poſſit eſſe agens, & materia eque reſoluitur in flatus, vt volunt aliqui Peripatetici. Sed poſt uam calor ille cæleſtis in eo exiſtens, formauerit membra cor- oris, imbibitur in partibus corporis, quo perficiuntur opera- ones vitales, vt infrà fusè explicabimus.

Ad primam rationem primæ ſententiæ, reſpondeo, humo- m illum ſpermaticum; quem fœmina emittit in coniunctio-

ne cum mare, & etiam illum, quem emittit in pollutionibus,& voluptatibus, non habere vim generandi, cùm non ſit propriũ, & verum ſemen, ſed ſuperfluitas uteri, quæ reſoluitur ex congreſſu maris cum fœmina propter delectationem, quo humore vtitur natura ad purgandum vterum,& prætereà, adhoc vt illo humore matre madefacta, libentiùs viri ſemen ſumat, & propter hoc aliquando eſt neceſſarium ad generationem.

Prætereà non omnes mulieres iſtum humorem emittunt, vt ipſæmet teſtantur, ſed ſolum illæ, quæ propter nimiam delectationem coeunt: patet ex Auer. 2. col. cap.20. qui affert hiſtoriam cuiuſdam mulieris, quæ ſine vlla emiſſione ſeminis concepit ſolum per hoc, quòd in balneo vbi anteà praui homines ſemen emiſerunt, ſuperſederit.

Ad ſecundam rationem reſpondeo negandò conſequentiam, quia ex identitate organorum non licet inferre identitatem effectuum, quia in maſculis ſunt eadem vbera generatiua lactis, ſicuti ſunt in fœminis, & tamen in maſculis non generatur lac; ergò ex identitate teſtium aliorumque organorum non licet inferre, in fœmina eſſe proprium, & verum ſemen.

Confirmatur hoc totum ex Ariſtotele,qui primo de generatione animalium cap.4.docet, teſtes ad generationem requiri, vt ſuo pondere aperiantur vaſa ſpermatica, quæ debent emittere ſemen, in illis iàm contentum, ſicuti textrices annectunt pondera telis, vt fila aperiantur, & extendantur; prætereà, inquit Ariſtoteles,multa animalia generant, & habent ſemen ſine teſtibus, vt ſunt piſces, ſerpentes, multaque alia animalia, licet imperfecta, quæ non habent teſtes: & quinto de hiſtoria animalium cap.5. ait: animalia, quæ pedibus carent, teſtes non habere, tamen ferè omnia ſemen prolificum habere: ergò ex teſtibus non benè infertur in fœmina eſſe verum ſemen, licet iſtę rationes Ariſtoteles nimis probent.Eſto tamen verum,quòd fœmina habeat ſemen in teſticulis elaboratum, illud tamen cum ſit nimis frigidum, & aqueum,non fuit a natura inſtitutum neque àctiuè, neque paſſiuè ad conſtitutionem fœtus concurrendum, ſed ad excitandam fœminam ad libidinem, cum ſemen ſuà virtute generet pruritum quendam, & titillationem

in

n pudendis, vt ſanè contingat libido, ſeu cupiditas actus venerij, quæ eſt vtilis ad conceptionem.

Probatur hoc totum etiam ex ſententia aduerſariorum: nam etiam in ſententia eorum ad conſtitutionem fœtus materialiter, ſeu paſſiuè concurrit ſanguis meſtruus, ex quo conficiuntur membra corporis, cum propter hoc præcipuè à natura fuit inſtitutus, formaliter verò, ſeu efficienter concurrit ſemen maris; fruſtra ergo datur ſemen fœminæ, cum ſanguis meſtruus, & ſemen maris ſufficiant ad conſtitutionem fœtus.

Ad tertiam rationem Reſpondeo negando antecedens, quia fœmina dicitur generare non actiuè, ſed paſſiuè quatenus producit alteram partem fœtus, ideſt corpus: omne enim quod concurrit ad generationem quomodocumque concurrat, dicitur generare; licet poſſit dici, quod concurrat actiuè, quatenus efficienter producit materiam fœtus.

Ad quartam rationem Reſpondeo negando ſequelam maioris; fœminæ enim plus diligunt filium. Primò quia certius ſciunt ſuum eſſe filium. Secundò, quia plus laborat Mater, quàm Pater, tàm in generatione, quàm in nutritione filij.

Ad quintam rationem Reſpondeo, ſimilitudinem filij cum parentibus non prouenire ſolùm ex perfectione, & dominio ſeminis, ſed requiruntur multa alia, quæ in ſuo loco explicabimus.

QVAESTIO II.

De natura, & eſſentia ſeminis.

ARTICVLVS I.

Quid ſit ſemen eiuſque cauſa.

Semen ab Ariſtotile definitur excrementum vtile vltimi alimenti. Nomine alimenti Ariſtoteles intelligit humores alimentarios, pro quorum intelligentia ſciendum eſt, duplicem eſſe humorem, quantum facit ad rem præſentem, alium alimen-

tarium, & alium excrementitium. Alimentarius humor dicitur ille, qui in corpore generatur, & in corporis ſubſtantiam conuertitur, qui humor nihil aliud eſt, quàm puriſſimus ſanguis, à natura inſtitutus ad nutritionem corporis. Excrementitius eſt, qui in corpore generatur, ſed in corporis ſubſtantiam non conuertitur. Quatruplex eſt humor excrementitius. Primus eſt humor nociuus, qui vel nocet ratione quantitatis, vel ratione qualitatis, humor, qui nocet ratione quantitatis, eſt abundantior in corpore, quam debebat eſſe, & hic humor à Medicis appellari ſolet plethora; humor, qui ratione qualitatis nocet, eſt ille humor, qui acquiſiuit aliquam qualitatem noxiam contra naturam, vt eſt Bilis vitellina; porracea, eruginoſa, Bilis maioris famæ ex qua prouenit tertiana febris ſpuria cum habeat aliquid pituitæ mixtum; minoris famæ eſt, ex qua prouenit quartana, vel etiam tertiana ſpuria, & hic humor à Medicis appellari ſolet cacochimia.

Secundus humor excrementitius eſt, qui nullum vſum præbet in corpore, vt eſt Vrina, Sudor, Mador, multique alij.

Tertius eſt, qui præbet aliquẽ vſum in corpore, vt eſt E.G. Bilis flaua, quæ tanquam excrementum ſegregata in iecore à chymo transfertur ad folliculum fellis, & indè in ventriculum, & inteſtina ad excitandam facultatem expultricem, vt excrementa foras eiiciat, ità Melancholia, quæ ſimiliter in iecore à chymo ſegregata fertur ad Lienem, & indè aliqua eius pars in os ventriculi, appetitum excitandi gratia, & ex tenuiori parte melancholiæ nutritur ipſe Lien. Similiter, & pituita ſegregata in iecore, vel in ventriculo transfertur ad inteſtina, illa oblinenda, vt faciliùs effluant excrementa.

Quartus eſt humor, qui in corpore generatur prolis causâ, vt eſt ſemen, lac, & ſanguis menſtruus. Semen eſt à natura ordinatum ad generationem fœtus: ſanguis meſtruus ad conſtitutionem fœtus, eiuſque nutritionem in vtero matris; lac ad nutritionem fœtus extra vterum.

Nomine igitur excrementi Ariſtoteles intelligit hoc excrementum quarto modo, ſeù humorem excrementitium quarto modo, qui eſt à natura inſtitutus prolis gratia; nomine vltimi

:imi alimenti intelligit humorem alimentarium, ideſt ſanguinem iam applicatum ſingulis partibus corporis. Ad hoc :xplicandum ipſe Ariſt. affert pro exemplo colores picturæ; Naturæ, inquit, accidit, quod contingit pictori; nàm pictor, qui debet pingere aliquam imaginem, priùs componit colores, deinde pingit, & vbi pinxerit fieri poteſt, vt ſuperſit aliquid co-oris, quo deindè vti poteſt ad pingendam aliam imaginem, ic, & natura poſtquam præbuit vnicuique membro, quod erat lli neceſſarium, reliquo vtitur ad conficiendum ſemen.

Confirmatur hoc totum experientiâ, quia pueri etiamſi ha-beant magnam abundantiam ſanguinis, non habent tamen ſe-men; quia totus ille ſanguis conuertitur in nutritionem, & aug-nentum; & ſenes ſemen non habent, quia non habent ſanguinē ufficientem ad nutritionem, & conſequenter multo minùs ha-bent ad conficiendum ſemen; vis enim conuerſiua alimenti in enibus eſt ita debilitata; vt vix ex alimento conuertere poſſit juantum ſufficit ad reſtaurationem deperditi, propterea in ſeni-ius ſequitur diminutio corporis, ſicuti in pueris augmentatio.

Semen animalis ſic definiri poteſt, ſemen eſt humor albidus x ſanguine, & ſpiritibus omnis generis factus, vt decidat ab nimali ad aliud animal generandùm; hæc definitio conuenit ólùm ſemini animalis. Ariſtotelis verò definitiò ſuperiùs al-ata conuenit omni ſemini. Quæritur hìc, quenam ſint Inſtru-nenta concurrentia ad perficiendum ſemen.

Dico varia eſſe inſtrumenta concurrentia ad perfectionem ēminis, quorum primum eſt ſcrotum, quod eſt ſaccus ille ru-oſus, qui in ſe teſticulos continet. Secundum ſunt Teſticoli, :minis perficiendi facultatem in ſe continentes, in quorum ımmitate eſt quædam tuba criſpa à capite, vſque ad eius fun-um, quæ dicitur Epididimus, vbi deſinunt venæ, & arteriæ permaticæ. Tertium ſunt glandulæ paraſtratæ, quæ ſunt in-gnes, iuxta collum veſcicæ exiſtentes, ſemen in ſe continent, ludque perficiunt quod poſteà perductum foras expellunt. uartum ſunt duo veſiculæ ſpermaticæ iuxta glandulas para-ratas, in quibus ſemen reſeruatur vſque ad eiaculationem.

Vt benè intelligatis, notate hunc ordinem; per venas, & ar-

terias ſpermaticas materia ſeminis fertur ad Epididimos & ex Epididimis per plura foraminula in teſticulos; Vbi illa materia, ſeu ille purior ſanguis perficitur, ac recipit à teſtibus albedinē, & ſubſtantiam ſpumoſam: per eadē deinde foraminula remeat ad Epididimos, & ex his ad canales ſpermaticos, ex quibus ad glandulas, & adueſiculas, ſpermaticas in quibus ſeruatur, vſque foras expellatur.

Dices multa animalia, vt ſunt piſces, & ſerpentes ſemen generant, & tamen non habent teſtes; ergo teſtes non ſunt de eſſentia, & neceſſarij ad producendum, ac perficiendum ſemen, vt confirmatum etiam fuit ſuperius ab Ariſtotele.

Reſpondeo negando conſequentiam, cum illa animalia ſint imperfectiora, imperfecto etiam ſemine generari poſſunt; animalia verò perfecta non poſſunt niſi perfecto ſemine generari, ideoque in iſtis neceſſarij ſunt teſtes; neque valet inferre, quod foeminæ habeant teſtes; ergò habent ſemen ad generationem idoneum, quia ſemen illud, licet in teſtibus elaboretur, non eſt tamen aereum, ſpumoſum, & craſſum, ſed nimis tenue, & aqueū, & conſequenter ad conſtitutionem fœtus omnino inutile.

Quæres an ſemen fœminæ poſſit peruenire ad tantam perfectionem, vt ſit calidiùs, vel ſaltem æquè calidum, & ſiccum ſemine maris?

Reſpondeo negatiuè, quia ſicuti non reperitur fæmina calidior, & ſiccior mare; ita non reperitur ſemen fœminæ, calidius, & ſiccius ſemine maris; ratio huius rei eſt euidens, quia ſemen quo generatur fœmina, eſt frigidius, & humidius; ſemen, quo generatur mas, eſt calidius, & ſiccius; ergò, & ipſa fœmina neceſſariò eſt mare frigidior, & humidior; talis enim eſt res, quale eſt principium conſtitutiuum rei, vt patet ex principijs philoſophicis; ſi igitur fœmina eſt frigidior, & humidior mare, & propter ſuum principium non poteſt peruenire ad caliditatem, & ſiccitatem maris, ita & eius ſemen non poteſt peruenire ad calliditatem & ſiccitatem ſeminis maris; ideoque in ſemine fœminæ non poteſt concedi vis actiua, & vis paſſiua.

Quæres ſecundò, an omnia animalia habeant ſemen?

Reſpondeo negatiuè; quia multa animalia non ſolùm imperfecta,

ta, vt ſunt ranæ, mures; & Vermes, & alia ſimilia, quæ generantur ex putri materia, ſed etiam perfecta generari ſolent e ſemine, vt alibi diximus, ex quibuſdam fructibus, in aqua tris decíſis, in Scotia generantur anſeres, & in quibuſdam lit;ibus Oceani, ex fragmentis nauium in aqua maris putrefactis untur Anſeres; perdices quoque vbique concipiunt, & ge;ant ſine ſemine, & coniunctione maris cum fœmina, ex eo um, quòd fœminæ aduerſæ maribus ſteterint, & ventus inafflet, vbi mares ſtant, plerumque etiam voce marium vteingraueſcunt, ſeſegeſtiunt, & libidine turgent, vt ait Ariſto:s quinto de hiſtoria animalium cap. quinto; ſimiliter, & œnix, auis pulcherrima, capite plumis inſigniter ornata, còl aureo, cerulea cauda, pinnulis magnitudine pauone pul'ior, & animal planè perfectum, quod vellicando, ſe ipſum nerat: ex cruore illius vulneris naſcitur quidam vermis, qui latim alis induitur, & animal volatile euadit, vel generahoc alio modo, vt auctores varij teſtantur, conſtruit vertin ex pluribus ramulis aromaticis, quaſi tumulum ſe ſupra iens, ſuis alis, & radio ſolis incendium excitat; quo in ci'em redacta, ex illo altera Phœnix gignitur; ſic ſunt & alia ra, quæ ſine ſemine generantur,

ARTICVLVS III.

A quibus partibus corporis proueniat ſemen.

Rima ſententia ait, ſemen prouenire ab omnibus partibus corporis: eſt Hippocratis lib. de aere, aquis, & locis, & de genitura.

.atio huius ſententiæ eſt, quia niſi ſemen ex omnibus particorporis proueniret, nō poſſent ex ipſo effingi omnia mem; ſed effinguntur omnia; ergò prouenit ab omnibus partibus; poris; Minor probatur, quia videmus aliquando filios geari ſimiles parentibus ſingulis partibus, vt ex claudis parenıs, claudi filij, & ex podogroſis podagroſi; ergò neceſſarium, vt à toto corpore ſemen proueniat.

Secun-

Secunda ratio habetur ex Ariſtotele, ſect. 4. problem. 22. vbi quærit, cur ille qui nimis concubit, magna ex parte langueſcit? Reſpondet idem Ariſtoteles, quia ſemen ex omnibus partibus corporis attrahitur.

Tertia ratio eſt, quia voluptas, quæ eſt in ſeminis ſeparatione percipitur in toto corpore; ergò ſignum eſt, ſemen prouenire à toto corpore.

Quarta ratio eſt, quia in nimia effuſione ſeminis totum corpus laborat, & exſiccatur; ergò ex toto corpore ſemen attrahitur.

Secunda ſententia ait, ſemen non prouenire ex omnibus partibus corporis, ſed ſolùm ex corde, & cerebro. Eſt quorundam recentiorum.

Prima ratio eius eſt; quia ſi ſemen proueniret ex omnibus partibus corporis, non tàm citò educeretur, & ſemitti poſſet; ergo non prouenit ab omnibus partibus corporis.

Secunda ratio eius eſt, quia color ſeminis eſt ſimilis cerebro, & in nimio concubitu præcipua pars, quæ patitur, eſt caput, oculi enim languent, ſubſident, palpebræ euadunt pallidæ; & tandem ex nimia effuſione ſeminis prouenit cæcitas. Propterea ad hoc denotandum, antiqui amorem cæcum piengebant; cor autem non ſentit magnam debilitatem propter ſanguinis, & ſpirituum abundantiam, quam in ſe continet.

Dices contra iſtam ſententiam ſpathones non emittunt ſemen, & tamen in acumine oculorum offenduntur; ergò non ex euacuatione ſeminis, ſed ex non euacuatione prouenit affectio oculorum.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia ſalaces propter nimiam effuſionem ſeminis. Spathones propter exciſſionem ſeminis oculorum affectionibus laborant.

Tertia ſententia ait, ſemen prouenire ſolum a teſtibus: Eſt ſententia Galeni primo de ſemine.

Probabilior mihi videtur prima ſententia, licet rationes ſecundæ ſententiæ non videantur facere contra primam ſententiam, quia principaliores partes corporis ſunt cor, hepar, & cerebrum; Vnde ex iſtis principaliter prouenit ſemen; ex alijs verò minùs principaliter.

Ra-

Ratio huius rei eſt; quia ſemen trahit ad ſe ſpiritus vitales à ɔrde; naturales ab hepate, & animales a cerebro, & ſangui-:m tenuiorem ab omnibus partibus corporis, ſicuti Magnes ahit ad ſe ferrum.

Prætereà in nimia effuſione ſeminis læduntur operationes ıturales in hepate, ideſt nutritio, & augmentatio: animales ı cerebro, ideſt imaginatio, iudicatio,&c. vitales in corde, vt ł conſeruatio caloris natiui, cæteræque omnes partes cor-ɔris languent; ergò ſemen prouenit ab omnibus partibus cor-oris, principaliùs tamen ab illis tribus partibus.

Neque tertia ſententia Galeni facit contra primam ſenten-am, quæ docet ſemen mediatè prouenire ab omnibus parti-us corporis, immediatè verò ex teſtibus; in nimia enim effu-one ſeminis,cum in vaſis ſpermaticis non ſit ampliùs ſemen, ım ibi pręparatũ trahitur immediatè ab omnibus partibus cor-oris ſanguis ille, qui iam erat pro alimento inſtitutus; patet oc experientia; quia in tali caſu illud, quod emittitur, non eſt lbum, & ſpumoſum, ſed purus ſanguis, qui immediatè trahi-ır ab omnibus partibus corporis; ex cuius nimia extrafuſione, liquando corpus languet, & ægrotat, & aliquandò ſuâ animâ enudatur. Deficiciente enim alimento corporis, deficit etiam nima illud animare, atque viuificare.

ARTICVLVS III.

An ſemen ſit animatum.

Prima ſententia ait,ſemen eſſe animatum;eſt Galeni, quam ſequitur Scaliger, & alij qui dicunt, illam virtutem, quę ɔrmat membra, illam eandem etiam eſſe, quæ illa membra iuificat.

Prima ratio huius ſententiæ eſt, quia omne, quod viuit, eſt nimatum; ſed ſemen viuit; ergò eſt animatum. Probatur mi-or, vbi eſt calidum, & humidum, ibi etiam eſt vita; ſed in ſe-ıine eſt calidum,& humidũ; ergò in ſemine eſt vita,& anima.

Secunda ratio eſt, quia ſemina plantarum viuunt, cum nutriantur, & augeantur, ſicuti plantæ; ergo multò magis ſemen animalis debet eſſe animatum. Probatur antecedens ex Galeno lib. de tabe cap. 1. vbi ait: tria eſſe genera viuentium, nempè animalia, ſtirpes eorumque ſemina: prætereà ait; ſemina plantarum eſſe ſolida, figurata, dura; & conſequenter organica, quæ nutriuntur, & augentur, ſicuti plantæ; ergò ſunt animata.

Tertia ratio eſt; quia ſemen habet facultatem, attractricem, & expultricem; ſed iſtæ ſunt facultates animæ vegetatiuæ; ergò habet animam vegetatiuam, cùm facultates animæ vegetatiuæ in aliquo corpore dari non poſſint, quin in illo detur anima vegetatiua, quæ eſt principium illarum facultatum.

Quarta ratio eſt, quia ſemen habet virtutem formatricem membrorum; ſed illa virtus formatiua eſt anima: ergò ſemen habet animam.

Secunda ſententia ait, ſemen non eſſe actu animatum. Eſt Ariſtotelis lib. 2. de gener. animalium cap. 1. & 3. quam ſequitur Conimbri. in cap. 4. lib. 1. de generatione, & corruptione q. 25. art. 2. multique alij.

Prima ratio eius eſt, quia anima definitur ab Ariſt. lib. 2. de anima tex. 4. 5 6. & 10. actus corporis organici, potentia vitam habentis; ergò anima non poteſt eſſe niſi in corpore organico, quale non eſt ſemen.

Secunda ratio eſt, quia omnis operatio vitalis efficitur per organum; ſed ſemen nullum habet organum; ergo nullam efficit operationem vitalem. Probatur minor, quia organum debet eſſe durum, & figuratum; ſed ſemen eſt liquidum, & nullam habet figuram; ergò non habet organum, quo efficiat operationem vitalem.

Tertia ratio eſt, quia anima eſt principium, quo viuimus, ſentimus, mouemur, ac intelligimus, vt inquit Ariſtoteles 2. de anima tex. 24. ſed ſemen nullam habet ex iſtis operationibus; ergò non eſt animatum.

Mihi probabilior videtur ſecunda ſententia, dicens, ſemen actu non eſſe animatum. Ratio eſt, quia, ſi ſemen eſſet animatum

tum actu, hanc animam, vel habebat, dum erat in corpore maris, vel acquiſiuit poſteà in vtero fœminæ, non poteſt dici primum, quia pars animata animalis eſt conſtitutiua eiuſdem animalis; ſed ſemen non eſt pars conſtitutiua animalis; ergò non poteſt dici animatum. Minor probatur, quia ſemen eſt humor, ideſt ſanguis; ſed humores non ſunt animati, vt infra probabimus, neque partes conſtitutiuæ animalis; ergò ſemen non poteſt eſſe animatum: neque poteſt dici ſecundum, quòd nimirùm acquiſiuit animam in vtero foeminæ, quia dum introducitur anima in vterum foeminæ, materia illa, quæ animatur, non habet rationem ſeminis, ſed rationem foetus, cùm informari tunc incipiant partes principes corporis. Præterea ſi ſemen eſſet animatum, vel eſſet animatum animâ vegetatiuâ, vel ſenſitiuâ, vel rationali; non poteſt dici, quòd ſit animatum anima vegetatiuâ, & ſenſitiua tantùm, quia in corpore hominis daretur aliquod animatum ſine anima rationali, quod eſt contra ſententiã aduerſariorum; neque poteſt dici, quòd ſit animatum animâ rationali, quia dum egreditur ſemen, vel egreditur ſimul anima rationalis, vel non; neutrum dici poteſt, vt ex ſe patet; ergo ſemen non eſt animatum.

Ad primam rationem primæ ſententiæ reſponderi poteſt negando minorem; ad eius probationem neganda eſt maior, quia Arſenicũ E.G. eſt valde calidum, & cùm ſit mixtum, habet etiã humidum, & tamen non eſt animatum, & è contra ſerpentes, papauer, aliæque multæ herbæ, & animalia frigidiſſima, viuunt, & habent animam; quia habent organa; adhoc ergò vt aliquid ſit viuens, præter eſſe calidum, & humidum, neceſſariò requirit, vt ſit etiam organicum.

Ad ſecundam rationem Reſpondeo negando antecedens; ad eius probationem dico, ſemina plantarum dupliciter acccipi poſſe, primò vt ſunt diuiſa à plantis, & ſic accepta ſunt vera ſemina, ſed non nutriuntur, neque augentur, & conſequenter neque habent animam.

Secundo accipiuntur, vt ſunt coniuncta ipſis plantis, & ſic accepta non ſunt ſemina, ſed compartes plantarum, ideoque nutriuntur, & augentur, conſequenter ſunt animata, & licet

Digitized by Google

deciſa ſeruent ſoliditatem, & figuram, non tamen ſunt animata; ſicuti cadauera, quæ licet non habeant animam, ſunt tamẽ figurata; ad eſſe animatum igitur, & organicum non ſufficit eſſe quomodocumque figuratum. Adamans enim, & Rubinus naturaliter ſemper creſcunt ſub octo hedra figura; ſmaragdus generatur, & augetur in cylindrum anguloſum, duodecim facierum eſt effigiatus, extremorum alter mucronatus, alter planus. Cryſtallus generatur, & nutritur exagonus in mucronem deſinens: Amethiſtus pendagonus, & vtrinque mucronatus generatur: Lapis iudaicus, qui à natura oualis, & ſtriatus, multaque alia ferè infinita, & tament non dicuntur organica, neq; viuere. Propriè organicum igitùr dicitur illud, quod tàm intrà, quàm extrà ità eſt figuratum, vt ad actiones vitales edendas, idoneum, ac aptum ſit.

Ad tertiam rationem. Reſpondeo, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia quandò habet iſtas facultates, non eſt ampliùs ſemen, ſed animal; tunc enim habet organa, quibus exercet operationes attractricis, & expultricis, &c. Dùm verò in vtero habet rationem ſeminis, nullam facultatem, nullam operationem, nullamque animam habet.

Ad quartam rationem. Reſpondeo virtutem formatiuam non eſſe animam, ſed aliquod vicegerens animæ; quia anima præſupponit ipſam virtutem informatricem membrorum, vt infrà dicemus.

Infertur ex dictis ſanguinem non eſſe animatũ. Nomine ſanguinis intelligo maſſam ſanguineã, quæ eſt conflata ex quatuor humoribus; nẽpè ſanguine, bile, pituita, & melancholia. Primo, quia non eſt corpus organicũ; corpus enim organicũ debet eſſe durum, & figuratum; ſanguis verò non eſt corpus durum, neque figuratum. Secundò, quia ſanguis non eſt continuatus, cum partibus; ſed contentus in venis tanquam in vaſe. Tertiò, ſanguis ſæpè exit ſine vllo doloris ſenſu. Quartò, quia Ariſtoteles primo de partibus animalium cap. 5. ait ſanguinem nullam habere operationem vitalem; & ſecundo de partibus animalium cap. 10. ait ſanguinem non ſentire, quia non eſt pars animalis; ergò ſanguis, ideſt quatuor humores contenti in maſ-

ſa

ſa ſanguinea, neque ſeorſim, neque ſimul ſunt animati.

Dices primò ſanguis eſt pars animalis; ergò eſt animatus.

Reſpondeo deſtinguendo antecedens ſanguis eſt pars eſſentialis, vel integralis animalis, nego antecedens, eſt pars in propria ideſt quatenus partes propriæ ab eo nutriuntur, concedo antecedens, & nego conſequentiam.

Dices ſecundo homo die Iudicij debet reſurgere cùm iſtis quatuor humoribus; ergo ſunt partes eſſentiales hominis.

Reſpondeo concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia in reſurrectione non ſolùm partes propriæ, ſed etiam impropriæ reſumuntur.

Dices tertiò, ſanguis mouetur ſurſùm, & deorſùm. Propterea effuſo ſanguine moritur animal; ergò eſt pars eſſentialis animalis.

Reſpondeo deſtinguendo antecedens, ſanguis mouetur ab intrinſico, nego antecedens, mouetur à facultate attractrice, vel expultrice, concedo antecedens. Effuſo ſanguine moritur animal, per ſe nego antecedens, per accidens, quatenùs nimirùm exhalant ſpiritus, & calor natiuus, qui ſeruiunt ad conſeruationem vitæ, concedo antecedens, & nego conſequentiam.

Propter omninò eaſdem rationes ſpiritus non ſunt animati; ſpiritus enim ſunt eſſentialiter ſanguis, qui continentur in arterijs; ſicuti ſanguis in venis. Spiritus non differunt à ſanguine, niſi quia ſunt tenuiores, & puriores, fluunt continuò, & alij de nouo generantur. Partes propriè viuentes ſunt ſolidæ, & continuatæ.

Dices, Ariſtoteles lib. de Iuuentute & Senectute cap. primò, & tertiò ait: ſpiritus nutriri, & viuere; ergò ſunt animati. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, ſpiritus nutriri, ideſt de nouo alij, & alij ex ſanguine, & aere generantur, concedo antecedens, nutriri propriè, vt aliæ partes corporis, nego antecedens, dicuntur viuere impropriè, quemadmodùm argentum viuum, & aquæ fluentes dicuntur viuere.

Propter allatas rationes multò magis humores excrementi-

tij,

tij, vt eſt bilis, pituita, & melancholia, non ſunt animati; tùm quia præter allatas rationes non ſunt partes primò intentæ à natura, licèt præſtent aliquem vſum in corpore.

Difficultas iam eſt de partibus exterioribus excrementitijs, vt ſunt pili, capilli, vngues, roſtra, plumæ ſquamæ &c. pro quibus inſtituendus eſt peculiaris Articulus.

ARTICVLVS IV.

An externæ excrementitiæ partes, ideſt Pili, Vngues, & aliæ ſint animatæ.

PRiùs nobis de pilis, ſeù capillis, deindè de alijs eſt agendum. Præterea primo loco explicandæ eorum cauſæ conditiones, ac proprietates, deinde an ſint animati.

Pili, & capilli omninò idem ſunt; pili enim in capite capilli dicuntur, quaſi dicantur capitis pili. Pro intelligentia naturam pilorum requiritur notitia modi, quo generantur, pro qua ſciendum eſt in omni concoctione generari duo genera excrementorum, vnum tenue, ac ſubtile, alterum craſſum, vt patet in concoctione, quæ fit in hepate, in qua ſecernitur malincholia, quæ eſt excrementum craſſum, & bilis quæ eſt excrementum tenue, ratio eſt, quia cum concoctio fiat vi caloris, neceſſe eſt, vt partes aliquæ plus æquò attenuentur; aliæ verò, quæ attenuari non poſſunt, tanquam excrementa eijciuntur. Simili modo in concoctione; quæ fit in ſingulis membris, dum nutriuntur, excernuntur duo genera excrementorum, vnum tenue, quòd excernitur inſenſibiliter, alterum craſſum, quod à calore foràs per poros cutis expellitur, & cùm ſit craſſum, & tenax, libere euaneſcere non poteſt, cuti adhæret, & cùm deinde à ſubſequenti vapore tenaci magis impellatur, protenditur, & recipit illam figuram oblongam, & rotundam iuxta figuram rotundam pororum. Ab aere deinde extrinſeco induratum pilorum forma inducitur; vndè quò magis à cute diſtant, eò duriores ſunt. Propterea qui incolunt regiones calidiores, durio-

riores habent capillos, vt docet Ariſtoteles tertio de hiſtoria animalium cap. 10.

Colligitur ex dictis, cauſam materialem pilorum eſſe humorem illum excrementitium craſſum, terreum, & vnctuoſum; quòd patet quia ſi euellatur aliquis pilus à radice, cernitur humor quidam tenax, qui adhæreſcit velùti pix quod etiam teſtatur Ariſtoteles tertio de hiſtoria animalium cap. 11. cauſam efficientem eſſe facultatem, quæ expellit illam materiam pilorùm, ſiue ſit virtus expulſiua animalis, ſiue ſit calor. Cauſam formalem eſſe conſtitutionem pilorum in eſſe pilos. Cauſam finalem eſſe duplicem, vnam eſſe ornamentum animalis, vt docet Ariſtoteles de part. animalium cap. 14. Gal. lib. 11. de vſu par. cap. 13. & 14. alteram cauſam finalem eſſe ad arcendas iniurias temporis, vt patet ex Ariſtotele ſecundo de hiſtoria animalium capite primo. Ideò homines ſunt in capite piloſiſſimi, quia cum caput ſit præcipua pars corporis, & non poſſit habere pinguedinem, vel carnem, quia eſſet nimis graue, illud natura pilis muniuit, ne lædatur à frigore, ſicuti etiam præbuit cilia, & ſupercilia ad tuendos oculos ab externis iniurijs.

Variæ ſunt conditiones requiſitæ ad generationem pilorum, prima eſt, quod cutis non debeat eſſe nimis dura, quia haberet meatus nimis anguſtos, quos materia illa fumoſa pilorum peruadere non poſſet. Vndè in vola manus, & pedis non naſcuntur pili. Propter eandem rationem in cicatricibus non generantur pili; nàm obſtruuntur meatus, & cutis fit magis compacta, & dura quam anteà fuerit, cùm enim in vulnere minuatur calor, minùs dilatantur pori, & minus materiæ pilorum generentur, cuius cauſa efficiens eſt calor.

Quæres, cur in hominum cicatricibus non naſcuntur pili, in cicatricibus verò equi generentur.

Reſpondeo propter três cauſas; prima, quia materia pilorum in hominibus, cum ſit magis tenax permeare cutim non poteſt; in equis verò cum ſit magis tenuis, & ſeroſa facile permeat; ſecunda quia cutis equorum habet plures meatus, illoſque maiores, cuius inditium ſunt craſſiores pili, & frequentiores. Tertia quia in equis eſt maior copia materiæ, qua generantur

pili,

pili, quod colligitur ex copia pilorum, & quia calor in illa parte eſt debilior, non poteſt concoquere illam materiam, ideò in cicatrice generantur pili debiliores, & alterius coloris.

Quæres, cur pili in cilijs, & ſupercilijs in ſenectute creſcant, non verò in iuuentute? Reſpondeo, quia in ſenibus per aperitionem commiſſuræ oſſium, pori dilatantur, & materia pilorum ſubminiſtratur; in iuuentute verò ſunt obſtructæ.

Quæres, cur Philoſophi magni, & homines cogitabundi habeant barbam magnam, pilos ciliorum, & ſuperciliorum longos, & rugas in fronte? Reſpondeo, quia ob continuam ſpeculationem ſpiritus vitales ſursùm elati, illas partes calefaciendo, & exſicando poros cutis magis dilatant; vnde barba longa, pili duri, ac longi, & rugæ in fronte proueniunt. Propter eandem rationem in quibuſdam fœminis calidioribus, ſi menſtrua retineantur, & ſursùm eleuetur, materia pilorum ſubminiſtratur, partes calefiunt; vndè pori aperiuntur, & barba generatur. Secunda conditio ad generationem pilorum eſt, vt cutis non ſit nimis mollis, ſed habeat aliquam ſiccitatem, & duritiem; nam alioquin concidunt meatus, qui ſunt in cute, & pili exoriri non poſſunt, vt docet Ariſtoteles quinto de generatione animalium cap. tertio. Hinc oritur, vt in ore non naſcantur pili; lepores verò in ore pilos habent, quia in ore cutim duriorem habent: & maximam copiam materiæ. Ex hoc etiam prouenit, vt Pueri, & fœminæ non multum abundent pilis, quod etiam accidit hominibus humidioribus, vt notat Ariſtoteles ſect.4. prob.4. Vndè, quia Pueri progrediente ætate à calore exſiccatur humor, & cutis fit ſiccior, ac laſſior, naſcuntur pili: Mulieribus verò, quia ipſæ ſunt frigidæ & humidæ; cutis, & humor exſiccari non poteſt, pilos non emittunt, ſed ferè tota materia pilorum conuertitur in menſtrua, fœminæ verò, quæ ſunt calidiores, & menſtrua non emittunt, barbam emittere ſolent. Ob eandem cauſam Eunuchi barbam non emittunt.

Omnia animalia viuipera habent pilos non omnia eodem modo: bruta enim animalia in toto corpore, & præcipuè in poſterioribus partibus: homo verò in anteriori parte tantùm, & præſertim in capite, eſt hirſutus, vt docet Ariſtoteles ſecundo

de

de hiſtoria animalium cap.1.cuius rationem reddit ſect.10.probl.42. quia,inquit, habent cerebrum humidum, cum multi vapores à toto corpore ad caput aſcendant, cerebrumque humidiſſimum reddant. Vndè, qui habent caput nimis compactum, cùm exhalari non poſſint, frequenter dolore capitis laborant. Cætera verò animalia huiuſmodi vapores aſcendentes ad caput conuertunt in iubam, vel cornua, vel aliquid ſimile.

Pili alij ſunt congeniti,vt capitis,ciliorum,& ſuperciliorum; alij poſtgeniti; vt pubis priùs, deindè alarum, poſtremò menti generantur, in Eunuchis poſtgeniti non naſcuntur,& ſi caſtrentur poſt pubertatem pili congeniti decidunt, qui ſunt in mento tantùm, vt docet Ariſtoteles quinto de generatione animalium.

Multæ ſunt proprietates pilorum, quarum prima eſt caluities, quæ eſt comunis plantis, auibus, & animalibus, præcipuè hominibus. In plantis dicitur defrondeſcere, in auibus depenneſcere, in hominibus caluities.

Caluities oritur ex penuria humoris calidi, & pinguis, vndè plantæ, quæ abundant humore perpetuò vireſcunt. Caluities propriè in hominibus, de qua nos hic loquimur, fit in anteriori parte capitis præcipuè in ſenibus.

Dubium iam eſt de caluitiei cauſa, Gal. ſecundo de temp. docet, caluitiem fieri ex ſiccitate cutis; nam quemadmodum, inquit, terra exſiccata, herbæ conciduat, ità pili in cute arida conſiſtere nequeunt. Sed hæc non poteſt eſſe adæquata cauſa, quia etiamſi cutis in ſenibus ſit rugoſa, eſt tamen mollis, & multo humore perfuſa, præſertim cum pili in ſenibus, decidunt in brachijs, & cruribus, in quibus cutis non eſt adeo arida.

Præcipua cauſa caluitiei mihi videtur eſſe defectus humoris vaporoſi, qui eſt materia pilorum, & defectus caloris, qui poſſit humorem illum concoquere, & à corpore excludere, licet aliquandò proueniat ex mollitie cutis, quæ non eſt apta retinere pilos. Vndè Auicenna, inquit, Aetyopes, quia habent cutim duriorem,non tàm facile calueſcunt,vt noſtri homines.

Dices, materia piloruм ſit in tertia concoctione, quæ eſt in tota cuti, ſicuti nutritio, ſed in ſenibus abundat huiuſmodi materia; ergo non poteſt deficere. Reſpondeo diſtinguendo, minorem in ſenibus abundat huiuſmodi materia in quibuſdam partibus, tranſeat minor in omnibus partibus; nego minorem & conſequentiam, quia decurſu ætatis refrigeratur corpus, ac cerebrum, & in ſyncipitè non eſt caro, ſed oſſa, ideoque ibi fit exigua nutritio propter defectũ caloris, propterea exigua materia pilorũ generatur; & etiamſi aliũde deferatur humor, qui eſt materia pilorũ, ob defectũ tamen caloris extra cutim eijci non poteſt; Vndè colligitur, cur caluities fiat in ſyncipite, & non in temporibus, quia in temporibus eſt plus carnis, quàm in ſyncipite, & conſequenter plus ſanguinis, & caloris coquẽtis illam materiam, vnde eſt copioſior materia pilorum. Propter eandem cauſam tabidis propè mortem decidunt pili, quia iam abſumpta eſt materia pilorum, & deficit calor. Hinc etiam fit, vt cæci nati non caluefcant, quia calor, qui defluere debebat ad oculos, confert ſe ad partem, in qua fieri debebat caluities, ibiquè abundat humor, qui conuertitur in pilos. Eunuchi, & fœminæ non caluefcunt, quia propter eorum magnam humiditatem, habent multam materiam pilorum.

Dices, ſi Eunuchi habent multam materiam pilorum cur non emittunt barbam.

Reſpondeo ob defectum caloris, qui non poteſt illam materiam dirigere.

Dices, cur ex defectu caloris etiam non caluefcunt?

Reſpondeo primò, quia minùs caloris requiritur, vt producantur pili congeniti, quam poſt geniti, Secundò, quia plus caloris requiritur ad producendum, quàm ad conſeruandum; pili in capite ſunt congeniti, in mento vero poſtgeniti.

Dices, ſi plantæ amittant frondes, & bruta animalia pilos, iterùm illos recuperare poſſunt, cur homines, dum caluefcũt, non poſſunt ampliùs illos recuperare? Reſpondeo, quia plantę, & bruta animalia caluefcunt, vel ob defectum caloris extrinſeci, vel etiam intrinſeci, qui defectus tolli poteſt, & frondes, & pili regenerari; at verò caluities in hominibus, cum

proueniat ex defectu caloris a ſenectute abſumpti recuperari non poteſt, ideòque amiſſi pili regenerari nequeunt.

Tertia proprietas pilorum eſt canities, quæ prouenit ex putrefactione humoris, ex quo fiunt. Nam deficiente calore materia pilorum cùm concoqui non poſſit, putreſcit,quâ putrefacta pili albi educuntur, vt patet in charie ligni, & ſanie vulnerum, &c. quæ perfectè albeſcunt: res enim humidæ faciliùs putreſcunt, quàm ſiccæ. Vndè capilli vncti aqua, & oleo, citiùs caneſcunt, vt docet Ariſtoteles tertiò de generatione animalium cap.5. Aqua enim refrigerat, & humectat, oleum facit ne facilè exſiccentur.

Propterea etiam capilli ruſi alijs citius caneſcunt, vt docet Ariſtoteles quinto de generatione animalium cap.4. quia illi, qui habent huiuſmodi capillos, non habent tãtùm caloris,quãtùm habent ij quorum capilli nigri ſunt. Et ex hoc oritur, vt vitiligo cauſet canitiem, quæ cum generetur ex putrefactione, & ſit in magna copia, ſignificat eſſe magnam quantitatem materiæ putridæ, ex qua generantur capilli cani. Eunuchi citiùs caneſcunt, quia ſunt frigidiores; & ex hoc prouenit etiam, vt citiùs caneſcant tempora hominis, quam aliæ partes, quia ibi eſt magna copia pilorum, quæ à calore vinci non poteſt, ideò putreſcit. Bruta verò animalia, cum habeant minorem quantitatem cerebri,minus frigoris,& humiditatis habent, in capite, ideò non caneſcunt; equus verò cum habeat cranium ſubtilius caneſcere ſolet.

Aliquando capilli caneſcunt, quia exſiccatur humor in illis contentus, vt herbæ caneſcunt dùm areſcunt & amittunt humorem, & ex hoc fit, vt interdùm capilli videantur cani in extremitatibus non verò in radice, quia in extremitate magis exſiccantur,& hoc modo caneſcunt,qui ſubitò ex aliquo terrore, vel aliqua alia ſimili cauſa terrentur.

Quæres, cur pueri, cùm habeant multum humoris, & ſint valdè pituitoſi, non caneſcant? Reſpondeo, quia habent calorem intenſum, qui poteſt concoquere illum humorem.

Quæres, cur pili eriguntur,quandò horreſcimus?

Reſpondeo, calor ad intima confluens, relinquit partes ex-

teriores, quæ cum maneant frigidæ, ſiccæ, & rigidæ, humor congeleſcit; vndè neceſſariò ſequitur, vt pili erigantur.

Quarta proprietas pilorum eſt, eſſe criſpos, vel molles, vel longos, breues, &c. Ariſtoteles quinto de generatione animalium cap. 5. ait, capillos fieri criſpos, ſi fiant ab exhalatione fumoſa, quæ ſuo calore ſurſum feratur, & cum ſit terrea, ſua natura fertur deorſum, propter hunc duplicem motum neceſſariò proueniunt criſpi. Gal. addit, quia exeunt per poros obliquos, & tortuoſos.

Sciendum tamen eſt, pili criſpi ſunt magis terrei, & parum continent humoris, qui, cum exſiccentur a calore ambientis, neceſſariò criſpi eueniunt, quod patet: nam Arabes, Aegyptij, & Indi habent pilos criſpos, propter nimium calorem illarum regionum. Scithes, & Thraces propter nimium frigus ambientis habent pilos rectos, & prolixos.

Pili recti proueniunt a materia non adeò terrea, & ſicca, longi proueniunt à magna copia materiæ humidæ; breues à materia pauca, & ſicciori, molles à nimia humiditate, vt patet in capillis ſenium puerorum, duri à ſiccitate.

Quinta proprietas capillorum ſunt colores; nam non nulli habent capillos nigros, alij albos, alij flauos, & alij rubros, &c. Quorum cauſa refertur ad materiam pilorum, vt docet Gal. ſecundò de temperamentis, cap. 5. nam nigri fiunt à materia fumoſa, & melancholica, albi à pituitoſa, flaui à materia bilioſa, & aliquando mixta, cum aliqua portione pituitæ, rubri à materia ſanguinea, &c. Variantur tamen colores pilorum ob varietatem ætatum, & regionum; nam pueri habent capillos rufos, iuuenes flauos, viri nigros, ſenes canes, ſecundum maiorem, vel minorem concoctionem, & qualitatem materiæ.

Qui colunt regiones calidiores, habent capillos nigros, qui colunt frigidiores rufos, vel flauos.

De coloribus pilorum, pennarum florum, & herbarum, plura habentur, infra in tractatu de obiecto potentiæ viſiuæ, id eſt de coloribus.

Remanet explicandum principale quæſitum, an nimirum pili, ſeù capilli ſint animati? Pro cuius intelligentia Sciendum

eſt, ad hoc vt aliqua pars corporis ſit animata, tres præcipuè conditiones requiri: prima eſt, vt nutriantur vera nutritione; ideſt ex alimento intento à natura. Secunda eſt, vt non amittatur. Tertia quod non nutriatur, neque augeatur ſinè anima. His adnotatis.

Dico, pilos, ſeù capillos non eſſe animatos.

Probatur, pili non habent conditiones requiſitas ad partem animatam; ergò non ſunt animati.

Probatur antecedens: nam pili non nutriuntur ab alimento intento à natura, ſed creſcunt, & augentur per partem additam parti; vna enim pars trudit aliam, & illa, quæ erat radix, fit media, vt ſuperiùs diximus. Secundò, pili maximè creſcunt in ægritudinibus, & ſenectute, vt teſtatur Ariſtoteles quinto de generatione animalium cap. 3. quia in ægritudine, & ſenectute, cum calor non poſſit conuertere alimentum in ſubſtantiam corporis, generatur magna copia excrementorum, quibus capilli augentur.

Dices, in ægritudine decidunt capilli; ergò in ægritudine non augentur. Reſpondeo diſtinguo antecedens in ægritudine, ſeù potiùs poſt ægritudinem decidunt capilli ob defectum materiæ excrementitiæ, nego antecedẽs, ob defectum caloris morbifici, qui dilatando poros facit, vt capilli decidant concedo antecedens, & nego conſequentiam.

Tertiò, pili creſcunt in mortuis, in ſepulturis, in quibus non eſt anima; ſed ſolùm, quia à putrefactione generatur magna copia materiæ tenacis, & terreæ, ex qua pili augentur. Quartò, pili amittuntur, & alij generantur; ergò pili non poſſunt dici animati.

De vnguibus, roſtris, cornibus, & alijs.

SCiendum eſt, omninò eandem eſſe materiam vnguium, roſtrorum, cornuum, ac pilorum, & omninò eodem modo generantur, ac pili. Vngues, & vngulæ non differunt, niſi quià vngues ſunt in habentibus digitos, vngulæ verò in nõ habentibus digitos. Aueſ, quæ habent roſtrum aduncum, habent, & vngues

gues aduncas, vt ſunt, quæ raptu viuunt, quæ verò habent vngues rectas, habent & roſtrum rectum. Similiter animalia, quæ habent vngulas fiſſas, gemina habent cornua, quæ verò habẽt ungulas ſolidas, ſi cornua habeant, non habent niſi vnum. Deindè animalia, quæ habent vngues fiſſas, habent etiam talos.

Quoad quæſitum, an nimirùm ſuperiùs dicta ſint animata, Dico, vngues, vngulas, roſtra, & cornua non eſſe animata.

Probatur, omnia iſta non habent conditiones requiſitas ad partes animatas; ergò non ſunt animata. Probatur antecedens primò, non generantur, neque nutriuntur ex alimento primo intento à natura; ſed ab humore excrementitio, & per additionem partis ad partem, ſicuti capilli.

Secundò amittuntur, & iterùm generantur.

Tertiò creſcunt ſine anima ſicuti pili, vt docet experientia, & Ariſtoteles lib. de hiſtoria animalium; ergò, non ſunt animata.

QVAESTIO III.

De ſanguine menſtruo, eiuſque proprietatibus.

ARTICVLVS I.

Quid ſit ſanguis menſtruus, & an omnes fæminæ illum habeant.

SAnguis menſtruus eſt, qui in muliere generatur, propter conſtitutionem fœtus, eiuſque in vtero nutritionẽ hic ſanguis quotidiè generatur, & reconditur in vaſis, vt deinde ex eo conſtituatur, & nutriatur in vtero matris fœtus; ſi verò natura fruſtretur, ideſt ex eo non conſtituatur, neque nutriatur fœtus, in fine menſis foras effluit, per quatuor, aut quinque dies, in quibuſdam verò per duos, aut tres.

Quæ

Quæres an omnes mulieres habeant menſtrua ſingulis menſibus?

Reſpondeo, multas fœminas habere ſingulis menſibus, quaſdam vero, licèt benè habitas, & prolificas vix ſemel, vel bis in anno habere, quaſdam neque ſemel in anno, quæ tamen antequàm concipiant debent ſaltem ſemel habere.

Ratio autem iſtius rei eſt; quia dùm fluunt menſtrua, exfundo vteri per acceptabula vterus expurgatur, & acceptabula tunc non ſunt clauſa, per quæ ſemen ſanguini permixtum facilè allicitur, quantum opus eſt ad conceptionem.

Sunt quædam mulieres, quarum natura eſt aſſuefacta ſe exonerare per venas, & arterias deſcendentes ad collum vteri; vndè in iſtis, cùm ſanguis non effluat per acceptabula, ſemper illa remanent clauſa: ideoque tales mulieres ſunt ſteriles, vt agentes de ſterilitate explicabimus. Pauciſſimæ tamen ſunt, & quaſi inaſſignabiles fœminæ, quæ in ſingulis menſibus menſtrua non habeant. Difficultas iam eſt, cur in fœminis menſtrua ſingulis menſibus habentibus ſit tale determinatum tempus, & periodus, & cur nimirùm non fluant bis in menſe, ſeù ſemel in hebdomade, vel duobus menſibus, ſed ſemper ſeruent eundem diem, prò qua.

Quidam dicunt cauſam iſtius periodi eſſe quàndam determinatam quantitatem ſanguinis, quæ per vnum menſem collecta in fine menſis ſtimulat naturam ad eius purgationem.

Sed iſti malè dicunt, quia licèt illa quantitas ſanguinis ſtimulet naturam ad purgationem, non tamen illa quantitas poteſt eſſe cauſa periodi, ideſt quòd eodem tempore, eodemque die ſequentis menſis effluant menſtrua.

Ratio huius rei eſt, quia non ſemper omnes mulieres; immò neque vna eadem quantitatem ſanguinis, ſed nunc maiorem, & nunc minorem, & tamen, facta quantitatis varietate non variatur periodus, ſed ſemper contingit eodem tempore, & aliquando eodem die: ergò ſignum eſt, quòd non proueniat à quantitate ſanguinis.

Quidam alij dicunt, cauſam illius periodi eſſe qualitatem illius ſanguinis, qui ſui purgationem exigit; ideò tali qualita-

te

te ſtimulat naturam ſingulis menſibus, vt foras expellatur.

Sed neque iſti benè dicunt, quia mulieres non ſemper expurgant eundem humorē excrementitium, aliquando enim expurgant purum ſanguineum, aliquandò melancholicum, aliquandò colericum, & aliquandò phlegmaticum: ſi ergo periodus proueniret à qualitate materiæ iuxta varietatem illius ſanguinis, variaretur, & periodus; ſed non variatur; ergo non habetur ex qualitate ſanguinis.

Mihi videtur, cauſa huius periodi eſſe luna, & hoc expreſsè docet Ariſtoteles ſeptimo de hiſtoria animalium capite ſecundo vbi ait: profluuium menſium contingere decreſcente luna.

Ratio eſt, quia mulieres ferè ſemper hanc euacuationem habent, circa tempus aſpectuum lunarium, nempe circa nouilunium, vel circa plenilunium, vt experientia conſtat.

Præterea luna in iiſdem aſpectibus ſemper ſolet afferre nimias commotiones in corporibus humidis; videmus enim in aere excitari pluuias, ventos, in mari tempeſtates, in corporibus fluxiones, catarrhos & abundantiam humorum excrementitiorum; ſed mulieres ſunt humidiores, & lunæ ſubiectæ, vt docet Ariſtoteles de hiſtoria animalium cap. 2. ergo in iſtis excitat talem humorem excrementium. Confirmatur experientiâ lapidis ſelenitis, qui ob dominium lunæ creſcentis creſcit, & decreſcentis decreſcit; ſed fœminæ ſunt ſub eodem dominio lunæ; ergo creſcente luna ſanguis menſtruus generatur, & in vaſis reconditur, decreſcente luna decreſcit, ideſt expurgatur.

Quantitas ſanguinis menſtrui, qui in ſingulis menſibus expurgatur, præcipuè in fœminis ſanis, & prolificis, eſt circiter vnius libræ, & ſemis, vt experientia docet.

Difficultas iam eſt de tempore, quo incipiant menſtrua, & generatio in puellis, & ſemen in pueris, pro qua eſt.

ARTI-

ARTICVLVS II.

De tempore quo incipiunt menſtrua, eiuſque ſignis.

DIco breuiter cum Ariſtotele lib. 7o. de hiſtoria animalium capite primo fœminam incipere emittere ſanguinem mẽſtruum, & generare anno decimotertio, ſeù decimoquarto vſque ad quinquageſimum annum circiter, marem verò incipere ſemen emittere, & generare ab anno decimoquarto vſque ad ſeptuageſimum circiter.

Quidam tamen, hunc terminum negantes, afferunt multa exempla, ad probandum ante talem ætatem generari poſſe, & præcipuè apud Sauonarolam habetur, puellam nouem annorum generaſſe, & apud D. Gregorium in ſuis dialogis, puer quidam nouem annorum nutricem ſuam grauidaſſe, & apud D. Hieronymum, puerum decem annorum grauidaſſe, & apud Valeſcam de Taranta, vetulam quandam poſt annos ſexaginta generaſſe tres filios, multaque alia exempla afferri ſolent ab Auctoribus.

Ad iſta exempla, & alia ſimilia reſpondeo, quod nunquam negaui, naturam poſſe mirabilia facere, & cùm iſta ſine mirabilia, & prodigioſis ſimilia ſcriptis mandata ſunt. Ego dixi incipere tali tempore cum Ariſtotele, & alijs regulariter loquendo.

Quæres, quæ ſint ſigna inceptionis ſeminis in pueris, & ſanguinis menſtrui, ac etiam ſeminis in puellis?

Reſpondeo multa, ac varia eſſe eorum ſigna, quorum Primum eſt mutatio vocis, cum nimirùm illa ex acuta euadat grauior, & paulò rauca. Ratio iſtius mutationis eſt, quia pueri, & puellæ ante decimumquartum annum propter nimiam humiditatem habent aſperam arteriam anguſtam, ratione cuius vocem reddunt acutam: anno verò decimoquarto circitur calor ſuperans humiditatem, dilatat pectus, aſperam arteriam, & teſtes; vt ad perficiendum ſemen capaciores reddantur; ſic

R cæte-

cætera omnia organa generationis, in puellis ſimiliter vi caloris præter dilatationem aſperæ arteriæ, & pectoris ampliores eueniunt mammæ propter elaborationem lactis, & vterus propter capacitatem fœtus, cæteraque inſtrumenta generationi inſeruientia ampliora redduntur. Hæc mutatio fit anno decimoquarto, quia ſingulis ſeptenarijs annorum in corpore viuentis diuerſæ, ac notabiles mutationes fiunt, ratione quarum vita diuiditur in vndecim ſeptennia, vt alibi dictum eſt; vox igitur puerorum, & puellarum grauior euadit propter dilationem aſperæ arteriæ, & paulò rauca, propter exiccationem eiuſdem arteriæ.

Secundum ſignum eſt, dum vbera tumeſcere incipiunt. Et ratio huius tumoris eſt, quia venæ mammarum, cum habeant magnam connexionem in puellis cum venis vteri, in pueris cũ venis ſpermaticis, iſtis venis impletis, & tumeſcentibus, & ipſe mammæ tumeſcunt.

Tertium ſignum ſunt pili circa pudenda, qui ibi prouenire ſolent ex eo, quod partes illæ per aduentum ſeminis incaleſcant, earumque pori aperiantur, quibus vi caloris ſeminis apertis ſtatim egrediuntur pili.

Quartum ſignum eſt, quia tempore inceptionis ſeminis corpora fiunt hilariora, & audaciora, magiſque ciuilitati ſtudentia.

Ratio huius rei eſt, quia cum amare incipiant, à corde per habitum corporis diffunduntur multi ſpiritus, ratione quorum hilariores euadunt, & quia tunc creſcit calor naturalis in corde, audaciores euadunt.

Quintum ſignum eſt, quia, vt inquit Ariſtoteles, tempore inceptionis ſeminis corpora puellarum, & puerorum ex macilentibus fiunt pinguiora, & ex morboſis ſana; & è contra ex pinguibus fiunt macilenta, & ex ſanis morboſa.

Rationem huius rei reddit Ariſtoteles ſeptimo de hiſtoria animalium cap. 1. vbi ait: ſi pueri, vel puellæ ante inceptionem ſeminis abundent excrementis, in emiſſione ſeminis vel ſanguinis menſtrui, emittunt cum illo & ipſa excrementa. Vndè illa corpora ex macilentibus, & morboſis fiunt pinguia, & ſana:

na: Si vero pueri, vel puellæ ante inceptionem ſeminis benè ſe habeant, ſine vllo excrementorum vitio, per emiſſionem ſeminis, atque menſtruorum purgationem ſemper emittitur aliquid boni, & ad conſeruationem ſanitatis neceſſarium, vndè corpora eorum ex pinguibus macilenta, & ex ſanis morboſa euadunt.

Prætereà propter effuſionem tenuioris ſanguinis, & ſpirituũ à corde per habitum corporis, quæ præcipuè tempore illo euenire incipit propter amorem, deſiderium, aliaque plura, quæ tali ætati aduenire ſolent, corpora pulchriora, ac hilariora euadunt.

Quæres, cur fœminæ citiùs, quam mares ferè ſemper incipiant generare?

Reſpondeo fœminas citiùs pubeſcere, & geniales fieri, quia ſunt infirmiores maribus, & hæc ratio confirmatur ex Theophraſto de cauſis plantarum nono, & vndecimo, vbi habetur, quòd quæ infirmiora ſunt, faciliùs, & citiùs perficiuntur, & etiam exilia poma ad breue tempus durantia citiùs matureſcunt: robuſta verò, ac duriora ſeriùs matura fiunt, & cauſa huius infirmitatis videtur eſſe humidum radicale; habentia enim humidum perfectiùs, ideſt pingue, & aereum, tardiùs creſcunt, perficiuntur, ſeneſcunt, ac moriuntur; habentia verò humidum radicale imperfectiùs, citiùs creſcunt, perficiuntur, ſeneſcunt, ac moriuntur: patet hoc non ſolùm in animalibus, ſed etiam in plantis; Nam perſica arbor propter tale humidum citò creſcit, fructum reddit, atque citò corrumpitur: Cupreſſus verò, & oliua, multaque alia, propter eorum humidum pingue, & aereum, tardiùs creſcunt perficiuntur, atque exſiccantur, & moriuntur.

Quæres, cur in fœminis reperiatur purgatio menſtruorum, & non in maſculis.

Reſpondeo, quia fœminæ habent calorem debiliorem, & remiſſiorem, qui calor, cùm non poſſit omnia ſuperflua diſcutere, ſuaſque actiones perficere, multa aggregat excrementa, multaſque ſuperfluitates, à quibus natura in fine menſis, vel alio tempore expurgatur. Vndè & ex maribus multi habentes debiliorem calorem, habent etiam quandam expurgationem ſan-

guinis ex venis hemorrhoidalibus, vel alijs locis,quo ſanguine non euacuato morboſi redduntur, ſicuti & fœminæ, quæ non euacuatis menſtruis ferè ſemper morboſæ viuunt.

Alia ratio etiam videtur eſſe,quia cùm ſanguis mẽſtruus ſit à natura ad generationẽ vel nutritionem fœtus inſtitutus; dũ fruſtretur, extra à natura expellitur; in maribus verò, cùm ſanguis non ſit inſtitutus ad generationem,& nutritionem fœtus in illis talis ſanguis non generatur, neq; expurgatur niſi in habentibus calorem naturalem debilem,vt ſuperiùs diximus.

Quæres, cur ſolùm fœminæ hominum, & non aliorum animalium menſtrua habeant?

Reſpondeo, animalia omnia præter piſces habere menſtrua, adeò tamen exigua, vt inſenſibiliter videantur fluere. Ratio eſt, quia illa materia excrementitia in quibusdam animalibus conuertitur in corporis alimentũm, in quibuſdam in corticem, in quibuſdam in ſquamas, in alijs in frequentiam pilorum, & ſimilibus.

In fœminis verò hominum; cùm excrementitia illa materia non conuertatur in partes corporis, neque in alijs illam abundantiorem habent, & ſenſibiliter expurgantur.

Secunda ratio eſt,quia fœminæ aliorum animalium,cùm ſint multò ſicciores, maioribus laboribus, & exercitationibus deditæ, in eis abſumitur humor ille excrementitius; fœminæ verò hominum, cùm ſint humidiores, & otioſę, ac pleniori victu, abundantiorem producunt ſanguinem excrementitium.

Quæres, cur puellæ ante tale determinatum tempus non habeant menſtrua?

Reſpondeo, quia ille ſanguis conuertitur in augmentum, ideòq; non ſupereſt ad purgationem; ſicuti materia ſeminis in pueris conuertitur in nutritionem, & augmentationem; ideòq; ante decimum quartum annum, vt etiam alibi dictum eſt, ſemen non habent, & vetulæ menſtrua non habent, quia vix habeat ſangunem ſufficientem ad alimentum; ſicuti in ſenibus ſanguis, qui conuertitur ex alimento vix eſt ſufficiens ad nutritionem, ſeu reſtaurationem corporis ideòque ſemine carent.

ARTI-

ARTICVLVS III.

De varietate ſanguinis menſtrui.

DVplex eſt ſanguis menſtruus, vnus ingrauidationis, & alter puerperij. Primus generatur in grauidis. Secundus, ideſt puerperij, eſt, qui immediatè poſt partum ſuccedit. Vnde puerperium aliquando accipitur pro tempore immediatè poſt partum, & aliquando pro ſanguine tempore illo effluente.

Difficultas eſt de tempore, quo purgatio ſanguinis durat immediatè poſt partum. Quidam dicunt, in parturientibus marem, talem ſanguinem fluere vſque ad quadrageſimum diem; in puellam verò parturientibus vſque ad diem octogeſimum. Sed hoc videtur falſum, & contra experientiam; quia aliquæ mulieres purgantur æquali tempore, tàm marem, quàm fœminam parturientes, & aliæ ante ſpatium vnius menſis: hoc tamen verum videtur eſſe in puellam parturientibus, plùs purgationem durare, quàm in marem parturientibus.

Sciendum eſt, ſanguinem menſtruum, alium eſſe puriorem, ideſt ſine malignitate, qui ad nutritionem, & conſtitutionem fœtus idoneus eſt, & alium prauum, & adeo malignum, vt nõ ſolùm non ſit aptus ad conſtitutionem fœtus, ſed ex eius tactu fruges reddantur ſteriles, & exſiccentur, ob eius guſtum canes agunt in rabiem, & ſi tempore huius purgationis vir coniungatur cum fœmina illa, ſequitur in eo caſus omnium pilorum, illique communicat omnia infortunia.

Quæres vndè prouenit iſta mala qualitas, ac malignitas in ſanguine menſtruo?

Reſpondeo, varias eſſe opiniones de malignitate menſtruorum. Quidam enim dicunt, malignitatem in ſanguine, mẽſtruo prouenire ex eius mordacitate: ſed iſti male dicunt, quia ob mordacitatem corroderet, non malignaret corpora: nam arborem ſterilem reddere, & canem rabidum, non eſt illa corrodere,

dere, ſed malignitatem, ſeù qualitatem noxiam illis communicare.

Alij volunt prouenire ab eius fæculentia; ſed neque iſti bene dicunt, quia fæculentia ratione ſui non poteſt producere tales effectus, vt patet in cæteris omnibus, nàm fæces, non ſolùm malignitatem, non producunt, ſed animalia nutriunt, vt patet in ſue, cane, & alijs animalibus, quæ ſæpè veſcuntur fæcibus.

Dicendum ergò puto, malignitatem prouenire ab atrabile, quæ eſt humor adeo peſſimus, vt efficiat effectus, veneno ſimiles; mixta ergò aliqua portione atrabilis ſanguine menſtruo, communicat illi malam illam qualitatem, ac malignitatem, ex qua oriuntur ſupradicti effectus.

Quæres an in grauidis detur expurgatio menſtruorum?

Reſpondeo, grauidas ſanguinem menſtruum ex vtero expurgare non poſſe. Ratio eſt primò, quia ſanguis menſtruus in vtero retinetur ad nutritionem fœtus, ſecundò, quia ſtatim poſt conceptionem vterus clauditur, & conſequenter ſanguis effluere non poteſt; ſi vterus enim aperiretur ad ſanguinis expurgationem, fœtus magnoperè læderetur.

Confirmatur ex Hipp. 5. Apho. tex. 61. vbi ait: dùm vtero gerentes purgationem menſtruorum habent, impoſſibile eſſe, fœtum eſſe ſanum, licet aliquandò in grauidis exiguus ſanguis menſtruus expurgetur, non tamen ab acceptabulis, ſeu fundo vteri, ſed à quibuſdam venis, in collo vteri exiſtentibus.

Quæres vndè prouenit retentio menſtruorum?

Reſpondeo, ex pluribus cauſis; in vetulis, & puellis, propter ſanguinis inopiam; in cæteris, aliquandò ex nimia effuſione lactis per mammas, aliquando ex frigiditate vteri, & aliquando, ex aliquo morbo, cui natura intenta, ſuperare non poteſt ſanguinem menſtruum expellere, vel morbus ille ex ſua natura impedit illius effluxum.

QVAE-

QVAESTIO IV.

De vtero, & ad eum pertinentibus.

ARTICVLVS I.

Quid ſit vterus.

VTerus eſt quoddam corpus, formam veſicæ habens, inter veſicam, & inteſtinum rectum poſitum, quod corpus vterus, matrix, & vulua communiter appellari ſolet.

Dicitur vterus, quia fœtus in eo tanquam in vtre continetur, vel quia in vtramque partem facilè ſe extendit; dicitur matrix, quia veluti matrix fœtum in ſe continet; dicitur vulua, eo quod fœtum in ſe inuoluat.

Vterus habet multas partes, quarum prima eſt ceruix, quæ eſt meatus quidam, à pudendis incipiens, vſque ad cauitatem vteri, qui etiam vteri collum apellatur. Duplex eſt os vteri; alterum internum, & alterum externum; os internum eſt, in quo deſinit ceruix, & incipit cauitas vteri.

Hoc os vteri ſemper eſt clauſum, niſi quandò ingreditur ſemen, vel quandò effluunt menſtrua; in fundo vteri non ſunt ſeptem cellulæ, (vt quidam opinantur) ſed ſolùm in eius fundo ſunt duo ſinus; alter in dextera parte, & alter in ſiniſtra, ſe inuicem cornuſcantes, vndè dicuntur etiam apices, ſeù cornunua vteri, propè cornu dexterum iacet dexter teſticulus, propè ſiniſtrum ſiniſter: in eodem fundo vteri ſunt multæ venæ, & arteriæ; præcipuè ſunt duæ maiores, in quibus venis ad ſunt quædam orificia, ſimilia illis, quæ ſunt in pedibus poliporum: quæ foraminula appellantur acceptabula, ex quibus ſanguis menſtruus expurgatur, & non aperiuntur, niſi dum effluunt menſtrua.

Os externum vteri eſt in principio ceruicis, ſeù in exteriori parte, quod clauditur ex duabus membranulis carnoſis, quæ hinc,

hinc, & hinc in ore exteriori pendulæ iacent. In medio ceruicis eſt clauſtrum virginale, quod ſunt quatuor carunculæ, in coronam collocatæ, in virginibus verò præter iſta dantur propè os ceruicis quædam fibræ inter ſe ita implicatæ; vt ferè vndequaque illud occludunt, quæ deinde ab aliquo externo vi ingrediente erumpuntur, vndè ex eorum eruptione, & colli vteri dilatatione in primo concubitu virginum oritur dolor, & prouenit ſanguis propter eruptionem aliquarum venarum, in collo vteri exiſtentium; explicata conſtitutione vteri; explicanda eſt eius quidditas.

Quidam cum Platone in Timeo volunt, vterum eſſe animal, vt refert etiam Galenus de locis affectis cap. quinto. Prima ratio eorum eſt, quia omne, quod ſe ipſo mouetur, animal eſt; ſed vterus, ſe ipſo mouetur, modò ſursùm modò deorsùm, ad dexteram, & ad ſiniſtram partem; ergò eſt animal.

Secunda ratio eſt, quia omne, quod habet odoratum eſt animal; ſed vterus habet odoratum, cùm ad bonos odores currat, malos fugiat; ergò eſt animal.

Tertia ratio eſt, quia vterus generationem appetit, & ad ſe ſemen trahit; ergò eſt animal. Sed iſti Auctores cum Platone niſi metaphoricè loquantur, male dicunt, quia vterus cùm ſit continuus partibus corporis, ſicuti Ventriculus, cor, & hepar, eſt pars animalis; & non animal; ergò, &c.

Ad eius primam rationem reſpondeo, negando minorem, quia vterus propriè ex ſe non mouetur, ſed quia ex aliqua eius parte ſuperiore nimirum, vel inferiore, dextera, vel ſiniſtra tumeſcit, ideò videtur moueri, vel quia ligamenta quibus vterus alligatur, aliquandò contrahuntur, & aliquandò relaxantur, ideò videtur per ſe moueri, aſcendere, atque deſcendere, licèt non moueatur, neque aſcendat, neque deſcendat.

Ad ſecundam rationem. Reſpondeo, negando minorem, quia vterus fugit malos odores, non quia habet vim ſentiendi odores, ſed quia à malis odoribus offenditur, à bonis recreatur, ſicuti, & cerebrum, ideòque dici ſolet ad bonos odores currit, & malos fugit.

Ad

Ad tertiam rationem reſpondeo, vterum appetere generationem inſtrumentaliter, cùm à natura ità fuit inſtitutus, vt ſit membrum inſtrumentale, generationi inſeruiens.

Quoad qualitatem vteri, dùm vterus eſt nimis calidus, facit, vt menſtrua ſint pauca, nigra, intempeſtiua, ſemen ſit calidum, acre, & mordax, dùm eſt nimis frigidus, eſt cauſa ſuppreſſionis menſtruorum; dùm vterùs eſt nimis humidus, nullum appetitum Veneris habet, mulier viro moleſta eſt in coitu, fœtum paulò maiorem ferre non poteſt, vndè ſequitur abortus; dùm vterus eſt nimis ſiccus, coitum appetit,vt terra ſicca appetit rorem. Vndè vterus calidus, & ſiccus eſt cauſa promptitudinis ad Venerem.

ARTICVLVS II.

De Conceptione.

Conceptio eſt comprehenſio ſeminis virilis in vtero mulieris prolificæ ad generationem fœtus. Ad conceptionem multæ requiruntur, quorum primum eſt proportio maris, cum fœmina: agens enim, & paſſum debent habere proportionem,vt ait Ariſtoteles,non enim, inquit, quodlibet agit in quodlibet neque quomodolibet;ex defectu talis proportionis maris cum fœmina, aliquandò mas cum vna aliqua fœmina generare non poteſt: cum altera tamen poteſt, ſimiliter, & fœmina cum vno aliquo mare concipere non poteſt,cum altero tamen poteſt.

Secundò requiritur tempus, ſeu ætas maris, & fœminæ,quæ incipit ab anno decimo quarto circiter, vt alibi diximus ad eſſe idoneam ad generationem.

Tertiò requiritur tempus opportunum generationis, quod tempus maximè opportunum primo loco eſt veris. Secundò tempus autumnale; Tertio hybernum; Quarto æſtiuum.

Phlegmatico magis idoneum tempus æſtiuum: bilioſo tempus veris, melancholico hybernum; ſanguineo omne tempus idoneum eſt, cùm ſit perfectioris naturæ, & complexionis.

Quartò requiritur, quòd ſemen ſit fœcundum. Rationem cognoſcendi fœcunditatem ſeminis. Ariſtoteles 17. de hiſtoria animalium cap vltimo docet,quod nimirùm ſemen bonum, ac prolificum debeat eſſe craſſum, lentum, ſpiritoſum, denſum, & quaſi ſolidum, ſubſtantioſum ad modum roris, quod ſi immittatur in aquam, non ſupernatet, ſed in fundum delabatur, & ſubſideat.

Ratio huius rei eſt, quia ſemen nimis poroſum, leue, rarum, &c. cùm contineat parum ſubſtantiæ non eſt bonum,ac fœcundum.

Quintò requiritur corporis fœminæ diſpoſitio; pro qua diſpoſitione Hippocrates tradit hæc præcepta,quòd mulieres paruæ ſint magis idoneæ ad generationem, quàm magnæ, tenues magis idoneæ, quàm craſſæ, albæ magis idoneæ, quàm rubicundæ, & rubicundæ magis, quàm liuidæ; ratio autem iſtius rei mihi videtur eſſe, quia mulieres paruæ,cùm exiguam quantitatem ſanguinis adhibeant ad ſui nutritionem, abundant ſanguine, ad conſtitutionem,& nutritionem fœtus neceſſario; mulieres magnæ, cùm ad ſui nutritionem adhibeant multum ſanguinis, non habent ſufficientem ſanguinem, ad conſtitutionem, & nutritionem fœtus neceſſarium, ideò paruæ ſunt magis idoneæ ad generationem, quàm magnæ.

Mulieres craſſæ non ſunt adeò idoneæ ad cõceptionem, propter duas rationes. Primò, quia propter earum craſſitiem, & pinguedinem, os vteri clauditur, ità vt ineptum quodammodò redditur ad ſemen trahendum. Secundò, quia in illis,quæ præter naturam, & per accidens euaſerunt craſſæ, non verò in illis, quæ à primo ortu fuerunt pingues, & craſſæ, tota facultas, & ferè maior pars materiæ ſeminis abſumitur in pinguedinem, & craſſitiem, conſequenter ob penuriam ſanguinis, tùm ad conceptionem,tùm etiam ad nutritionem neceſſarij,redduntur ineptæ ad conceptionem.

Mulieres nimis tenues non ſunt aptæ ad generationem,quia propter nimiam tenuitatem non fouent, & conſeruant calorem natiuum, tùm quia, cùm habeant vterum rarum, ſemen per illum reſpirat, & euaneſcit.

Mu-

Mulieres albę ac rubicundæ cùm ſint temperamento ſanguineo, habent ſanguinem ſufficientem, benè temperatum, & conſequentèr magis idoneum ad conſtitutionem fœtus.

Mulieres rubicundę flaueſcentes cùm ſint bilioſæ habent ſanguinem exiguum, illumque tenuem, & aduſtum, conſequenter ad conſtitutionem fœtus minùs idoneum.

Mulieres rubicundæ ad nigredinem vergentes, cùm ſint melancholicæ, habent ſanguinem crudum, & frigidum, & conſequenter minùs idoneum.

Mulieres liuidæ, cùm ſint pituitoſæ habent ſanguinem crudum, aqueum, & ad conſtitutionem fœtus adhuc minùs idoneum.

Præter iſta requiſita ad conceptionem à varijs varia præcepta afferri ſolent. Primum eſt, conceptio commoda ſit, dùm mulier proximè menſtrua deſierit, quia cùm vterus ex omni parte excrementis vacat, ad ſemen retinendum maximè idoneus eſt.

Aduertendum tamen eſt, quòd mulieres concipere non poſſint niſi, dùm fluunt menſtrua. Ratio eſt, quia ſtatim poſt fluxionem menſtruorum, vulua comprimitur, & conſequenter ſemen comprehendere non poteſt.

Secundum præceptum eſt, quod conceptio commoda ſit poſt cibum, & ante ſomnum. Ratio eſt, quia fœmina poſt coitum ſubdormiens, genituram meliùs retinet; & Plato de hac ipſare loquens, ait: mulieri, & viro noctu liberis operam daturis, non eſſe permittendum, vt bibant vinum. Præterea mas, & fœmina, non ſtatim abſoluto opere venereo mutuo complexu deuellantur, ſed placidè aliquantulùm ab omni commotione animi, & corporis abſtineant, & ſi fieri poteſt ſomnum concipiant.

Tertium præceptum eſt, quod tàm vir, quàm fœmina concubituri debent immunes eſſe omnis timoris, meſtitiæ aliarumque perturbationum animi, aliter conceptio, vel non ſit, vel ſi fiat, obnoxij filij gignuntur. Ratio iſtius rei eſt, quia paſſiones animi, vel turbando humores, vel ſanguinem inficiendo, vel ſpiritus reſoluendo, conceptionem impediunt, vel ſaltem filios malè affectos generant; vndè filij ſpurij aliquandò propter

timorem parentum, anſietatem mentis morſum conſcientiæ, aliaque plura malè affecti generantur.

Quæres vndè proueniat, quòd filij ſpurij ſint aſpectu nobiles, animoſi, boni moribus, &c.

Reſpondeo, prouenire ex hoc quod nimirum generantur ex ſemine bono, calido nimirùm, & ſicco, benè elaborato, &c. Ratio eſt quia illi, qui cum alterius fœmina concubunt, propter varia incomoda, non poſſunt adeò ſæpè exercere actum venereum; ideoque ſemen illorum diù in vaſis ſpermaticis manens, in illis benè elaboratur, ac perficitur: dum igitur iſti cum aliena fœmina ſinè timore cõcubunt tùm propter abundantiam ſeminis, eiuſque perfectionem, tum etiam propter mutuum, & magnum delectabile complexum generant filios animoſos, prudentes, alijſque bonis qualitatibus præditos.

Patet hoc etiam in omnibus illis, qui cum ſuis proprijs vxoribus non adeo ſæpè exercent actum venereum; iſti propter ſeminis abundantiam, eiuſque perfectionem, quia quantò plus in vaſis ſpermaticis ſemen permanet; tantò magis perficitur, generant filios benè valentes, animoſos, &c. Et è contra illi, qui ſæpè concubunt, propter exiguitatem ſeminis, eiuſque cruditatem, cum non permittant illi tempus, vt coquatur, ac elaboretur; generant filios paruos, malè affectos, & malis qualitatibus præditos.

Quartum præceptum eſt, quòd tàm mas, quàm fœmina in ipſo concubitu ſe abſtineat ab omni cogitatione rerum, & præcipuè animalium brutorum, quia propter hanc cogitationem multæ mulieres, multa, & diuerſa generant animalibus ſimilia, quædam quidem monſtra; quædam filium nigrum, & æthiopem, vt communiter teſtantur varii Auctores: ex imaginatione fœminæ concipiuntur, & generantur filii ſimiles rei, quæ ab imaginatione effingitur.

Patet hoc ex ſacra Scriptura Geneſis cap. 30. vbi ait quod Iacob tollens virgas ſecundum partes decorticatas poſuit, illas in fonte, in quo oues potabant, & vbi concubere ſolebant; quas virgas pictas oues intuentes in concubitu, concipiebant, ac generabant prolem maculoſam ad ſimilitudinem virgarum,

multa

multa alia exempla habentur in tractatu de imaginatione.

Propter eandem rationem ſpurij ab adultera fœmina quaſi ſemper generantur ſimiles eius marito, eiuſque filii legitimi ferè ſemper generantur ſimiles adultero amanti; quia fœmina adultera, dum concubit cum ſuo adultero amante, propter timorem proprii viri, in illo actu ſemper cogitat, atque imaginatur, illum adueuire, ex quâ imaginatione ſpurii generantur ſimiles proprio marito; & è contra dum concumbit cum ſuo proprio viro ſemper cogitat de amante adultero; ideò filii legitimi generantur, viro adultero ſimiles; eorum rationes, modo concipiendi, multaque alia agentes de imaginatione fusè explicabimus.

Quæres vnde proueniat, quòd homines ſapientes generent filios ſtolidos, & homines rudes, ac ignari generent filios prudentes, ac ingenioſos; vt patet in Hippocrite, & Cicerone, qui fuerunt viri ſapientes filii tamen eorum geniti fuerunt ſtolidi?

Reſpondeo, Alexander Aphrodiſeus ſectione quarta problema 27. Aliique Peripatetici, cum Ariſtotele, dicunt rationem iſtius rei eſſe, quia homines ſapientes cum ſemper in rerum contẽplatione vitam ducant, in ipſo etiam actu venereo aliquid ſtudii cogitando, ac ſpeculando, actui illi non incumbunt, quantùm ſufficit ad perfectionem illius operis, ideò filios ſtolidos generant; & è contra homines rudes, ac indocti totum animum ad delectationem in re venerea intendunt, cum in tali actu ab omni cogitatione deſiſtant, nihil enim aliud tunc concipiunt, niſi illam meram delectationem, & conceptionem, ideòque filios prudentes, ac ingenioſos generant.

Mihi tamen hæc ratio non videtur probabilis, quia imaginatio, & ſpeculatio non ſunt ſufficientes ad generandum filium ſtolidum; neque applicatio totius animi in actu venereo eſt ſufficiens ad producendos filios prudentes. Sed vera ratio iſtius rei videtur eſſe qualitas ſeminis; nàm bonum ingenium, bona imaginatio, bonaque memoria eueniunt ex bona qualitate ſeminis; ſtodilitas verò ex mala eiuſdem ſeminis qualitate, vt fusè explicabimus, agentes de ſenſibus internis; quantùm verò facit ad rem preſentem breuiter.

Dico,

Dico, homines ſapientes propter nimium ſtudium, & continuam cogitationem magnam copiam ſpirituum vitalium trahere ad cerebrum, qui nimio labore, ac ſtudio abſumuntur, quibus ſpiritibus abſumtis iam facultates viſcerum de paupertatæ, non benè perficiunt ſuum opus; nempè ventriculus non concoquit alimentum, iecur non perficit chimum, illumque in bonum ſanguinem non conuertit: vndè ſemen proueniens ab illo ſanguine crudo, & imperfecto erit crudum, & imperfectum, quod ſi recipiatur in vtero fœminæ nimis frigidæ, ac humidæ, quæ generare ſolet ſanguinem frigidum, & humidum, fœtus, qui ex illo ſemine concipitur,& ex illo ſanguine nutritur,neceſſariò fit ſtolidus.

Rudes verò, & ignari, cùm viuant ſine ſtudio, cogitatione, atque ſpeculatione, ſed in continuo exercitio corporis abundant calore natiuo, & ſpiritibus omnis generis, quibus facultates redduntur validæ ad exercendum ſuum opus, E. G. in ventriculo fit bona concoctio cibi, in hepate bona ſanguinificatio, & præcipuè ſi vtantur cibis bonis, efficiuntur ſanguinem optimum: ex quo ſanguine generatur ſemen bonum; ex quo ſemine deinde generantur filij prudentes atque ingenioſi. Quinam ſint iſti cibi, ad generationem filij prudentis, ac ingenioſi requiſiti, agentes de ingenio aſſignabimus. Dices, imaginatio eſt ſufficiens ad generandum filium cum maculis, nigrum, Aethiopem, & etiam monſtruoſum; ergo eſt etiam ſufficiens ad generandum filium prudentem, ingenioſum, ac ſtolidum,& vitioſum.

Reſpondeo, concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia imaginatio, licet ſit ſufficiens ad mutationem vel productionem, coloris & figuræ externæ, non tamen eſt ſufficiens ad mutationem, vel productionem temperamenti; nam ex lactuca E. G generatur ſanguis frigidus, & ex illo ſanguine generatur ſemen frigidum,& ex illo ſemine malum ingenium,vt agentes de ingenio fusè explicabimus; imaginatio ergò non poteſt facere, quod Lactuca non ſit frigida & ſanguis, & ſemen non ſint lactucæ naturæ ſimiles; ergò imaginatio non eſt ſufficiens ad faciendos filios ſtolidos, vel ingenioſos, licèt facilè poſſit

exci-

excitare facultatem motiuam, vel efformatricem ad imprimendam talem figuram, vel talem colorem fœtui.

Quintum pręceptum conceptionis, quidam dicunt, eſſe neceſſarium eiaculationem ſeminis fœminæ ſimul, eodemque tempore cum eiaculatione ſeminis maris. Vndè cum Auicenna liberè, & turpitèr ſermonem facientes dicunt, in concubitu mulierem excitandam eſſe ad libidem, & actum venereum, tangendo nimirum illius mammillas, pecten, & alia, quæ voluptatem, & delectationem excitare ſolent, ſed quia multæ foeminæ viro tardiùs ſemen emittere ſolent, & quædam, cùm ſint nimis frigidæ, raro ſemen emittunt; ideò dicunt in tali caſu adhibendum linimentum ex modico muſcho, zibetto, & oleo nardini ad liniendam ceruicem vteri, cùm hoc ſit optimum remedium, vt mulier in amorem veneris incendatur.

ARTICVLVS III.

De Requeſitis ad conceptionem maris.

MVlta ſunt requiſita ad conceptionem, & generationem maris.

Primum eſt ſanitas, & robur corporis maris. Vir enim ſanus, & validus, cùm producat ſemen perfectum, neceſſariò marem generat.

Secundum requiſitum ſunt Venti aquilones; nam flante aquilone concipitur mas, flante verò Auſtro, concipitur fœmina; & ratio huius rei eſt, quia flante vento Aquilone calor maris augetur, intenditur, atque perficitur, & conſequenter generat ſemen calidius, craſſius, & ad generationem maris idoneum: flante verò Auſtro calor maris debilitatur, vires eius langueſcunt, & conſeqüenter generat ſemen frigidum, aqueum, rarum, & ad generationem maris ineptum.

Confirmatur hoc ex Ariſtotele de hiſtoria animalium, cap. 19. vbi ait: flante Aquilone potiùs maſculos, quàm fœminas generari:

nerari: ſlante verò Auſtro potiùs fœminam, quàm marem generari.

Tertium requiſitum eſt, vt ſemen maris habeat prædominiũ ſupra ſemen, & ſanguinem fœminæ, quod prædominium nihil aliud eſt, quàm actiuitas, ſeu robur maris, quod ſuperat, & agit in ſemine, & ſanguine fœminæ: nam dùm ſemen maris eſt ità calidum, & actiuum, vt à debiliori calore fœminæ non refrigeretur, dicitur communiter habere prædominium ſupra ſemen fœmineum, quod ſemen marem generat: dum verò ſemen maris eſt ità calidum, & actiuum, vt à ſemine, & ſanguine fœminæ refrigeretur, non dicitur habere prædominium, & hoc ſemen potiùs fœminam, quàm marem generat.

Quartum requiſitum eſt, vt ſemen à mare miſſum colligatur in dextera parte vteri, quæ pars, cùm ſit calidior parte ſiniſtra vteri, ſua caliditate calorem ſeminis fouet, atque conſeruat: ſicuti ſiniſtra pars ſua frigiditate calorem ſeminis diſſipat: vndè ſemen in dexteram partem vteri decidens marem, in ſiniſtram, fœminam generat.

Quintum requiſitum eſt, vt ſemen maris ſit multum, & fœcundum. Semen foecundum eſt craſſum ſpirituoſum admodum roris, quod ſi in aqua mittatur, non ſupernatet.

Sextum requiſitum eſt, vt ſemen decidat à dextero teſticulo, quia ſemen in illo elaboratũ eſt calidius, ac perfectius; propterea in coniunctione maris cum foemina, propter generationem maris ſiniſter teſticulus ſit ligandus, nè ab illo in actu illo venereo decidat ſemen in vterum, quod, cum ſit frigidius, & imperfectius ſemine dexteri teſticuli, conceptionem maris impedit; iſta requiſita docet Ariſt. multique alij auctores, quæ tamen ſunt nullius momenti ſine cognitione modi faciendi ſemen bonum, ac prolificum: pro cuius modi intelligentia.

Sciendum eſt, quod cibus, licet in varijs partibus corporis varijs coctionibus coquatur, & alteretur, ſemper tamen retinet ſuam eſſentiam, ſuamque qualitatem. Si nimirùm cibus ex ſua natura ſit frigidus, & ſanguis ex illo proueniens erit frigidus; ſimiliter & ſemen ab illo ſanguine proueniens, erit frigidum: ſi verò cibus erit calidus; & ſanguis, ex illo proueniens, erit calidus

dus; & ſemen, ex illo ſanguine proueniens, ſimiliter erit calidum. Nam ſi aliquis pro cibo vtatur lactuca E. G. etiamſi habeat ventriculum calidum, quo citò, & benè coquat alimentū; ille tamen ſanguis, proueniens ab illa lactuca, erit frigidus, & ſemen, proueniens ab illo ſanguine, erit etiam frigidum; & è contra, ſi aliquis vtatur melle pro cibo, etiamſi non habeat vētriculum adeò calidum, adhuc ſanguis, ab illo proueniens, erit calidus, & ſimiliter ſemen, ab illo ſanguine proueniens, erit calidum. Notandum tamen eſt, dum dico, quòd ſanguis erit calidus, vel frigidus, ſic, & ſemen, me loqui comparatiuè, non verò abſolutè, & hoc, vt puto, concedi debet ab omnibus, alioquin à Medicis in affectionibus calidis, & ſiccis malè inſtituerentur cibi frigidi, & humidi, & in affectionibus frigidis, & humidis cibi calidi, & ſicci iuxta illorum principia, ideſt contraria contrarijs curantur, &c. prætereá ſi cibi non retinerent ſuam qualitatem, & ſubſtantiam, fruſtrà diceretur, quòd iſti cibi ſint bonæ ſubſtantiæ, illi malæ; iſti meliores æſtate, iſti hyeme.

Ad conceptionem, & generationem maris ſemen debet eſſe calidum, & ſiccum, craſſum, & aereum, vt patet ex Ariſtotele loco ſupra citato, Galeno, alijſque omnibus Philoſophis ſine controuerſia, ad faciendum igitur ſemen perfectum, quòd nimirum habeat ſupradicta requiſita, multa requiruntur; quorum primum eſt, quòd panis debeat eſſe primarius, ſeu candidus, cum ſeminibus aniſorum, & ſale ſubactus; ſemina enim aniſorum attemperant frigiditatem, & humiditatem panis, illum exſiccando, & calefaciendo, ſal ſuâ ſubtilitate, ac ſiccitate exſiccat, ac perficit ſubſtantiam panis.

Secundum, caro debet eſſe gallinaccea; hædina; perdicis, columbæ, turdi, & aliorum, quorum caro eſt in qualitate calida, & ſicca.

Tertium, ſupradictæ carnes comedi debent aſſæ, cum hac ratione coctę, ſicciores, & calidiores euadant.

Quartum, cibi aſſumi debent in pauca quantitate, quia nimia ciborum copia, cum concoqui non poſſit, remanet cruda: vndè non ſolum non producitur bonus ſanguis, & bonum ſemen, ſed ex illo crudo alimento generantur variæ malæ diſpoſitio-

 nes,

nes, & ægritudines. Ex defectu huius requiſiti plerique ex diuitibus generant fœminas, cum comedant vſque ad ſaturitatem, quem cibum cùm coquere nequeant, generant ſanguinem & ſemen frigidum, ex quo concipi ſolent fœminæ.

Quintum, vinum debet eſſe album, tenue, ac oligo phorum, bene dilutum; nam vinum merax in ventriculo cruditates generat, & ſecum ad vaſa ſpermatica crudos humores trahit; ibique antequam ſemen in vaſis ſpermaticis perficiatur, libidinem generat.

Confirmatur hoc totum ex Platone ſecundò de legibus, vbi docet: die, quo mas, & foemina prolis gratiâ concubituri ſunt, illis à vino abſtinendum, quia die concubitus à vino poto generantur filij noxij, quæ lex iam erat promulgata apud Carthaginenſes.

Sextum requiritur exercitium, quia moderatum exercitium humiditatem, & frigiditatem alimenti abſumit, ventriculum calefacit, illumque corroborat, ac cibum bene coquendi idoneum reddit, ſuperfluitates corporis diſſipat; ſpiritus, caloremq; natiuum auget; facultates corporis validiores reddit, quæ ſemen perficiendo, maſculum generant.

Ex defectu exercitij diues ferè ſemper foeminas generant, illaſq; malè affectas; otium enim corpus humiditate, & excrementis replet, quæ ſua frigiditate, & malâ qualitate, ventriculum refrigerando, lædunt, qui ventriculus alimentum perficere non poteſt, ſanguis, & ſemen ab illo alimento crudo proueniens, erit aqueum, tenue, & ad generationem maris ineptum.

Quod ab exercitio ſemen calefiat, & exſiccetur, patet; quia illi, qui nimis exercentur, ſæpè in ſomno pollutionem patiuntur.

Ratio autem iſtius rei eſt, quia propter exercitium ſemen calidius, & acrius redditur, quod ſua caliditate, & acredine libidinem excitans, & partes generationi ſeruientes ſtimulans; foràs expellitur.

Septimum, requiritur tempus, vt ſemen in ſuis naturalibus officinis: nempè teſtibus, glandulis paraſtratis, alijſque vaſis

à na-

Google

à natura ad hoc inſtitutis, benè elaboretur, quod ſpatium debet eſſe octo dierum circiter.

Ratio iſtius rei eſt, quia cibus hodiè hora decima octaua ſumptus, vix poſtridiè elaborari, ac in perfectũ ſanguinem conuerti poteſt: ſemen verò, cum à ſanguine proueniat, & præcipuè ex illo, qui à diſtributione, & conuerſione in partibus corporis ſupereſt; peculiare tempus requirit, vt coquatur, ac perficiatur, quod ſpatium debet eſſe quatuor, aut quinque dierum circiter: vndè volens bonum, ac perfectum, & ad generationem idoneum ſemen habere, octo diebus circiter ab actu venereo, abſtineri debet. His igitur conditionibus obſeruatis, & ex parte fœminæ impedimentis à nobis ſuperiùs dictis ablatis, neceſſariò mas concipitur, & generatur.

Quoad ſextum requiſitum ſuperius allatum, in quo habetur, quòd pro generatione maris ſiniſter teſticulus in concubitu ſit ligandus, nè ab eo decidat ſemen in vterum mulieris: hoc ligamentum nihil confert in primo concubitu. Ratio eſt, quia ſemen in primo concubitu emiſſum, non prouenit immediatè à teſtibus, ſed à glandulis paraſtratis, & veſiculis ſpermaticis, quæ in ſe continent ſemen, iam à teſticulis attractum propter eiaculationem in primo concubitu, quo ſemine foras emiſſo, aliud trahunt à teſticulis propter ſecundum concubitum; quod patet experientia; nam poſt primum, & ſecundum concubitum immediatè ſequentem, vel etiam tertium ſemen, quod emittitur, eſt minùs craſſum, & ſpumoſum, & magis aqueum, & ſic in alijs ſequentibus ſemper emittitur ſemen imperfectius; tandem videtur emitti ſanguis, qui non a teſtibus, ſed ab alijs partibus corporis attrahitur; ſi ergo ligamentum ſiniſtri teſticuli aliquid confert ad generationem maris, confert in ſecundo, vel tertiò concubitu, non verò in primo.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

De ſignis factæ conceptionis.

PRimum ſignum factæ cõceptionis eſt candor in oculis fœminæ. Secundum ſignum eſt, ſi ſeptimo die ſemen non ſit elapſum ex vtero fœminæ. Tertium ſi non habeat ſtatis temporibus purgationem menſtruorum. Quartum ſi obſtetrix digito emiſſo reperiat os vteri clauſum. Quintum ſignum eſt, ſi fœmina ſentiat motum in vulua. Sextum eſt, ſi decimo die ſuperueniant faſtidia Mulieri, ideſt vomitus, appetitus inordinatus deliquia animi, &c.

Ratio autem iſtius rei eſt, quia, dum ſit conceptio, ſanguis menſtruus, qui foras effluere debebat, confluit ad ventriculum, ibique retinetur; ſed quia fœtus in principio exiguus eſt, non indiget tantâ copiâ alimenti, vt ſanguis ille abſumi poſſit; proptereà ſanguis menſtruus redundans inficit ſtomachum foeminæ, ex quo generantur ſuperius dictæ affectiones: creſcente verò foetu ceſſant iſta omnia, quia ſanguis ille adhibetur pro nutritione foetus.

Sciendum eſt, ſi lac priùs feratur ad dextram mammam, eſſe ſignum conceptionis maris; ſi verò priùs feratur ad mammam ſiniſtram, eſſe ſignum conceptionis foeminæ; ſi foemina percipiat motum in dextera parte, conceptus erit Mas; ſi in ſiniſtra, erit foemina. Prætereà ſi per conceptionem foemina non amittat ſuum proprium colorem, ſed potiùs euadat rubicundior ac pulchrior, ſignum eſt conceptionis maris; ratio eſt, quia foetus maris propter ſuam caliditatem, & ſiccitatem ſanguinem menſtruum, excrementa, ac ſuperfluitates abſumit, quibus diſſipatis, foemina pulchrior euadit, & è contra, ſi per conceptionem foemina ſuum proprium colorem amittat, eſt ſignum conceptionis foeminæ. Ratio eſt, quia foetus foemineus ſuâ humiditate vterum implet excrementis, quibus foemina redditur pallida, maculoſa, turpis, ac malè affecta.

ARTICVLVS V.

De ſterilitate,

STerilitas aliquandò prouenit ex defectu fœminæ, aliquandò ex defectu maris; aliquandò ex aliquo extrinſeco, conceptionem impediente.

Sterilitas primò in foemina prouenit ex eo, quod acceptabula, ſeù os vteri ſit clauſum, & ſanguis menſtruus fluat à collo ceruicis. Vndè cùm nunquàm aperiatur illud os; nunquàm recipere poteſt ſemen viri, & conſequenter remanet ſterilis.

Secundò, ſterilitas in foemina prouenit à nimio vſu Veneris. Ratio eſt, quia ex nimio vſu Veneris vterus collum ſuum contrahit; & conſequenter ſemen concipere non poteſt.

Secunda ratio eſt, quia mulieres, quæ deditæ ſunt nimio vſui Veneris, nullum emittunt ſemen, quod aliquando, vt multi volunt, requiritur ad conceptionem; ideoque ſteriles euadunt: & hoc confirmari poteſt ex meretricibus, quæ propter rationes ſuperiùs allatas ferè omnes ſteriles euadunt.

Præter iſtas rationes ſterilitatis ſunt omnia oppoſita eis, quæ diximus conferre ad conceptionem, vt temperamentum vteri non proportionatum, & alia, &c.

Sterilitas in mare primò prouenit, vt ait Ariſtoteles, ſi vena eius ſecetur poſt aures, quia maior pars ſeminis à cerebro per illas venas tranſmittitur ad inferiores partes, ideſt ad vaſa ſpermatica.

Secundò prouenit ex nimio vſu Veneris; ex nimia enim effuſionę ſeminis omnes partes, & inſtrumenta ad generationem concurrentia debilitantur: cæteræ enim ſterilitates viri ſunt omnia oppoſita, quæ conferrunt ad conceptionem.

Sterilitas tàm in mare, quàm in foemina prouenire poteſt ex multis extrinſecè aduenientibus, quæ impediunt conceptionem; Mulus, piſcis, ideſt Triglia in vinum infuſus, quo bibito foeminas ſteriles, & viros impotentes reddit.

Pli-

Plinius enim lib.24. cap.9. enarrat, quòd folia ſalicis ſæpiùs ſumpta, venerem cohibent, fæcunditatem impediunt, ac ſterilitatem inducunt. Idem Plinius lib.28. cap.8. docet, quòd decoctum ficci animalis aquatilis cum melle ſumptum, ſterilitatem inducit, & lib.32. cap.4. docet, quòd ſquamæ teſtudinum ex ſummâ parte deraſæ in potu exhibitæ infallibiliter ſterilitatem inducunt.

Et in eodem lib.cap.5. docet, quod teſticuli Galli adipe illiti, ac pene arietino alligati, ſi cum ſanguine Gallinacci lecto ſubijciantur, impediunt conceptionem, ac ſterilitatem inducunt.

Apud Galenum ſexto ſimplicium habetur, quod viticis ſemina, flores, & folia ſumpta ad caſtitatem conferunt.

Dioſcorides lib.primo cap.116. docet, inter cætera omnia, mentham quodam communi conſenſu rebus Venerijs, & conceptioni reſiſtere. Rationem huius reddit Ariſtoteles ſect.2.problem.2. quia, inquit, huiuſmodi herbam membra refrigerare, & conſequenter ſuâ frigiditate ſemen geniale corrumpere. Sed ratio Ariſtot.eſt contra communem ſenſum medicorũ; mentha enim eſt calida, & ſicca, quæ non refrigerat niſi per accidens, diſſipando nimirùm calorem natiuum, & diſſoluendo humidum radicale. Plinius lib.2. cap.14.ait: mentham ſemen humanum diſſipare, illudque generationi ineptum reddere: ſicuti, inquit, mentha lacti permixta illud coagulari non permittit, ita in cibo frequenter ſumpta, ſemen coagulari non permittit: ſemen enim, quod non ſpiſſatur, denſumque non permanet, tentiginem inducit, neque ad generationem aptum eſt, & hæc mentha eſt ſilueſtris, præter quam datur alia, quæ dicitur mentha Romana, quæ in pauca quantitate ſumpta libidinem excitat, & ad generationem confert.

Quæres, cùr mulieres ſteriles, vt plurimùm morboſæ viuant, & tardiùs ſeneſcant?

Reſpondeo morboſè viuunt, quia cùm non generent, non purgantur multis excrementis in puerperio, ſicuti purgantur mulieres prolificæ; tardiùs verò ſeneſcunt, quia earum natura non læditur ex nimia difficultate pariendi, ſicuti læditur natura earum, quæ ſunt prolificæ.

Gallo-

Gallorum teſtes frequenter comeſti, Apri teſticuli exicati, & in puluerem redacti; cum iure Galli vetuſti aſſumpti; Vulpis teſtes vuluæ appoſiti, vrina Elephantis bibitâ, Hiænæ oculus cum glycyrrhiza ſumptus ſterilitatem tollunt. Coagolum Leporis poſt purgationem menſtruorum vuluæ cum butiro appoſitum facit, vt mulieres concipiant.

ARTICVLVS VI.

De formatione foetus, & ad eam pertinentibus.

QVatuor ſunt tempora pertinentia ad formationem fœtus.

Primum tempus eſt, quo ſemen retinet ſuam ſpeciem, poſt quam iàm eſt emiſſum in vterum fœminæ, ibique cum ſua ſpecie durat vſque ad ſeptimum diem; in quibus illis ſeptem diebus ſemen à calore vteri fouetur, atque excitatur vis ſeù facultas formatiua, quæ in ſemine latitabat, & tempore illo ſeptem dierum ſemen illud dici ſolet genitura.

Secundum tempus eſt à ſeptimo die, vſque ad vigeſimum; quo tempore efformantur tria illa membra principalia; nempè cor, cerebrum, & hepar, in quo ſtatu dicitur fœtus.

Tertium tempus eſt a vigeſimo vſque ad trigeſimum diem, quo tempore informantur, & diſtincta apparent cætera alia mēbra ad conſtitutionem animalis neceſſaria, in quo ſtatu non dicitur ampliùs fœtus, nèque genitura, ſed Embrio; hìc ordo informationis eſt proprius maris; informatio enim fœminæ protenditur vlterius, vſque ad diem quadrageſimum. Propthereà fœtus maris eſt perfectus die trigeſimo; fœminæ verò quadrageſimo, quia in vtero mas citiùs formatur, quàm fœmina extra verò vterum citiùs fæmina perficitur, quàm mas, & ratio eſt, quia humidum maris eſt valdè ſolidum, & tenax, quod difficile extenditur, fœminæ verò fluens, & debile, quod facilè extenditur.

Quartum tempus eſt cùm iàm informatis membris fœtus incipit

cipit moueri, & quaſi iã per ſe agere, quia licet fœtus cohæreat matrici per venam vmbilicalem, exercet tamèn propriũ motũ in vtero; ſi enim ſint mares agitantur in dextera parte; & mas incipit moueri die quadrageſimo, fœmina verò nonageſimo.

Explicatis temporibus formationis, explicandum iàm remanet virtus efformatiua fœtus, eiuſque efformatio, pro cuius intelligentia:

Sciendum eſt nomine virtutis formatricis communiter ab omnibus intelligi facultatem illam, quæ membra omnia efformat, ideſt illis tribuit quantitatem, figuram, numerum, ſitum cæteraque omnia neceſſaria ad vſum partis iuxtà exigentiam animalis; & nomine formationis intelligi deſcriptionem omnium partium corporis, quæ efficiuntur à virtute formatiua.

Magna difficultas eſt inueniendi hanc mirabilem facultatem formatricem membrorum corporis; omnes enim Philoſophi eam admirati ſunt, ideò virtutem formatricem inueſtigare, dignum eſt, inquiunt; eam tamèn inuenire difficililimum eſt. Galenus lib. de form. fœtus cap. vltimo eam conſiderans tanquam admiratus, ars, & ſumma ſapientia eſt, inquit, & ingenuè fatetur, ſe neſcire, quæ ſit iſta virtus, & dubitat, an ſit Deus, an intelligentia. Ariſtoteles eam arti, & intellectui comparat. Platonici iuxtà eorum conſuetum virtutem formatricem Ideam, ſeu animam in communi, quam per totum mundum diffuſam eſſe, inquiunt.

Quidam putant virtutem formatiuam eſſe quandam Intelligentiam, quæ ſit fabricatrix omnium membrorum ex iuſſu Dei; quidam alij eam dicunt eſſe ſolem, ſeù Cælum, quia Ariſtoteles, ſol, & homo, inquit, generant hominem; quidam alij dicunt, eſſe animam exiſtentem in ſemine. Sed iſti falſum dicunt, cùm ſemen non ſit animatum, vt alibi probauimus.

Multi alij, qui de cognitione virtutis formatricis deſperati, in Deum recurrunt; dicunt enim, virtutem formatiuam membrorum cum ipsâ ſacrâ Scripturâ eſſe Deum: Dauid enim Pſal. 118. ſic loquitur: Manus tuæ Domine fecerunt me & plaſmauerunt me, & Pſalm. 138. inquit: formaſti me, & poſuiſti manum tuam ſupra me. Iob cap. 10. Manus tuæ fecerunt me,

& plaſma-

& plaſmauerunt me, & vtens quodam exemplo, ait: Nonne ſicuti lac emulſiſti me? & ſicuti caſeum me coagulaſti? Et Iſaias cap.64. Domine nos lutum & tu fictor noſter es. Ieremias capit.15. priùs quàm formarem in vtero, noui te & Machabæus lib. ſecundo capit. 7. ſingulorum membra non ipſa ego compegi? Quidam putant virtutem efformatiuam membrorum eſſe calorem natiuum, in ſemine exiſtentem, Antequam afferam meam ſententiam de virtute efformatiua, mihi explicandum eſt calor innatus, ſeù natiuus, de cuius natura, & eſſentia magna eſt controuerſia inter Auctores. Quidam dicunt, calorem natiuum eſſe ipſum calorem elementarem. Sed iſti malè dicunt, contra quos ſic argumentor. Quotieſcumque vnum poteſt exiſtere ſine alio, illa duo ſunt realiter diſtincta; ſed calor elementaris poteſt exiſtere ſine calore natiuo; ergò eſt ab illo realiter diſtinctus. Maior eſt certa apud omnes, minor probatur, corrupto calore natiuo, remanet calor elemẽtaris, Ergò calor elementaris poteſt exiſtere, ſine calore natiuo. Probatur antecedens, quandò aliquod animal moritur ex trãſuerberatione cordis nõ eſt ampliùs in illo calor natiuus, cùm calor natiuus, & vita ità ſint identificata; vt vnum nullo modo poſſit eſſe ſine alio: extinctio enim caloris natiui, eſt ipſa mors; vti alibi diximus; ſed in illo animali iam mortuo eſt calor elementaris, immò & alimentaris; vt patet ſenſu tactus; ergò corrupto calore natiuo, remanet calor elementaris, qui non perit, niſi dum mixtum reſoluitur in quatuor elementa: quia etiamſi cadeuer illud non habeat animam; eſt tamen mixtum ex quatuor elementis, vel formaliter; vel virtualiter in illo exiſtentibus.

Confirmatur ex Ariſtotele 2. de generatione animalium capite 3. vbi ait: calorem natiuum non eſſe ignem, neque ab igne originem ducere; hoc apertum eſt inquit, & rationem reddit Ariſtoteles, cùr calor elemẽtaris non ſit calor natiuus, quia, inquit, nèc ignis, neque proueniens ab igne animal producere poteſt; ergò neque calor elementaris, neque calor ab illo proueniens, eſſe poteſt calor natiuus.

Dices contra Ariſtotelem calore fornacis in Aegypto, educuntur pulli; ergò calor elementaris animal producere poteſt.

V Reſpon-

Reſpondeo concedo antecedens; & nego conſequentiam, quia pulli illi generantur ex virtute ſeminis Galli in ouis exiſtente; Vndè ex ouis, ſemine Galli carentibus, neque à fornace, neque à Gallina pulli educi poſſunt; calor igitur fornacis concurrit, vt diſpoſitio, ſicuti concurrit calor vteri fœminæ non verò vt cauſa. Quidam alij dicunt calorem natiuum cōſiſtere in ipſo temperamēto. Sed neque iſti benè dicunt, & Probatur, quia corrupto calore natiuo, remanet idem temperamentum omninò illæſum; ergo calor natiuus non conſiſtit in ipſo temperamento. Probatur antecedens, piper temperamento maximè calidum, in ſua Planta habet calorem natiuum, quo nutritur, & augetur, aliaſque operationes vitales exercet; deciſum à Planta, amittit calorem natiuum, cùm ampliùs non nutriatur, neque augeatur, & tamen remanet cum ſuo temperamento calidiſſimo; ergò calore natiuo corrupto, remanet temperamentum. Et conſequenter calor natiuus in temperamentis conſiſtere non poteſt.

Idem patet in temperamentum frigidum habentibus; nàm lactuca, papauer, & alia ſimilia à terra abſciſa non retinent calorem natiuum; aliter adhuc viuerent, nutrirentur, & augerentur, quia vbi eſt calor natiuus, eſt etiam vita, & tamen retinent ſuum temperamentum frigidum; ergò calor natiuus non poteſt conſiſtere in ipſo temperamento.

Probatur ſecundò, duo viuentia in temperamento omninò oppoſita; vt eſt E.G. papauer, & alium; papauer eſt frigidum, & humidum vt quatuor; allium calidum, & ſiccum, vt quatuor, habent tamen eundem calorem natiuum; vtrumque enim exercet operàtiones vitales; nutritur nimirùm, & augetur; ergò calor natiuus, qui eſt principium operàtionum vitalium, eſt diſtinctus & diuerſus à temperamentis. Idem patet in animalibus, vt Salamandra, ſerpentibus, alijſque animalibus temperamenti frigidiſſimi, quæ nutriuntur, augentur, aliaſque operationes vitales exercent; quæ à temperamento frigidiſſimo prouenire non poſſunt; ergò calor natiuus eſt quid diuerſum à temperamento, quo efficiuntur operàtiones vitales. Probatur tertiò, aucto calore natiuo in viuente perficitur illud viuens, ſuaſque operationes vitales perfictiores edit, cùm calor natiuus ſit inſtru-

mentum

mentum omnium operationum vitalium; homines quidem ſtudent, & ſe in deambulatione, alijſque operationibus; exercent vt eorum calor natiuus augeatur;calor verò elementaris auctus pernitioſus, & læſiuus operationum euadit: quod patet ex Galeno in procemio de ſimplicibus, vbi ait bona, & laudabilis cōcoctio effectio caloris Diuini eſt; deprauata verò, & vitiata ab elementis prouenit; & bilis, inquit, non ab illo calore Diuino, ſed à ſolo elementorum calore originem ducit. Vndè infertur, dùm Gal. dicit, febrim eſſe calorem naturalem auctum, pro calore naturali, eum intelligere calorem elementarem, non verò calorem natiuum; cum hic auctus perfectiuus; ille verò læſiuus reddatur.

Prætereà calor febrilis calidus, & ſiccus eſt ſicuti & calor elementaris; Calor verò natiuus, ſeu innatus eſt calidus, & humidus;ergò calor febrilis non poteſt recipi in calore natiuo,qui etiamſi auctus non poſſit euadere ſiccus, ſed recipitur in calore elementari, cum quo habent ſymboleitatem, vndè in auctione caloris febrilis non ſolum augetur calor,ſed etiam ſiccitas;proptereà redditur læſiuus operationum.

Dicendum eſt, calorem natiuum non eſſe calorem elementarem, neque prouenientem ex elementis, ſed cæleſtem, & Diuinum. Quod non ſit elementaris, neq; proueniens ab elementis, iam ſuperius probatum eſt.

Quod verò ſit quid cæleſte, & diuinum. Probatur, calor natiuus eſt perfectior elementari, & proueniente ab elementari; ergò eſt quid cæleſte, cum non poſſit aſſignari alia ſpecies caloris. Antecedens probatur perfectio cauſæ colligitur ex perfectione effectus; ſed effectus caloris natiui perfectior eſt quocumque effectu, proueniente a calore elementari: ergò & calor natiuus perfectior eſt quocumque calore elementari; Minor probatur, a calore natiuo proueniunt operationes vitales; ſed operationes vitales, ſunt perfectiores quacumque operatione, proueniente a calore elementari; ergò effectus caloris natiui, & ipſe calor natiuus, calore elementari, eiuſque effectu prerfectior eſt. Confirmatur ex Ariſtotele ſecūdò de generatione animalium cap. 3. vbi ait, calorem innatum

in animalibus, vel ſtirpibus contentum non eſſe ignem, neque ab igne originem ducere, ſed eſſe, quid cæleſte, & Diuinum; & rationem reddens, ait, quia nec ignis, nec proueniens ab igne animal generare poteſt; calor ergò natiuus eſt cæleſtis, quia producit effectus, quos calor elementaris producere non poteſt.

Confirmatur præterea dicto illo Ariſtotelis, ſol, & homo generant hominem, ideſt homo concurrit per ſuum ſemen ad generationem hominis, ſol per ſuum calorem in ſemine impreſſum. Deus deindè infundendo animam rationalem.

Quæres, hic calor cæleſtis eſt ne ſubſtantia, an accidens?

Reſpondeo, eſſe accidens, ſeu qualitatem cæleſtem, quæ oritur ex ſubſtantia cæli, & ſtellarum. His adnotatis.

Dico virtutem efformatiuam membrorum inſtrumentalem eſſe calorem natiuum. Probatur nulla alia cauſa poteſt aſſignari; ergò, &c. Probatur antecedens non poteſt dici, quòd ſit anima, cùm ſemen non ſit animatum, vt ſuperiùs probauimus.

Non poteſt dici, quòd ſit Deus, quia Deus eſt cauſa vniuerſalis, cùm concurrat cum omnibus cauſis ſecundis ad omnes earum operationes. Nequè poteſt dici eſſe Intelligentiam quandam, quæ ſit fabricatrix membrorum ex iuſſu Dei, cùm iſta Intelligentia fruſtra daretur, & ſi daretur, ad huc eſſet cauſa vniuerſalis, & remota, cum concurrere deberet indifferenter ad generationem omnium viuentiū. Neq; poteſt dici quòd ſit Cælū, cùm cælū ſit cauſa vniuerſalis; nam ſi ageret cum ſemine Bruti efformaret animal Brutum, ſi cum ſemine hominis, hominem; nos hic quærimus efformatricem particularem, & immediatam, quæ igitur non poteſt eſſe aliud, niſi ipſe calor natiuus in ſemine exiſtens, qui inſtrumentaliter efformat omnia membra corporis.

Probatur ſecundò, omnes noſtræ vitæ operationes inſtrumentaliter perficiuntur a calore natiuo; hic enim eſt concoquens, hic ſanguinificans, hic nutriens, ac augmentans; ergò & hic eſt informans.

Dico ſecundò, cauſam principalem proximam efformationis membrorum eſſe animal, aliud animal generans, & cælum eſſe

eſſe cauſam remotam. Probatur ex Ariſtotele, qui ait: ſol, & homo generant hominem, & ceſſante motu Cæli, ceſſat omnis actio, & generatio; ergò cauſa principalis efformationis membrorum proxima eſt generans, remota eſt Cælum, & aſtra, quæ concurrunt ad generationem viuentium.

Colligitur ex dictis, ad informationem fœtus cõcurrere quatuor cauſas; ſicuti & in alijs rebus, nempè materialem, formalem, efficientem, & finalem; materialis eſt ſanguis menſtruus; formalis eſt figura membrorum, efficiens eſt calor natiuus, qui reperitur in ſemine: cauſa finalis eſt officium, propter quod vnaquaque pars fit, ac efformatur.

Ex defectu cauſæ efficientis, & materialis generantur varia monſtra. Nam ſi virtus informatiua membrorum non ſit efficax, ſed imbecillis, tunc non poteſt omnia membra exprimere, vel non poteſt materiam ad locum debitum tranſportare, vndè oritur, vt multi naſcantur cum aliquo membro informato, vel extra locum ſibi debitum.

Si materia ſit pauca, cùm non ſit ſufficiens ad informationem omnium partium, aliquandò generatur animal ſine brachio, aliquandò ſine oculo, &c. ſi autem ſit nimia, generatur cum pluribus membris, nempè tribus brachiis, &c. Ex defectu loci, ſeu vaſi, in quo membra informantur, generantur gibbi, &c.

Ex eiſdem cauſis prouenit, vt aliquando animal naſcatur duplici corpore, vno capite, vel duplici capite, vno corpore. Buchonus lib. 14. rerum Scoti, ait, natum puerum quendam, cuius inferior pars vſque ad vmbelicum fuiſſe naturalem, habentem conſtitutionem ſexus maris, ſupra verò vmbelicum erat geminus, qui puer cum adultus eſſet arti Muſicæ incumbens, mirabiliter profecit; enarrat prætereà author, quod aliquandò ambæ partes ridebant, aliquàndò vna, non altera; dùm aliqua pars inferior, nempè digitus pedis dolore affectus erat, ad ſenſum illius doloris, vtraque pars inclinabat; quando verò aliquod membrum vnius ſuperioris partis E. G. digitus dexterì brachij acu pungebatur, dextra tantum pars dolorem illum percipiebat, non verò ſiniſtra. Vndè oritur magna difficultas, an dictum monſtrum, & alia ſimilia habeant vnam animam, an verò

verò duas; pro qua difficultate breuiter dico, in vno corpore, ſi ſit duplex cor, & duplex caput duplicem animam habere, ſi verò ſit vnum cor, & duplex caput adhuc duas animas habere; quia cum anima reſidat in cerebro multiplicato capite, multiplicari etiam debent animæ: de hac re multa diximus in prima parte, explicantes partem corporis in qua reſidet anima.

ARTICVLVS VII.

Quæ nam ſint partes, quæ prius efformantur.

MVltæ, & variæ ſunt partes, quæ formantur aliæ enim ſunt interiores, & aliæ exteriores: aliæ principales, & aliæ minùs principales: aliæ ſimilares, & aliæ diſſimilares: aliæ per ſe, & aliæ per accidens.

Magna eſt difficultas aſſignandi partes, quæ priùs fabricantur, & quæ poſteriùs, cum hoc ſit difficile cognitu, quantum tamen fas eſt, breuiter explicabimus.

Primum omnium efficitur, id, ſine quo formatio, & fœtus eſſe non poſſunt, cum natura ſemper incipiat ab eo, quod eſt magis neceſſarium: hoc igitur neceſſarium eſt membrana, quâ fœtus tegitur, id eſt mẽbrana illa, quæ continet ſemen virile, & ſanguinem menſtruum: cauſæ propter quas membrana eſt neceſſaria, vt prius producatur, ſunt duplicis generis: vna, quæ ſe tenet ex parte materiæ, altera, quæ ſe tenet ex parte finis. Cauſa, quæ ſe tenet ex parte materiæ, eſt eſſe liquidũ; materia enim ſeminis & ſanguinis eſt liquida, ſi caleſcat, & ad ignẽ admoueatur, extrema illius ſicceſcunt, quaſi cutis, & pellis euadunt, vt patet in pane, qui dùm coquitur in eius ſuperficie generatur cruſta; cauſa ex parte finis eſt; quia ſi priùs producatur membrana, materiam fœtus conſeruat: ſecundò, quia virtus formatiua incluſa intra membranam, eſt tutior.

Triplex eſt membrana, quæ fœtum inuoluit. Prima dicitur Agnina, & amiculum, quæ membrana eſt: tenuis; ſed denſa, immediatè totum fœtum inuoluens; hęc membrana, ſi in partu fœtus non erumpatur; & à fœtu non emittatur, fœtus cum eâ

veſtitus

veſtitus, ex vtero egreditur, & vulgus opinatur, hoc eſſe argumentum futuræ fœlicitatis; in ſe tamen res eſt fabuloſa, cùm multi ſint ſuſpenſi cum tale mebrana nati, eamque ſecum ferendo. Secunda membrana dicitur inteſtinalis, quę recipit ſudorem, & vrinam fœtus.

Tertia dicitur tunica, & corion, quæ membrana adhæret matrici, & inuoluit fœtum agninâ inuolutum; licet multi ex Anatomiſtis negent membranam inter agninam, & corion.

Sed hic quæri ſolet, an fœtus ſic membranis inolutus in vtero matris reſpiret.

Omiſſis varijs opinionibus, breuiter dico; fœtum in vtero matris reſpirare.

Probatur primo, fœtus in vtero viuit; ergò reſpirat.

Confirmatur ex Galeno libro de vtilitate reſpirationis c. 4. vbi ait: à vita reſpirationem, & à reſpiratione vitam ſeperari non poſſe; cum ſine reſpiratione nemo in vita perſeuerare poſſit.

Probatur ſecundò, illud, quod non reſpirat, vagire, & vocem edere non poteſt; quia vox (vt in ſuo loco dicemus) fit per alliſionem aeris in aſpera arteria. Sed fœtum vagire, & vocem edere in vtero matris, teſtantur varij authores, vt Libaſſius lib. de vagitu vterino. Lelius Faber. lib. 3. anathomiæ, multique alij: ergo fœtus reſpirat in vtero matris.

Confirmatur ex Ariſtotele 6. de hiſtoria animalim vbi ait, circa vigeſimum diem pullos pipire, & moueri; ſi igitùs pullus ſub illa dura cruſta mouetur, reſpirat, & pipit, cur fœtus humanus in vtero clauſus vagire, & reſpirare non poteſt?

Dices, fœtus in vtero matris eſt inuolutus duriſſimis membranis; ergò aer non poteſt permeare ad os fœtus. Præterea ſi fœtus per os attraheret aerem, ſimùl cum aere attraheret etiam vrinam, quæ iàm inter membranam illam colligitur, vndè ſuffocaretur.

Reſpondeo, negando conſequentiam primi argumenti, quia cruſta, quâ inuoluitur pullus, eſt nimis durior membranis, quibus inuoluitur fœtus; ſed pullus trahit aerem, reſpirat, ac pipit; ergo multò magis fœtus.

Ad

Ad ſecundum argumentum dico, vrinam ibi collectam non eſſe adeò in magna copia; vt capacitatem illius membranæ impleat, & foetum per illam aperitionem oris paruam ſuffocare poſſit. Productis membranis, remanet difficultas, quænam pars priùs producatur.

Prima ſententia ait, omnes partes produci ſimul. Ratio huius ſententiæ eſt, quia natura eſt agens neceſſarium; ergò poſita materia omnium partium, debet ſtatim, & ſimul omnium partium formationem inchoare; cùm non ſit maior ratio, cur incipiat, efformatio vnius partis, & non alterius.

Secunda ſententia ait, omnes partes corporis non efformare ſimul, ſed priùs vnam deindè alteram. Ratio huius rei eſt; quia natura cùm ſit prudens in ſuis actionibus eſt maximè ordinata, & ſemper eligit optimum; ſed meliùs eſt ordo formationis priùs vnius partis, deindè alterius, quàm omnium ſimul: ergò natura non efformat omnes partes corporis ſimul.

Dico cum ſecunda ſententiâ omnes partes minùs principales ſimul non efformari, ſed ſucceſſiuè, vnam poſt aliam ſecundùm neceſſitatem: de principalibus eſt peculiaris ratio, vt articulo ſequenti videbimus.

Probatur primò, quia virtus formatiua eſt materialis, & corporea: ergo priùs agit in vnam partem; quàm in aliam.

Probatur ſecundò, ars imitatur naturam; ſed ars priùs efficit vnam partem, deindè alteram; ergò, & natura priùs informat vnam partem, deindè aliam.

Probatur tertiò cum Ariſtotele, qui hoc explicans vtitur exemplo Patrisfamilias. Nam naturam, inquit, Ariſtoteles, ſe habere; ſicuti ſe habet paterfamilias, qui priùs curam habet de liberis, deindè de ſeruis: tertio verò de cæteris animalibus: ita & natura priùs curam habet de nobilioribus partibus, ideſt corde, iecore, & cerebro, deindè de ſeruis, ideſt de arterijs, neruis, &c. poſtremò de capillis vnguibus, barba, &c. priùs igitur efformatur vna pars deindè alia.

Ad rationẽ primæ ſententiæ reſpondeo etiamſi natura ſit agẽs neceſſarium, non tamen præſcindit ab ordine debito ipſi naturæ; cũ ſemper debeat priùs efficere, illud, quod eſt magis neceſſariũ.

Du-

Dubium iam eſt quænam pars corporis ſit principalior, ac nobilior. De hac re fusè egimus in p.par.quæſt.2. artic.5. vbi diximus partes principes in corpore animalis eſſe tres, nempè cerebrum, cor; & hepar: cerebrum tamen eſſe nobilius corde, & hepate, quòd ibi probatum fuit varijs rationibus. Remanet ſolùm explicandum, quænam ex iſtis tribus partibus priùs generetur, atque efformetur, pro quo eſt art. ſequens.

ARTICVLVS VIII.

An priùs producatur cor, an hepar, an cerebrum.

DIfficultas eſt quænam ex iſtis tribus partibus priùs generetur, ac informetur.

Prima ſententia ait priùs produci hepar, deinde cor, & cerebrum, eſt ſententia Gal. lib. de formatione fœtus, capit. 2. & aliorum. Ratio iſtius ſententiæ eſt, quia cum fœtus priùs viuat vitã vegetatiuam, priùs indiget alimento, ergò priùs indiget hepate, in quo facultas nutriendi, & alendi inſitæ ſunt; conſequenter priùs omnium efformatur, & producitur hepar.

Secunda ſententia ait, priùs produci cor, deinde hepar, & cerebrum; eſt Ariſtotelis ſecundo de generatione animalium. Ratio huius ſententiæ eſt, quia nulla pars poteſt conſeruari in vita, niſi habeat calorem vitalem à corde; ergò omnis pars, ante cor producta erit omninò inutilis, cum nulla pars animalis ante cor viuere poſſit.

Tertia ſententia ait, priùs produci cerebrum, deinde cor, & hepar eſt Hyppocr. libro de anotomia viuentium. Ratio huius ſententiæ eſt, quia virtus actiua naturalis priùs agit in materiam ſibi propinquiorem, quàm remotiorem; ſed materia, ex qua fit cerebrum, eſt propinquior quàm materia ex qua fit cor, & hepar. Ergò priùs efformatur cerebrum, quam cor, & hepar. Probatur minor, quia cerebrum fit à ſemine, cor, & hepar à ſanguine; ſed ſemen eſt propinquius facultati formatri-

ci, cùm facultas formatrix reſideat in ſemine. Ergò priùs efformatur cerebrum, quàm cor & hepar.

Quarta ſententia ait, priùs produci alias partes, deinde cor, hepar, & cerebrum. Ratio iſtius ſententiæ eſt, quia anima, ſeù animatum, priùs viuit vitã plantæ, vt ait Ariſtoteles, & alij Philoſophi; ſed ad vitam plantæ nullum eſt neceſſarium ex partibus nobilioribus, nempè corde, cerebro, & hepate; ergò iſtæ poſt alias partes producuntur. Probatur minor, quia cerebrum præbet facultatem mouendi, & ſentiendi, quæ non ſunt neceſſariæ ad vitam plantæ: cor præbet ſpiritus vitales, hepar efficit ſanguinem; ſed foetus, dum in vtero viuit vitam plantæ, ſanguinem, & ſpiritus vitales deſumit à matre per vaſa vmbilicalia; ergò tunc non indiget corde, hepate, & cerebro; ergò iſtæ vltimæ producuntur.

Nulla ex iſtis quatuor ſententijs mihi videtur probabilis; poſito, quod nerui ducant originem à cerebro, arteriæ à corde, venæ ab hepate, quod iam fusè probaui in prima parte quæſt. 2. art. 5. ſententiam Galeni ſic impugno in perfecta conſtitutione hepatis requiruntur nerui, & arteriæ; ſed nerui ducunt originem à cerebro, arteriæ à corde; ergò perfecta conſtitutio iecoris præſupponit cerebrum, & cor. Minor ſupponitur ex loco ſupra citato multiſque rationibus probata; maior patet ex anatomia eiuſdem hepatis, cuius conſtitutionem ingrediuntur nerui, & arteriæ; arteriæ enim ad illud ducunt calorem natiuum, & ſpiritus vitales, nerui ſenſum, & motum: ergò ad conſtitutionem hepatis præſupponitur productum cor, & cerebrum.

Simili modo arguo contra ſententiam Ariſtotelis, ad perfectam conſtitutionem cordis requiruntur nerui, & venæ; ſed venæ proueniunt à iecore; & nerui à cerebro; ergò ad conſtitutionem cordis præſupponitur cerebrum, & hepar. Maior probatur; omne, quod intrinſecè mouetur, & nutritur, in ſua conſtitutione inuoluit inſtrumentum nutritionis, & motus; ſed inſtrumenta motus, & ſenſus ſunt nerui, & nutritionis, ac augumentationis ſunt venæ; ergò cor in ſua conſtitutione inuoluit neruos, & venas.

Eodem omninò modo arguo contra ſententiam Hyppocratis cere-

cerebrum in ſua conſtitutione inuoluit venas,& arterias; ex venis enim ſumit alimentum, ex arterijs ſpiritus vitales, & calorem natiuum; ergò præſupponitur cor, & hepar, quæ illi præbent venas, & arterias, ad eius conſtitutionem neceſſarias.

Quarta ſententia etiam eſt falſa, cùm ad viuendum vitam plantæ, adhuc illæ tres partes ſint neceſſariæ, vt paulò inferiùs in reſponſione rationi huius ſententiæ patebit.

Ad rationem Galeni reſpondeo diſtinguendo antecedens: fœtus priùs indiget alimento, ideſt in illa prioritate, in quà indiget alimento nō indiget calore natiuo,& ſpiritibus vitalibus, nego antecedens;in illa prioritate, in qua indiget alimento; indiget etiam calore natiuo, & ſpiritibus vitalibus, concedo antecedens, & nego conſequentiam; quia foetus non poteſt dici viuens, ſine calore natiuo; ergò dùm indiget alimento, viuit,& dùm viuit, indiget alimento; ſimiliter priùs perfici debent iſtæ duæ prædictæ partes.

Ad rationem Ariſtotelis reſpondeo, tranſeat antecedens, & negò conſequentiam; ad hoc vt cor, hepati, & cerebro communicet calorem natiuum, debet eſſe perfectè conſtitutum in ſuo eſſe; ſed non poteſt eſſe ità conſtitutum, ſine hepate, a quo proueniunt venæ,& cerebro à quo proueniunt nerui,quæ venæ, & nerui ingrediuntur eius conſtitutionem; ergò antequam mittat calorem natiuum, iſtas partes præſupponit in ſua conſtitutione.

Ad rationem Hyppocratis reſpondeo negando conſequentiam, quia virtus formatiua efficit illud, quod eſt magis neceſſarium; ſed magis neceſſarium eſt efficere, ac efformare omnes illas tres ſimùl,vt ſuperiùs probatum eſt; ergò omnes illas tres ſimùl efficit,ac eſt format. Præterea minor argumenti Hyppocratis eiuſq;probatio eſt falſa cum cerebrum non à ſemine, ſed à puriori parte ſanguinis ſicuti cor, & hepar materialiter producitur.

Ad rationem quartæ ſententiæ. Reſpondeo negando minorem: ad eius probationem dico, foetum non poſſe viuere vitam vegetatiuam ſine calore natiuo; qui prouenit à corde, ergò cor præſupponitur ad vitam;ſed quia (vt diximus) cerebrū,

 & he-

& hepar ingrediuntur conſtitutionem cordis; ergò etiam ad viuendam vitam plantæ præſupponuntur cerebrum, cor, & hepar.

Dicendum ergò eſt, omnes iſtas tres partes ſimùl efformari, perfici; cum ad efformationem, & perfectam conſtitutionem, tàm materialē, quàm formalē vnius neceſſariò requirantur aliæ vt tùm hic, tùm in prima parte queſt. 2. art. 5. probatum eſt. Poſt efformationem harum trium partium, ſtatim efformantur oculi, cùm fiant ex eadem materia cerebri, vltimo tamen perficiuntur ob humiditatem aqueam, quam in ſe continent, propter quā humiditatem in principio ſuæ efformationis apparent maiores in fine verò perfectionis apparent minores ob abſumptionem ſuperfluæ humiditatis: poſt harum partium efformationem efformantur cæteræ, prius tamen, quæ ſunt magis neceſſariæ, poſteriùs illæ, quæ ſunt minus neceſſariæ; vltimò verò ipſæ excrementitiæ. Vnde virtus efformatiua vſque ad vltimos menſes generationis incumbit ad efformandas ſucceſſiuè partes minùs neceſſarias, & excrementitias, & ad perficiendas magis neceſſarias.

Quæres; an foemina iam grauida poſſit alios filios concipere?

Reſpondeo de hac re magnam eſſe difficultatē, quia ex vna parte multi negant mulierem grauidam concipere poſſe. Ratio eorum videtur fundata in authoritate Hyppocratis, & Galeni, qui dicunt os vteri in prima conceptione ità claudi, vt neque ſpecillam mittere poſſit; ſi ergò os vteri ſit clauſum, & ingreſſus impeditur, & neque datur alia via præter os vteri, in grauida omninò impoſſibilis eſt conceptio.

Ex alia parte Ariſtoteles 7. de hiſtoria animalium cap. 4. docet, foeminam hominis grauidam poſſe concipere, & etiam multorum aliorum animalium.

Dico igitur ad quæſitum foeminam grauidam poſſe concipere, ſi os vteri iam clauſum propter familiaritatem, & ſympathiam, quàm habet cum ſemine paulò aperiatur, eò vt intus tragatur ſemen, & ſtatim claudi poſſit, quod vt puto fieri poteſt ſi os vteri hac ratione aperiri non poſſit, cōceptio in grauida videtur impoſſibilis, cum nulla alia detur via ingrediendi ſemen.

QVAE-

QVAESTIO V.

De partu foetus.

ARTICVLVS I.

De cauſis pariendi.

ANtequam partum foetus explicemus, necnon eius cauſas, explicandus eſt eius ſitus, ſeù ſtatus in vtero matris Ariſtoteles 7i de hiſtoria animalium cap. 8. Hyppocrates lib. de natura pueri, tali modo deſcribunt ſitum foetus in vtero: foetus habet; inquiunt, manus ſuas apud genas, genaſque ità habet ſupra genua conſtitutas, vt naſus infra genua, & oculi ſupra ea reponantur, & pedes habent reflexos verſus nates.

Foetus à natura tali modo ſituatus eſt, propter duas rationes. Primò quia in tali figura orbiculari minorem locum occupat.

Secundò, quia in tali figura calor natiuus melius fouetur propter ſimultatem partium, earumque vnionem.

Duplex eſt cauſa partus. Vna, quæ ſe tenet ex parte foetus. Altera, quæ ſe tenet ex parte vteri; prima eſt magnitudo corporis ipſius foetus ex qua magnitudine ſequuntur aliæ duæ cauſæ illi ſubordinatæ. Prima eſt anguſtia loci; foetus enim iam concretus, auctuſque, cum vterus ſit illi locus anguſtus, exigit domicilium magis amplum. Secunda cauſa eſt defectus alimenti, quia licet illi mater ſemper ſuppeditet alimentum per ſanguinem menſtruum, illud tamen alimentum non eſt illi ſufficiens, cum indigeat maiori copia alimenti.

Vnde conatur foetus ob nimium ſuum pondus deſcendere, & exire; mouetur igitur, quo motu rumpit ligamenta, quibus alligatus erat ex qua motione facultas expultrix ſtimulata ad foetum expellendum inſurgit; vnde relaxatur vulua, & os vteri

ri dilatatur, vt aditus foetui præbeatur.

Partus difficilis tripliciter contingere ſolet.

Primò ratione motus. Secundo ratione foetus. Tertio ratione vtriuſque.

Partus fit difficilis ratione motus, ſi foemina ſit nimis craſſa ſi fuerit nimis languida, impatiens doloris, ſi fuerit inexperta; vnde in primo partu eſt maxima difficultas; præterea ſi habuerit vterum malè attemperatum, ſi ante tempus parere conatur.

Ex parte foetus duo ſunt, quæ partum difficilem reddunt. Primũ eſt magnitudo, vel totius corporis foetus, vel alicuius partis E. G. capitis. Secundum eſt modus exeundi, qui modus exeundi, ſeù pariendi triplex eſt.

Primus eſt, dum puer exit præeunte capite, & hic modus eſt naturaliſſimus: vnde Plininus ait, capite naſcimur, pedibus in ſepulcrum afferimur.

Secundus eſt, dum puer exit pedibus præeuntibus, & hic modus eſt difficilior, atque ita natus eſt Agrippa, & Nero vndè qui ita naſcuntur Agrippæ dici ſolent.

Tertius eſt, dùm puer exit in latus, & hic modus pariendi eſt omnium difficillimus, primò, quia illæ foeminæ habent vterum nimis amplum, in quo foetus ſe inuoluit, & implicatur; ſecundò, quia in principio partus mater ſeſe mouens foetum à ſuo naturali ſtatu remouet.

Ex parte membranarum partus difficilis eſt per duas cauſas. Prima eſt, ſi membranæ ſint nimis duræ; quia difficilè rumpuntur. Secunda, ſi ſint nimis molles, quia tunc accidit, vt partus ſit laborioſus. Ruptis enim præmaturis membranis, difficilè exit partus.

Ex dictis colligitur, dolores in partu prouenire, primò ex ruptione membranarum, & earum ſeparatione ab acceptabulis. Secundò ex commotione ſanguinis excrementitij, intra vterum contenti. Tertio ex dilatatione membrorũ, per quæ foetus prodit, quæ adeò dilatantur, vt videantur delacerari, vndè à quibuſdam putatur, oſſa pubis, quæ collo vteri ſuperponuntur, diſtrahi, & à ſua ſede remoueri. Poſt partum egrediuntur ab

vtero

vtero membranæ illæ ruptæ, ſanguis & alia excrementa, quæ purgatio dicitur puerperij, de qua ſuperius diximus.

Quæres primò, cur ſola mulier, dum eſt grauida, virum appetat; non verò fœminæ aliorum animalium?

Reſpondeo, quia in fœminis aliorum animalium matrix, & vulua tempore grauidationis maximè extuberefcunt, & cùm ſint propinquiora foramini exteriori in coniunctione cum mare intus impelluntur, & conſequenter magnam moleſtiam afferũt: at verò mulieres cùm habeant os vteri diſtans ab ore ceruicis in coniuntione cum mare nullam moleſtiam percipiunt, neque læſionem fœtus.

Quæres ſecũdò, cur mulieres aliquadò pariunt filios mortuos?

Reſpondeo, multas eſſe cauſas iſtius rei, inter quas prima eſt nimius motus mulieris. Secunda nimium deſiderium alicuius rei. Tertia defectus alimenti neceſſarij. Quarta flatus incluſus in vtero Mulieris, multæque aliæ, &c.

Quæres tertio, cur ſolæ mulieres laborent difficultate partus; non verò fœminæ aliorum animalium?

Reſpondeo quia fœminæ aliorum animaliũ ſunt robuſtiores, & in laboribus aſſuetæ, ſicuti videtur etiam in quibuſdam mulieribus, quæ, cùm ſint robuſtiores & in labore aſſuetæ, non ſentiunt difficultatem in partu; & è contra fœminæ aliorum animalium, quæ cum non ſint robuſtæ, illæ etiam dolorem partus ſentiunt, ſicuti mulieres.

Quæres quartò, cur quædam animalia pariunt vnum, quædam plura animalia?

Reſpondeo, cauſam huius varietatis eſſe, quia ille, quæ abũdant alimento habent vterum oblongum; ideoque poſſunt multos foetus concipere. Homo verò, & alia animalia perfecta, vt elephans, equus, & alia cùm habeant vterum orbicularem, non poſſunt concipere niſi vnum, vel ſaltem duo; pro quâ.

Sciendum eſt dùm generantur duo foetus ſimùl, eodemque tempore, ſi ſint eiuſdem ſexus poſſunt ambo ſuperuiuere; ſi verò ſint diuerſi ſexus non poſſunt ambo ſuperuiuere, ſed ſemper alter moritur, nempè ille, qui debilior, ac imperfectior oritur.

Ratio

Ratio iſtius rei eſt, quia plus temporis requiritur, ad perficiendam fœminam; quàm marem, vt ſuperiùs diximus, cum igitur mas perfectior exeat, fœmina imperfectior, ambo ſuperuiuere non poſſunt; vndè foemina ferè ſemper moritur.

Quæres quinto, cur ſtatim atque exit foetus plorare incipit?

Reſpondeo duas eſſe cauſas iſtius rei. Prima eſt frigiditas aeris, quam foetus ſentit; ſecunda eſt lux, quæ lædit foetum, ideoque vſque ad ſeptimum diem eſt maximum periculum.

Quæres ſexto, quæ eſt cauſa, vt producentur duo foetus, & cur aliquandò vnus concipitur vnius ſexus, alter alterius, aliquandò vterque eiuſdem ſexus?

Reſpondeo, ſi ſemen totum in vnum tantùm locum incidat, vnus tantum foetus concipitur, ſi diuiſim in duas partes vteri incidat, concipiuntur duo foetus, ſi vtraque pars ſeminis incidat in dexteram vteri partem, vterque foetus concipitur mas; ſi in ſiniſtram partem, vtraque foemina, ſi verò una par ſeminis recipiatur in dexteram, & altera in ſiniſtrã. alter concipitur mas & altera foemina.

Quæres, cur quidam foetus ſunt magni, & magnæ ſtaturæ, quidam parui, & paruæ ſtaturæ eleuantur?

Reſpondeo, duplicem eſſe cauſam. Prima eſt anguſtia loci, in vtero; ſecunda eſt defectus alimenti: nam ſi locus in vtero ſit anguſtus, vel ſi in vtero non habeatur ſufficiens alimentum, breuioris ſtaturę educuntur; ſi verò locum ampliorem habeant, & alimentum ſufficiens, longioris ſtaturæ eueniunt: extra verò vterum fiunt longioris, vel breuioris, craſſioris, vel tenuioris ſtaturæ vſque ad iuuentutem ſecundum diſpoſitiones corporis: nam ſi diſpoſitio naturalis corporis ſit humidior, tenuior, ac abundantior, corpus citius diſtenditur, longius, ac tenuius euadit, ſi talis diſpoſitio ſit pauca, corpus citò diſtenditur, ideſt creſcit, non tamen multum, ſi diſpoſitio ſit calida, & humida, & humidum ſit craſſior, & abundantius, corpus diſtenditur multum ſecundum longitudinem, & latitudinem, ſed tardius: ſi verò ſit calida, & ſicca parùm ſecundum latitudinem, & multum ſecundum longitudinem, ſi ſit multa; ſi verò ſit pauca, parùm.

Si

Si diſpoſitio corporis ſit in primis qualitatibus temperata, mediocriter ſecundum longitudinem, & latitudinem creſcit, & mediocris ſtaturę euadit eodem modo philoſophandum eſt de omnibus viuentibus tàm animalibus, quàm plantis. Corpora igitur viuentium ſunt magna, vel parua ſecundùm maiorem, vel minorem quantitatem ſanguinis materni, vt diſpoſitionum corporis: ſunt tenuiora, vel craſſiora ſecundum qualitatem diſpoſitionum.

Hic enim explicari ſolet, quænam ſit mola, eiuſque cauſæ, & ſigna: pro qua ſciendum eſt molam ab Ariſtotele deſcribi uitioſum, ac deprauatum conceptum carnis inutilis, & informis. Dicitur informis non quia caret omni forma, ſed quia formam humanam non habet.

Cauſæ molæ ſunt ſanguis menſtruus copioſus, craſſus, & frigidus; & ſemen maris quod vel eſt paucũ, vel imbecile, vel malè affectum, propter igitùr imbecillitatem caloris natiui, non poteſt in illa materia ſemen naturalem formam inducere; vndè rudis, & informis caro generatur.

Ariſtoteles ait, molam ab vtero procuntem ita dureſcere, vt neque ferro deſcindi poſſit. Rationem huius dicit eſſe cruditatem, cum mola nihil aliud ſit, quàm caro cruda, & non cocta.

Mola generatur ſolùm à foemina hominis, non verò foeminis aliorum animalium, cùm foeminæ ſolùm hominis abundantiora menſtrua habeant, ex quibus mola generari ſolet.

Mola, cùm non ſit viuens, non habet vllum motum, & ſenſum, ſed ſolùm mouetur ſecundum motum mulieris; nam ſi mulier ad vnam, vel alteram partem inclinet, etiam mola ad eandem partem, tanquam aliquod pondus inclinat; vnde ſi mulier benè aduertat, benè cognoſcere poteſt; an ſit mola, an verò foetus.

ARTICVLVS II.

De tempore pariendi.

TEmpus pariendi eſt incertum; nam, vt ait Ariſtoteles de hiſtoria animalium cap.4. Partus fit ſeptimo, octauo, nono, decimo, vndecimo, & duodecimo menſe, licet partus in duodecimo menſe ſit rariſſimus.

Varietas temporis pariendi oritur ex varietate virtutis formatiuæ: nam ſecundum multitudinem caloris natiui, vteri perfectionem & facultatis formatricis, citiùs, vel tardiuùs perficitur foetus, atque generatur.

Magna difficultas, & controuerſia eſt inter authores, quinam foetus ex illis, qui naſcuntur in ſupradictis temporibus, ſint naturales, & vitales.

Nos breuiter explicabimus omnes, & ſingulos naſcentes in ſupradictis temporibus, pro quo.

Dico primò, fœtus ſeptimo menſe naſcentes naturales, legitimos, & vitales eſſe.

Probatur, quia in ſeptimo menſe puer, quoad omnia ſua requiſita perfectus eſſe poteſt, & ſimul in eodem deficiat ei alimentum in vtero; ergo in hoc caſu partus naturalis, & vitalis etiam fieri poteſt.

Confirmatur primo ex Hyppocrate lib de ſeptimeſtre puero, & ex Ariſtotele ſeptimo de hiſtoria animalium cap. 4. vbi fœtus, qui maturiùs, quàm ſeptimo menſe prodeat, inquiunt, vitalem non eſſe, & qui ſeptimo menſe prodit, vitalem eſſe.

Confirmatur ſecundò ex Iuriſperitis; qui partum ante ſeptimum menſem genitum illegitimum reputant, & conſequenter eum ad hæreditatem non admittunt in lege digeſtis de inteſtato de ſuis, & legitimis hæredibus; ſed.

Quæres, cur fœtus ſeptimeſtris raró viuant?

Reſpondeo fœtus ſeptimeſtres raro viuere, non ratione temporis, ſed ob alias cauſas, vt ait Ariſtoteles loco ſupracitato, vbi

vbi ait: ſeptimeſtres mori ſolere, quia, cùm non ſint valdè robuſti, non poſſunt pati mutationem ab vtero ad aerem: per quadraginta enim dies fœtus poſt partum ſemper ſentit aliquã læſionem, donec aeri aſſueſcat.

Quo ad fœtus octomeſtres eſt maior difficultas, an nimirum ſint vitales.

Aſtrologi dicunt, naſcentem octauo menſe non eſſe vitalem. Ratio eſt, quia octauus numerus infauſtus eſt; octauo enim menſe infauſtus planeta dominatur, nempè Saturnus, qui, cùm ſit frigidus, & ſiccus, & conſequenter vitæ contrarius, eo tempore fœtui mortem affert.

Sed iſta ratio Aſtrologorum non eſt vera; quia nulla eſt ratio, qua quolibet octauo menſe dominetur Saturnus, & morte foetui afferat.

Quidam alij dicunt, octomeſtrem non eſſe vitalem, quia in octauo numero eſſe quandam proprietatem occultam, propter quàm foetus omnes, qui in eo numero naſcuntur, neceſſariò mori debent. Sed neque ratio huius ſententiæ videtur probabilis, quia numerus octauus eſt quantitas diſcreta; quantitas verò diſcreta nullam vim habet agendi, neque patiendi: ergò non poteſt eſſe cauſa mortis foetus.

Dico, octomeſtrem partum non eſſe vitalem, & continua experientia confirmatur, non tamen propter rationes ab Aſtrologis allatas, & alijs, ſed propter alias diuerſas rationes, quæ ſunt iſtæ ſequentes.

Foetus enim in ſeptimo menſe exigit maiorem copiam alimenti, aeris, & etiam ampliorem locum; ſed cum iſta habere non poſſit in vtero, mouetur, & conatur exire, ſi tamen tunc non exeat per conatum, & motum nimis debilitatur, remanet languidus & infirmus; ſi igitur octauo menſe exeat, erit malè affectus, & conſequenter diù viuere non poteſt; ſi verò perſeueret in vtero vſque ad nonum menſem, reficitur, & ſic generatur validior.

Confirmatur hoc ex Hyppocrate lib. de octomeſtre partu, vbi ait: impoſſibile eſſe foetum poſſe ferre duas afflictiones, vnam poſt aliam ſuccedentem; ſed quilibet foetus ſeptimo menſe ma-

gnam patitur afflictionem propter motum, & magnam etiam afflictionem in partu patitur: ergò impoſſibile eſt, octomeſtrem ſuperuiuere propter duas afflictiones, vnam poſt aliam ſuccedentem.

Quæres, cur in Aegypto,& in Hiſpania octomeſtres ferè omnes viuant?

Reſpondeo, quia in illis regionibus mulieres ſunt robuſtiores, ideoque facilè generant cum minori dolore, atque moleſtia; vndè etiam foetus robuſtiores ſunt, & conſequenter poſt motum ſeptimi menſis citò reficiuntur, & faciliùs ferunt duplicem illam afflictionem, vndè generantur validiores,& non malè affecti;ideoque ſuperuiuunt, quod contingere poteſt etiam in alijs regionibus.

Confirmatur hoc ex Ariſtotele ſeptimo de hiſtoria animaliũ, vbi ait: octomeſtres eſſe vitales; tales enim inquit eſſe, & nouiſſe in regione Aegypti,vbi cùm homines ſint robuſti,robuſtus etiam filios generant.

Quoad naſcentes nono, & decimo menſe,non eſt magna controuerſia.

Dico igitur, foetus, qui naſcuntur nono, & decimo menſe, naſci tempore naturali, & vitales eſſe.

De hac re, licèt non ſit magna controuerſia; confirmatur tamen ex Hyppocrate libro de natura pueri, & ab Ariſtotele 7. de hiſtoria animalium cap.quarto, vbi expreſsè docent, naſcentes nono, & decimo menſe vitales eſſe.

Quo ad fœtus in vndecimo menſe naſcentes eſt controuerſia.

Multi enim dicunt, non eſſe vitales, & ex iuriſperitis multi negant, eſſe admittendos ad hæreditatem, multique alij affirmant. Ariſtoteles verò libro ſecundo de hiſtoria animalium, Hyppocrates libro de ſeptimeſtri,& octomeſtri partu. Auicenna 9. lib.de animalibus, multique alij dicunt, eſſe legitimum, & vitalem,quæ ſententia videtur probabilior; Partus enim poſt vndecimum menſem naſcentes,ſunt omninò rari,& ferè ab omnibus exiſtimantur non vitales.

Obijcies contra primam Concluſionem iuxtà allatam doctrinam,

nam, neque naſcentes decimo, neque ſeptimo menſe eſſent vitales, quia in ſexto menſe fœtus mouetur, & in ſeptimo generatur, in nono mouetur, & in decimo generatur; ergò, cùm non poſſent afferre duplicem afflictionem, nullus eſſet vitalis.

Reſpondeo fœtus in vtero non ſemper moueri, neque in quolibet menſe, ſed in quibuſdam determinatis temporibus; vt eſt in tertio, quinto, ſeptimo, nono, & decimo menſe; quod obſeruatum fuit ab Hyppocrate ex laboribus, qui in grauidis fieri ſolent, vt & ipſe hoc doceat ſecundo Epidimiorum ſectione. Tertia, vndè cum in ſeptimo menſe non ſint duę afflictiones fœtus, ſeptimeſtris vitalis exiſtimatur; in decimo verò menſe, licèt ſint duæ afflictiones, vna poſt aliam; quia tamen foetus ſunt valdè robuſti, poſſunt illas afflictiones facilè ferre, & conſequenter ſuperuiuere.

Obijcies ſecundò, non poteſt fieri partus, quin prius moueatur fœtus; ergo in eodem menſe immò in eodem tempore partus ſunt duæ afflictiones, & conſequenter nullus fœtus vitalis eſſe deberet.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia dum immediatè poſt motum ſequitur partus, eſt vnica afflictio, & illa minor; dum verò non ſtatim, & adeò immediatè ſequitur partus, eſt duplex afflictio, quia tunc fœtus mouetur, priùs ſemel, & ſemel dum generatur, ideò afflictio eſt maior, & fœtus debilior.

Obijcies tertio fœmina tardius efformatur in vtero, quàm mas; ſed fœmina generatur ſeptimo menſe, & eſt vitalis; ergò mas, qui citiùs efformatur, debet ante ſeptimum menſem generari, & eſſe vitalis.

Reſpondeo licèt fœmina tardiùs efformetur, citiùs tamen creſcit, & mas licèt citiùs efformetur, tardiùs tamen creſcit, ideoque mas, & fœmina in eodem menſe generari poſſunt.

DISPV-

DISPTATIO III.

De facultate Nutritiua, & augmentatiua.

ANtequam explicemus facultatem nutritiuam, & augmentatiuam, earumque famulares, nempè attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem, explicandum eſt alimentum, quod eſt eorum obiectum, circa quod verſantur; quo explicato faciliùs percipi poſſunt facultates.

QVAESTIO I.

De Alimento.

DVplex eſt alimentum alterum mediatum, & extrinſecum, & alterum immediatum, & intrinſecum, priùs de extrinſeco; deinde de intrinſeco, & immediato agendum.

ARTICVLVS I.

De Alimento extrinſeco.

PRO alimento extrinſeco hìc intelligimus cibum, qui eſt panis, caro, &c. quod ità definiri ſolet: Alimentum eſt id quod aptum eſt in ſubſtantiam corporis conuerti.

In alimento quatuor conſiderari ſolent. Primò quantitas alimenti; ſecundè qualitas; tertiò tempus, quartò ordo. Rurſus quoad quantitatem alimenti tria ſpectant; magnitudo, paucitas, & numerus. Quo ad magnitudinem alimenti.

Dico, nimium alimentum, ſeu cibum eſſe valdè noxium. Ratio eſt, quia nimium alimentum affert cruditatem, obſtructionem iecoris, lapides in renibus, labem memoriæ, virium languo-

guorem cum ſuffocet calorem natiuum. Affert præterea nauſeas, vomitum, dolores ſtomachi; multaque alia incommoda; ergò magna quantitas cibi eſt valdè noxia. Quoad numerum dico, varietatem ciborum non eſſe alimentum commodum animali ſed noxium, & Ratio eſt, quia varij cibi varias habent naturas; quidam enim ſunt facilis concoctionis, quidam difficilis; ſi ergò miſceantur ſimul, neceſſariò concoctionem lędunt: præterea quidam ſunt pituitoſi, quidam melancholici, quidam bilioſi, qui ſimul valdè nocent, & difficilè coquuntur.

Quoad paucitatem alimenti. Dico, alimentum nimis paucum eſſe noxium, & ſic probatur; quia paucitas cibi duo affert incommoda. Primum eſt, quia ex paucitate cibi calor natiuus diſſoluitur, & abſumitur: vndè oritur debilitas virium, extenuatio, multaque alia mala corporis.

Secundum incommodum eſt, quia paucitas cibi reſoluitur in flatum, qui eſt maximè pernicioſus in corpore animalis. Vndè in cibo hæc regula quoad quantitatem erit ſeruanda, vt ait Galenus, ſi corpus ſit temperatum, menſura ſit fames; ſi intemperatum, reſpiciendum eſt tempus, exercitium, &c. qui enim habent ſtomachum calidum minùs appetunt, quàm concoquere poſſunt; & è contra, qui habent frigidum ſtomachum, plus appetunt, quàm concoquere poſſunt.

Quoad tempus, dico, Hyeme vtendum eſt vberiori cibo; ratio huius rei eſt, quia hyeme propter externum frigus calor in ventriculo coagulatur, vndè fit intenſior, & conſequenter cibum faciliùs concoquit: Aeſtate minori copia cibi vtendum eſt; ratio eſt quia æſtate calor, cùm reſidat in exterioribus partibus, ventriculus non habet vim coquendi magnam copiam cibi.

Autumno, & Vere mediocri quantitate cibi vtendum eſt, cũ calor etiam mediocriter reperiatur in ventriculo, & conſequenter mediocrem copiam cibi requirit, de hac tamen re alibi plura dicemus.

Pueri, & ſenes ſæpiùs, ſed parùm ſingulis vicibus ſunt cibandi, cùm ventriculus eorum non poſſit tàm magnam copiam cibi ſimul coquere. Robuſti rariùs ſunt cibandi, ſed abundantiori cibo; quia habent magnum calorem natiuum, & conſequenter

ma-

magnam virtutem coquendi.

Debiles ſæpius, ſed parum ſunt cibandi; quia eorum ventriculus, cùm ſit debilis, magnam copiam cibi coquere nequit.

Magna controuerſia eſt inter Authores, an plus alimenti ſit ſumendum in prandio, an verò in cœna.

Prima ſententia ait, plus alimenti in prandio eſſe ſumendum, quàm in cœna; eſt ſententia multorum recentiorum. Prima ratio eorũ eſt, quia ventriculus hora prandij magis eſt vacuus, quàm hora cœnæ quia maior diſtantia temporis eſt à cœna ad prandium, quàm à prandio ad cœnam. Secunda ratio eſt, quia ex copioſiori cœna eleuantur multi vapores ad caput ex quibus generatur catarrhus, & excitantur multi dolores capitis, & morbi. Tertia ratio eſt, quia ex copioſiori cœna fit tenſio hypochondriorum; noctu enim chylus hærens in ventriculo, & inteſtinis, tumeſcit; vndè naſcuntur multi flatus, qui tenſionem illarum partium efficiunt.

Secunda ſententia ait, plus alimenti eſſe aſſumendum in cœna, quàm in prandio; eſt ſententia antiquorum, & prætereà Ariſtotelis in primo Ethic. in fine; Galeni in libro de Methodo medendi, Hyppocratis lib. 3. de Dieta, Auicennæ, & aliorum.

Prima ratio eorum eſt, quia à cœna hodierna vſque ad prandium craſtinum intercedit ſpatium penè triplo longius, quàm ſit à prandio ad cœnam; ergò plus alimenti ſumendum eſt in cœna, quàm in prandio, vt calor natiuus habeat materiam ſufficientem, circa quam tanto ſpatio ſuas vires exercere poſſit.

Secunda ratio eſt, quia ſomnus concoctionem iuuat, motus verò conturbat; ſed poſt cœnam ſequitur ſomnus, & poſt prandium motus; ergò cœna debet eſſe copioſior prandio.

Tertia ratio eſt, quia per quietem, per tenebras, per ſomnum nocturnum, & proter frigus noctis calor natiuus, ac ſpiritus retrahuntur ad interiora. Vndè coctio celior fit.

Quarta ratio eſt, quia non conuenit, nouum cibum ſumere, quin primùs ſit concoctus, & a ventriculo euacuatus, vt ſonat verſiculus Salernitanus, qui ſic dicit.

Tu

Tu numquam comedas, ſtomacum niſi noueris ante
Purgatum, vacuumque cibis, quos ſumpſeris ante.
Ex deſiderio poteris cognoſcere certo
Hae tua ſint ſigna, & ſuptilis in ore diata.

Mihi probabilior videtur iſta ſententia, primò propter auctoritatem doctiſſimorum virorum, qui ſequuntur hanc ſententiam, vt eſt Ariſtoieles, Hippocrates, Galenus &c.

Secundò propter rationes ſuperius allatas ab iſta ſententia, quæ videntur efficaciores rationibus primæ ſententiæ.

Tertiò, quia, ſi in prandio maior copia alimenti ſumeretur, non bene coctum, ſed crudùm raperetur, ſeù attraheretur à mēbris per exercitia, quæ poſt prandium fieri ſolent; Vnde neceſſariò ſequitur mala concoctio, tàm in prima, quàm in ſecunda, & tertia regione; ex cuius defectu ſequntur ſcabies, obſtructiones, cachexia, & ipſa mors vt teſtatur ipſe Galenus libro de malo, & bono ſucco.

Ad primam rationem primæ ſententiæ, reſpondeo, quod licet ventriculus hora prandij ſit magis vacuus, non tamen debet aſſumere, quam plurimum; ſed ſufficit, ſi ſumat tantùm, quantùm eſt conueniens, vt ventriculus, & alia concoctionum inſtrumenta habeant in ſe tantùm alimenti, quantùm ſpatio ſex horarum eſt ſufficiens, circa quod operetur calor natiuus, & vſque ad cænam, & non plus.

Ad ſecundam rationem reſpondeo, copioſior cæna in ſtomacho benè valentis non generat tales vapores, & ſi generat, illi vapores non euadunt catarrhus, ſed ſolum reconciliant ſomnum; malè verò valentes, ideſt qui habent cerebrum nimis humidum, in quibus facilè generatur catarrhus, non debent copiosè cænare, neque copiosè prandere, ſed debent ſumere cibum minùs copiosè, & ſæpiùs.

Ad tertiam rationem reſpondeo, me non dicere, homines in cæna debere aſſumere tantùm cibi, vt fiat diſtenſio ventriculi, ac ventris, ſed tantùm, quantùm ſatis eſt, vt fames, & ſitis ſedentur, & paulòplus, quàm in prandio.

Sciendū eſt, quod cibus intempeſtiuè ſumptus magnopere cōcoctionē vitiat; vt ſuperiùs diximus, & conſequenter eſt aliquod pociuum.

Quoad qualitatem cibi, omiſſis varijs opinionibus, breuiter dico, alimenta debere eſſe ſimilia partibus corporis viuentis, & quò maiorem habent ſimilitudinem, eò meliora ſunt.

Probatur primò, quia nutritio eſt aſſimiliatio cibi in ſubſtantiã corporis; ſed aſſimiliatio melior, & facilior fit inter ſimilia; ergò alimenta, quò ſimiliora ſunt, eò meliora.

Probatur ſecundò, quia in vſu rerum ſimilium magis conſeruatur corpus viuentis; melius enim nutritur viuens à carnibus, quæ habent ſimilitudinem cum partibus viuentis, quàm quolibet alio, vt experientiã patet; ergò alimenta debent eſſe ſimilia partibus corporis viuentis. Vnde infertur, quod alimentum debeat eſſe corpus mixtum ex quatuor elementis. Ratio eſt quia ſi alimentum eſſet corpus ſimplex, conuerti non poſſet in ſubſtantiam corporis mixti; ergò non poteſt eſſe ſimplex.

Probatur antecedens; quia nutritio eſt conuerſio alimenti in ſimilem ſubſtantiam; ſed mixtum, & ſimplex non ſunt ſimiles ſubſtantiæ; ergò alimentum, ſi ſit corpus ſimplex non poteſt conuerti in ſubſtantiam corporis mixti.

Dices cum Ariſtotele ſect. 10. probl. 8. vbi ait: animalia ſicca appetere, vt nutriantur alimento humido; & animalia humida alimento ſicco; ſic anatres, quæ ſunt calidiſſimæ, nutriuntur, & gaudent aquâ, quæ frigida eſt; ſues, qui ex ſua natura humidiſſimi ſunt, nutriuntur glandibus, quæ ſicciſſimæ ſunt, ergò alimentum non debet eſſe ſimile partibus, quæ aluntur.

Sed contra eſt, quia Ariſtoteles ibi non docet, quòd animalia ſicca directè, & per ſe nutriantur humidis; & humida ſiccis, ſed ſolum inquit, ab alimentis diuerſis præſeruari à multis imminentibus malis; ſic anatres gaudent aquâ frigidâ, non quia illá nutriantur, ſed ſolum, quia illarum calor attemperetur, & præſeruetur à malis imminentibus calidis, & ſues non ſolum nutriuntur à glandibus, ſed etiam alijs cibis humidis; euadunt tamen pinguiores à glandibus non propter ſiccitatem, quam habent, ſed propter qualitatem illius ſubſtantiæ.

Ex dictis colligitur, quod pura elementa corpus viuentis nutrire nequeant: ignis enim non poteſt nutrire; primò quia eſt valde tenuis; alimentum verò nutritiuum debet eſſe craſſum;

vt concoqui poſſit. Secundò ignis, cum ſit valdè calidus, non mutatur in partibus viuentis, ſed potiùs partes viuentis in ſe mutat.

Aer etiam non poteſt nutrire, quia propter ſuam tenuitatem, caliditatem, magnamque huimiditatem non poteſt mutari in craſſam ſubſtantiam corporis viuentis; ergò non poteſt nutrire.

Terra non poteſt nutrire, quia nutritiuum corporis viuentis debet eſſe humidum, cum ſit pabulum caloris natiui; ſed terra propter ſuam magnam ſiccitatem, nullam inuoluit humiditatem, & conſequenter nutrire non poteſt. Præterea terra propter ſuam frigiditatem mutari non poteſt in partes calidas, vel temperatas; ergo non poteſt illas nutrire.

Aqua ſimplex, & pura alimentum corporis viuentis eſſe non poteſt; probatur primo, quia aqua propter ſuam humiditatem, & maximam frigiditatem nullam habet proportionem cum partibus viuentis: ergò in illas conuerti non poteſt.

Probatur ſecundò, quia alimentum nutritiuum priùs coqui debet deindè mutari in ſubſtantiam partium, ſed aqua concoqui non poteſt; ergo non poteſt mutari in ſubſtantiam partium; minor probatur ex Ariſtotele, quarto met. vbi inquit: nunquam aquam concoqui poſſe; quia per actiones caloris potiùs conuertitur in vaporem, quàm concoquatur, ergò non poteſt aqua eſſe nutritiuum corporis viuentis.

Confirmatur ex Galeno tertio acutorum com. 17. vbi ait: aquam eſſe vnam ex illis, quæ nullo modo nutriunt; ergo, &c.

Dices cum Ariſtot. quinto de hiſtoria animalium cap. 2. Salamandram in igne viuere; ergo ignis poteſt nutrire corpus viuentis.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia poſito quod Salamandra ſit animal calidum, & ſiccum; vt quidam opinantur; non tamen ſequitur, quod ab igne nutriatur; ſed potiùs ab illo conſeruetur iuxtà illud principium Medicorum: Similia ſimilibus conſeruantur. Salamandra enim, cum ſit animal frigidum, & humidum; ignis verò calidus, & ſiccus, habet qualitates oppoſitas igni, propter quas ab igne non læditur, imò igne gau-

det, & ab illo temperatur, ſicuti anſeres, quæ cùm ſint calidæ, & ſiccæ gaudent aquâ frigidâ, & humidâ, & in hoc ſenſu dici ſolet, ſalamandram in igne viuere; etiam ſi verò concedatur, quod aliquo modo ab igne nutriatur, non tamen ab igne puro, de quo hic nos loquimur, ſed impuro, & mixto.

Confirmatur hoc ex communi ſententia medicorum, qui dicunt ceruos nunquam febrire, cùm habeant qualitates febri oppoſitas; febris enim eſt calida, & ſicca; cerui verò frigidi, & humidi; & Plinius lib. 8. cap 32. ait: ſe vidiſſe mulieres carnem ceruinam edentes, vt nè febre tententur; & è contra capræ, cùm ſint calidæ, & ſiccæ, ferè ſemper febre tentantur.

Dices Ariſtoteles ſect. 2. Probl. 13. ait mutationem aquarum eſſe grauiorem, aeris leniorem, quia aqua corporibus noſtris alimentum eſt, ergo aqua nutrit.

Reſpondeo, Ariſtotelem ibi non dicere aquam ipſam eſſe alimentum, & nutrire, ſed facere, vt corpus nutriatur, quia per ſuam humiditatem cibos permiſcit, eoſque per totum corpus defert. Dubium eſt, an medicamenta nutriant.

Dico medicamenta non nutrire. Ratio eſt, quia illud quod nutrit eſt aptum, vt conuertatur in ſubſtantiam corporis; ſed medicamentum eſt aptum corpus alterare, & non conuerti in ſubſtantiam corporis; ergò non poteſt nutrire; Probatur minor ex Galeno tertio de ſimplicibus cap. 13. vbi ait: medicamenta debere alterare, non nutrire, cùm potiùs tollant, quam nobis apponant.

Dices, medicamenta ſarcotica, ideſt carnem generantia, apta ſunt carnem generare; ergò etiam poſſunt nutrire.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, apta ſunt carnem generare per ſe, nego antecedens; per accidens, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Iſta enim medicamenta quatenus corroborant calorem partis, & occludunt porros, vt detineatur alimentum illius partis, dicuntur carnem generare, non quia nutriant.

Quæres primò, an odor nutriat?

Reſpondeo, ſi odor accipiatur pro qualitate ſimplici, quomodò frequenter peruenit odor ad recreandum cerebrum, non habet

bet vim nutriendi, quia id quod nutrit, debet eſſe corpus mixtum; nihil enim poteſt nutriri ex accidentibus, & hoc eſt iàm certum, & contra quoſdàm medicos, qui exiſtimant odoribus ſpiritus animales nutriri; mihi tamen decipi videntur, quia cum plerumque non perueniat ad odoratum, niſi odor, qui eſt qualitas, non autem exhalatio; talis autem odor non habet vim nutriendi; ergò falſum opinantur illi medici.

Dices cum Medicis, perueniente odore ad odoratum, ſtatim recreantur ſpiritus, & excitantur illi, qui languent, vt patet in illis, qui magnoperè languebant, & iacebant ferè exanimes, odoribus excitantur, & reuocantur ad vitam.

Sed contra eſt, quia iſti languentes excitantur etiam per effuſionem aquæ gelidæ, vellicationibus, &c. ergò iſta etiam nutriunt, quod eſt abſurdum; odor autem ex ſua natura habet virtutem temperandi ſpiritus vitales, & animales non nutriendi, vt opinantur Medici.

Quæres ſecundò, ſi odor perferatur ad cerebrum, vel ad cor ſimul cum exhalatione, non tanquam qualitas ſimplex, an habeat vim ſpiritus alendi?

Reſpondeo magna eſt controuerſia inter Medicos, & Peripateticos; Medici enim communiter exiſtimant, ſpiritus vitales, & animales verè nutriri, & ali, tàm per aerem, quem inſpiramus, quàm per odorem, quem trahimus ad cerebrum, ſic Hyppocrates libro de alimento, Galenus libro de vtilitate reſpirandi,&c. Ratio eorum eſt, quia ſpiritus corporis viuentis, tàm animales, quàm vitales continuò fluunt; ergò indigent reparatione, quæ fit per alimentum; cum ergò ſpiritus ſint aerei, & alimentum eorum debet eſſe aereum, & odoriferum; ergò nutriuntur, atque aluntur odoribus.

Ariſtoteles non ſolùm affirmat, odorem cum exhalatione non nutrire, ſed etiam confirmat tribus rationibus in libro de ſenſu, & ſenſili, de odore aduerſus Pithagoram.

Prima ratio eſt, quia alimentum eſt corpus mixtum, craſſum quod poteſt coqui,& excrementa facere: ſed odor non eſt talis, cùm ſit quid aereum; aer enim concoqui non poteſt, vt ſuperius probauimus; ergò odor non nutrit.

Se-

Secunda ratio eſt, quia aqua non nutrit per ſe non ſolùm animalia, ſed neque plantas, vt docet ipſe Ariſtoteles in ſecũdo de generatione; ergò neque aer. Tertia ratio eſt; quia vaſa alimenti ſunt ventriculus, & iecur; ſed odores non perferuntur ad ventriculum, & iecur, ſed ſolummodò ad cerebrum; ergò odor non poteſt fieri alimentum.

Dico cum Ariſtotele, ſpiritus nullo modo nutriri poſſe ab odore, vel aere: probatur ex Ariſtotele, qui ait vnumquodq; ali ſibi ſimile ex ijs, quibus conſtat; cùm igitur ſpiritus ſint ſubſtantia, & mixtum, non poſſunt nutriri niſi à ſubſtantia, & mixto.

Probatur ſecundò, ſi ſpiritus nutriri poſſent ab aere, mixtum fieret ab vno elemento; ſed hoc eſt falſum; ergò &c. Probatur ſequela, quia nutritio eſt quædam generatio, ſed impoſſibile eſt, totum corpus animalis generari ab vno elemento ſimplici; ergò, & impoſſibile etiam eſt nutriri.

Probatur tertiò; ſpiritus non ſunt animati, vt probauimus, agentes de ſemine; ergò nullo modo propriè nutriri poſſunt, cùm inanimata non nutriantur, quod certum eſt apud omnes; ſi enim ſpiritus nutrirentur, eſſent viuentes, quod eſt falſum, vt alibi fusè probauimus.

Dices nutritio eſt particularis generatio; ſed per te ſpiritus vitales generantur ex ſubtiliori parte ſanguinis, & aere ab ore attracto, (ita dicis de omnibus alijs ſpiritibus) ergo ſpiritus nutriuntur ab aere cum ab eo etiam generentur. Reſpondeo concedo maiorem, & diſtinguo minorem, ſpiritus generantur ab aere materialiter, vel formaliter nego minorem, generantur efficienter tanquam à cauſa adiuuante concedo minorem, & negò conſequentiam; ſpiritus enim ſunt puriſſimus ſanguis, & mixtum conſtans quatuor elemẽtis; ergò neque generari, neque nutriri poſſunt ab vno tantum elemento: aer inquam concurrit efficienter ad generationem ſpirituum, non tamen quia habet virtutem ſpiritus generandi, ſed quia acuit vim caloris natiui qui producit ſpiritus: ſicuti cinnamomum ſimul cum rabarbaro dicitur cauſa purgationis bilis, non quia cinamomum habet virtutem purgandi bilem; ſed quia acuit

vim

vim rabarbari ad perfectè purgandam bilem;& ego ſemper dicens ſpiritus generari ab aliqua portione aeris in hoc ſenſu locutus ſum.

Dubitatur,an venena nutrire poſſint.Reſpondeo venena nullo modo nutrire poſſe; ratio eſt, quia venena ſunt omninò oppoſita partibus viuentis, cum deſtruant vires, & extinguant calorem natiuum, vt patet experientiâ; quæ venena, vel propter ſuam malam qualitatem vel ſiccitatem, & frigiditatem ſemper calorem natiuum viuentis extinguunt, & mortem afferunt.

Dices, ſuccus lactucæ eſt venenum, & tamen lactuca nutrit, ſimiliter cicuta venenum eſt, & tamen ea ſturni nutriuntur.Præterea Mitridates Rex vtebatur pro cibo venenis, iiſque nutriebatur; ergò venena nutriunt.

Reſpondeo licet ſuccus lactucæ ſit uenenum; ipſa tamen lactuca venenum non eſt,quia in ea ſunt multæ partes heterogeneæ,quæ corrigunt malam qualitatem lactucæ, ideòque nutrit, non lædit.

Quoad cicutam dico; non lædit ſturnos,quia cum ſturni habeant vias, per quas refertur alimentum valdè anguſtas non poteſt citò, & in magna copia penetrari; ideoque antequam cor lædatur, a calore cordis; illud venenum ſuperatur: nam ad lædendum non ſufficit qualitas veneni, ſed requiritur etiam quantitas.

Quoad Mitridatem Regem. Reſpondeo,habuiſſe antitodum, quo vtebatur ad ſuperandam vim veneni, ideoque ab eo non lædebatur, licet quidam dicant, naturam Regis fuiſſe aſſuefactam à prima ætate parua quantitate veneni,quæ ad lædendum non eſt ſufficiens; in progreſſu verò temporis neque à magna quantitate lædebatur propter continuam conſuetudinem.

Quoad ordinem alimenti dico,prius aſſumenda eſſe alimenta fluida, mollia lubricantia,& concoctu faciliora, deinde;quæ pleniùs alunt, ſolidiora, craſſiora, & aſtringentia ſunt aſſumenda.

Dubium iam eſt inter cibos,quiſnam plus alimenti præbeat.

Dico, carnem plus alimenti præbet omnium aliorum ciborum. Ratio eſt, quia caro habet magnam ſimilitudinem,& fami-

miliaritatem cum partibus viuentis, quam quilibet alius cibus.

Caro valde nouellorum animalium non valde nutrit, neque eſt adeò bona, quia eſt nimis humida mucoſa, & excrementoſa: caro valde ſeniorum animalium non nutrit, neque eſt adeo bona, quia cum ſit dura, & ſicca: & conſequenter duræ concoctionis, eſt parui alimenti: caro igitur animalium mediæ ætatis, & pinguium præbet multum alimentum, & multum nutrit.

Caro porcina inter carnes aliorum animalium eſt præſtantiſſima, cum plus omnium nutriat, ratio eſt, quia caro porcina eſt omninò ſimilis carni humanæ tàm in guſtu, quàm in ſapore ſicuti & ipſum animal, ideſt ſus eſt magis ſimilis homini, vt ait Galenus, & alij. Caro enim porcina non debet eſſe multum iunioris animalis, ideſt ante vnum annum, quia cum ſit valde humida, eſt excrementitia, neque debet eſſe ſenioris, quæ eſt dura, & difficilis concoctionis. Aduerte tamen, quod niſi caro porcina aſſocietur vino optimo, producit obſtructiones iecoris, renum, aliaque multa mala generat.

Caro vaccinæ iunioris, ideſt non excedens quinquennium, bona eſt, atque bene nutrit. Caro vituli non eſt adeò magni alimenti, ſed quia eſt facilis concoctionis, alijs melior exiſtimatur.

Caro bouis, ſeptimum annum excedentis, mala eſt cum propter ſuam ſiccitatem in ſubſtantiam corporis difficile conuerti poſſit. Vnde ab aliquibus non dicitur alimentaria.

Caro ouina eſt excrementoſa, & mali ſucci; caro agnina eſt magis excrementoſa, ſed facilioris concoctionis, caro arietina eſt mali ſucci. Caro Arietis caſtrati eſt minus excrementoſa, & boni alimenti à multis auctoribus laudatur in ſuauitate, bonitate ſucci, & etiam alimenti. Caro hædina, eſt ſicuti agnina. dicitur tamen præſtantior, quia eſt minus excrementoſa, quàm agnina.

Caro cerui iunioris eſt ferè ſimilis vituli; ſenioris eſt ſimilis bouinæ, caro caſtratorum prouectæ ætatis eſt melior, quam adultorum. Caro hircina mali ſaporis, ſucci, & concoctionis difficilis. Caro Caprina eſt ſimilis arietis caſtrati non eſt adeò bo-

na.

na. Caro leporis iunioris eſt boni ſucci, boni ſaporis, & facilis concoctionis, ſenioris verò dura, & difficilis concoctionis, generat ſanguinem craſſiorem, & melancholicum. Caro cuniculi, cum ſit nimis excrementoſa, mala eſt, & potius ruſticis conueniens.

Caro animalium volucrium non adeò multum nutrit, ſicuti nutriunt animalia terreſtria; melior tamen exiſtimatur, quia eſt facilioris concoctionis minùs generat cruditatem obſtructiones, &c.

Aduertendum tamen eſt, quòd caro animalium volucrium, cù m ſit facilis concoctionis, potius conuenit vitam quietam degentibus, quam laborioſam; & caro animalium duræ concoctionis magis conuenit viuentibus vitã laborioſam; quàm quietam gerentibus; ratio huius rei eſt, quia in viuentibus vitam ſine labore, & maximo exercitio, cibus ob debilitatem caloris non tàm citò concoquitur, & conſequenter requirunt cibum facilioris concoctionis. In viuentibus verò vitam laborioſam cibus citò concoquitur, ob calorem, qui ab exercitatione augetur ideòque illis conuenit cibus durioris concoctionis: nam iſtis exercitiis deditis cum membra ſint exinanita; & facultas attratrix validior trahit cibum delicatum à Iecore, & Ventriculo crudum & incoctum, cum ventriculus, & Iecur ob perpetuum exercitium non habeant ſufficientem quietem, illum cibum coquendi, qui cibus crudus attractus in venis generat multas affectiones, & hæc cruditas eſt cauſa, ob quam ruſtici, & alij vitam laborioſam viuentes ante tempus, & ſenectutem moriantur.

Remanet explicandum de partibus animalium, pro quo.

Dico breuitèr, linguam eſſe facilioris concoctionis, & boni alimenti; oculi animalium, cum ſint pinguiores, ſunt paucioris alimenti. Muſculi capitis, & aliæ partes ſunt facilioris concoctionis, & boni nutrimenti. Cerebrum eſt difficilis concoctionis, craſſi ſucci, & præbet malum alimentum, & ſtomacho inimicum.

Vbera iuniorum animalium facilè coquuntur, & benè nutriunt, cor cum habeat carnem fibroſam, eſt difficilis concoctio-

nis, mali ſucci, & pauci alementi. Iecur eſt duræ concoctionis, craſſi ſucci,& pauci alimenti. Pulmo eſt difficilioris concoctionis, minoris nutrimenti, quàm cor, & iecur, cum ſit illis rarior. Lien, cum nutriatur à ſanguine melancholico mali ſucci eſt,& difficilis concoctionis, atque malæ nutritionis. Renes ſunt difficilis concoctionis, & mali ſucci; Ventriculus ſecundum ſuam craſſiorem partem eſt facilioris concoctionis, & boni alimenti. Secundum verò tenuiorem partem, cum ſit membranoſus, eſt difficilis concoctionis, & parui alimenti; ità etiam inteſtina poſſunt eſſe facilioris, & difficilioris concoctionis. Pedes bene cocti iuſculo alicuius animalis ſunt boni alimenti. Adeps eſt difficilis concoctionis, nauſeam,& flatus generat, multaque alia mala. Teſticuli ſunt difficilis cōcoctionis,mali ſucci,& non laudantur,vt puto, niſi ob eorum ſaporem.

Oua recentia multum, & benè nutriunt, ſunt facilis concoctionis, & generant ſubtilem ſanguinem. Oua vetuſtiora ſunt difficilis concoctionis, peſſimi alimenti, & cauſa arenulæ, calculorum, multorumque aliorum malorum; vndè ſicuti recentiora ſunt optima, ita & vetuſtiora peſſima.

Caſeus mediocris ætatis, ideſt nec adeò recens,nec adeò vetuſtus, & mediocriter ſalitus, mollis, pinguis, & dulcis facilis eſt concoctionis & ſi non ſit adeò craſſus,neque adeo tenuis, producit multum alimenti, dummodo tamen mediocriter aſſumptus ſit,& præcipuè poſt cibum concoctionem iuuat. Caſeus verò vetuſtus, & habens plus coaguli eſt difficilis concoctionis, mali ſucci, & eſt cauſa calculi, & arenulæ aliorumque malorum. Butyrum mediocriter ſumptum benè nutrit pectus,& pulmones humectat, atque mollificat.

Piſces omnes, in genere loquendo, præbent alimentum frigidiorem, & humidiorem quocumque animali terreſtri producunt ſanguinem tenuiorem, illumque viſcidum facilè corrumpuntur in ventriculo,ideoque ſitim generant. Nullus piſcis bonum alimentum corpori humano producere poteſt, & quando Medici dicunt, Sturionem, & piſces ſaxatiles, ideſt troctæ eſſe boni alimenti, loquuntur comparatiuè in ordine ad alias ſpecies piſcium, quòd nimirum iſti ſunt alijs meliores.

A Panis

Panis triticus benè coctus eſt boni ſucci, facilis concoctionis & multum nutrit, licet caro præbeat plus alimenti, non tamen habet omnes bonas conditiones, quæ in pane reperiuntur, cùm quædam caro ſit facilis concoctionis, quædam difficilis, quædam facilè corruptibilis, quædam mali ſucci, &c. in pane verò nullus ex his vitijs reperitur. Vnde prouenit, quòd omnes alios cibos faſtidiamus non verò panem.

ARTICVLVS II.

De Potu.

POtus eſt ſubſtantia actu humida, cuius finis eſt alimenta ſolida diluere, humectare, ac refrigerare ventriculum, & partes calidiores.

Aqua potabilis, ad hoc vt ſit bona, debet habere iſtas conditiones. Primò, vt ſit ſimplex, ſecundo pura, tertio perlucida, quarto mollis, quinto leuis.

Aqua leuis non eſt illa, quæ eſt minùs ponderoſa & grauis illa, quæ eſt magis ponderoſa, vt vulgo opinatur, ſed leuis aqua dicitur illa, quæ non grauat, & extendit hypochondria inter aquas potabiles pluuialis cùm ſit mollis, alijs melior eſſet, niſi citò corrumperetur.

Aqua putei non eſt bona, niſi puteus ſit in loco aperto, commotus crebro ſitulis exauſtus. Aqua fluuiorum rapacium bona eſt, non rapacium mala.

Aqua fontium omnium optima eſt, cùm ſemper recentiſſima, ac perlucida ſit. Aduertendum tamen eſt, aquam quantumuis eſſe optimam, eius vſus debet eſſe moderatus, quia aqua pluſquam conuenit aſſumpta ægrè deſcendit, ſtomachum nimis refrigerat, caloremque natiuum extinguit.

Aqua enim non debet aſſumi calida, cùm mentis ſtuporem, neruorum debilitatem, & animi deliquia generet, neque debet eſſe nimis frigida: cum paralyſim, catalepſim, aliaſque magnas ægritudines producere poſſit, vt teſtatur Galenus, & alij.

Digitized by Google

Quæres, quæ nam aqua ſit melior; cocta, an verò cruda, vt à fonte hauritur?

Reſpondeo, meliorem eſſe aquam crudam. Ratio eſt, quia aqua, dum coquitur, & ebullit, ab ea cum partes ſubtiliores, & ſpirituoſiores vi ignis exhalent, atque euolent, remanent partes fœculentæ & craſſæ, quæ obſtructiones generare ſolent; ſimul verò cum partibus tenuuioribus, & ſpirituoſioribus faciliùs tranſmeant.

Confirmatur hoc ex antiquis Medicis, & præcipuè Aegyptijs, vt refert Plato in ſymboſijs lib. 8. q. 5. qui præcipiebant, vt aquę potui inſeruientes, ex Nilo exhaurirentur ante ortum ſolis, nè ſuis radiis, ſuoque calore ſol meliores partes, ideſt tenuuiores, & ſpirituoſas educeret.

Confirmatur experientiâ, quia aqua calida, & cocta facilius congelatur, quàm aqua cruda, quia ab aqua calida, & cocta cum partes ſpirituoſiores, & tenuiores vi caloris euolent, terreſtriores remanent faciliores ad congelationem.

Dices; ergò Medici ægris aquam coctam præcipientes errant.

Reſpondeo abſque dubio, quia putant per ebullitionem ab aqua euolare quaſdam partes extraneas, cruditates, & flatuoſitates expelli, quod eſt falſum, cùm omninò oppoſitum contingat; euolant enim tenuiores, quæ ad concoctionem magis conferunt, & remanent craſſiores, quæ concoctionem in ventriculo impediunt, & obſtructiones generant.

Vinum ex ſua natura calidum eſt, & humidum, corpora viuẽtium calefecit, & humectat, non ſiccat niſi per accidens.

Vinum aquâ temperatum viſcera calefacit, vires corroborat concoctionem iuuat, obſtructionem tollit, ſpiritus excitat eoſq; generat, caloremque natiuum fouet.

Vinum purum, & præcipuè validum, eſt difficilis concoctionis, & mittit ad caput multos vapores, ex quibus produci ſolet vertigo phrenitis, multaque alia peſſima mala.

Explicato externo alimento, nempè cibo, & potu, explicandum remanet alimentum internum pro quo.

ARTICVLVS VIII.

De alimento immediato, & intrinſeco.

DIco, breuiter immediatum alimentum partium viuentis eſſe ſanguinem. Probatur quia fœtus in vtero ſuæ matris nutritur ſolo ſanguine, qui illi ſubminiſtratur per venas vmbilicales, ergo ſolo ſanguine nutriuntur partes viuentis.

Dico ſecundo, ventriculum etiam nutriri à ſanguine, non à chilo, vt quidam opinantur. Probatur primo ex Gal. 3. de temperamentis cap. 2. vbi ait: nihil poſſe nutrire, niſi tres concoctiones habeat, ergò chilus non poteſt nutrire cum tres concoctiones non habeat.

Probatur ſecundo, natura præbuit ventriculo venas, per quas vt ait Gal. 2. de naturalib. facultatib. ventriculus tempore famis trahit ad ſe ab hepate alimentũ; ergo alitur, & nutritur ſanguine.

Dices, digeſto cibo; ceſſat, fames; ergo ventriculus nutritur chilo.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia fames ceſſat ante digeſtionem cibi, dum adhuc non eſt chilus, quia ob inanitionem in ventriculo fames excitantur, & per oppletionem ceſſat; ergo non à chilo ſed à ſangnine nutritur.

Dico, ſimiliter lienem nutriri à ſanguine melancholico, non ab ipſa pura malencholia. Primo quia pura malencholia, eſt frigida, & craſſa; ergo non poteſt nutrire, ſimiliter folliculum fellis; non nutritur bile, ſed ſanguine bilioſo, quia pura bilis eſt valdè calida, valde amara, & mordax; ergo partes viuentis, nutrire non poteſt, cum in illas conuerti non poſſit.

Explicato alimento remoto, ac proximo, circa quod verſatur facultas nutritiua, & augmentatiua explicandæ ſunt ipſæ facultates, pro quibus eſt peculiaris quæſtio.

QVAESTIO II.

De natura & eſſentia Potentiæ Nutritiuæ, & Augmentatiuæ.

ARTICVLVS I.

Quid ſit potentia nutritiua & augmentatiua.

POtentia nutritiua eſt, quæ alimentum in ſubſtantiam partium viuentium conuertit.

Potentia augmentatiua eſt, quæ partes in longum, latum, & profundum extendit; vnde iſtæ duæ potentiæ diſtinguuntur ratione finis, quia finis potentiæ nutritiuæ eſt conſeruare indiuiduum; finis verò potentiæ augmentatiuæ, eſt augere indiuiduũ, ſeù eius partes.

Obiectum potentiæ nutritiuæ eſt alimentum aptum ad conſeruationem ſubſtantiæ corporis, de quo alimento ſuperiùs diximus.

Potentiæ famulares, quæ ſubordinantur potentiæ nutritiuæ & augmentatiuæ, ſunt quatuor, vt alibi diximus, nempè attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix.

Potentia attractrix eſt, quæ ad partes alimentum, ſibi conueniens, trahit.

Retentrix eſt, quæ alimentum iam attractum retinet.

Concotrix eſt, quæ alimentum alterat, & concoquit.

Expultrix eſt, quæ ſuperfluum excernit, & euacuat pro intelligentia huius rei.

Sciendum eſt, omnes partes corporis per potentiam attractiuam attrahunt alimentum ſibi conueniens, & primò ventriculus ex ore cibum attrahit, in quo ventriculo cibus ille, & potus vi caloris hepatis, cordis, & etiam ipſius ventriculi concoquitur, & fit quodam modo alba ſubſtantia cremoris ſimilis, quæ ſub-

ſubſtantia chilus dici ſolet; poſt verò concoctionem eadem ſubſtantia, ideſt chilus trahitur ad inteſtina, vbi ſegregatur craſſior pars, quæ ab expultrice mittitur ad aluum, ſubtilior verò pars, quæ dicitur chimus, attrahitur per quaſdam venas dictas meſſaraicas, quæ ſunt quaſi via ab inteſtinis ad iecur, ibiq; ideſt ſub iecore iterum concoquitur, ex quo ſegregatur craſſior & ad nutritionem inutilior pars, quæ eſt quatruplex. Prima eſt melancholia, quæ ab expultrice expellitur ad lienem; altera eſt bilis, quæ ab eadem expultrice expellitur, & mittitur in folliculum fellis; altera eſt pituita, quæ ab expultrice mittitur ad intiſtina, ad ea oblinienda, vt faciliùs exeant feces: altera verò pars inutilis, quæ eſt ſeroſior mittitur ad renes, quæ euadit vrina, vel per eam purgatur: ſubtilior verò, & vtilior pars, quæ poſt concoctionem, & ſegregationem partium excrementitiorum, dicitur maſſa ſanguinea, quę eſt illa fluuida ſubſtantia continens in ſe quatuor humores, nempè ſanguinem, bilem, pituitam, & melancholiam; quæ maſſa ſanguinea ex iecore deinde per venas transfertur ad omnes partes corporis, ex qua partes trahunt ad ſe alimentum, ſeù ſanguinem, qui tertia vice in illis partibus concoquitur, deinde aglutinatur, diſponitur, & aſſimiliatur partibus, in quas conuertitur. Vnde per attractiuã attrahitur alimentum, per retentricem retinetur, per concoctricem concoquitur, & per expultricem excernitur ſuperfluum, & per nutritionem, & augmentationem aſſimiliatur, conglutinatur, atque conuertitur in ſubſtantiam corporis.

Colligitur ex dictis nomine ſanguinis aliquando intelligi totam maſſam ſanguineam, aliquando vnã partem maſſæ, nempè rubriorẽ, & temperantiorem partem, vt alibi fusè explicabimus.

ARTICVLVS II.

De quibuſdam quæſitis.

QVæres primò, an potentia augmentatiua, dum definit operari, corrumpatur, quia potentia augmentatiua non operatur, niſi vſque ad certum tempus, ſeù ætatem augmentatiua-

mentationis; potentia, verò nutritiua operatur toto tempore vitæ?

Reſpondeo, quoad rem non corrumpi, licèt poſſit dici, quod corrumpatur, quo ad operationem.

Dices; ergò manet otioſa iſta potentia. Reſpondeo negando conſequentiam, quia illud dicitur manere otioſum, quod nō aſſequitur ſuum finem, quod verò iam eſt aſſequutum ſuum finem, non dicitur otioſum, potentia verò augmentatiua, cum ſit aſſecuta ſuum finem, non benè dicitur otioſa.

Quæres ſecundo, cùr in Adoleſcentia fiat augmentatio, & nō in Iuuentute?

Reſpondeo, augmentationem non fieri in iuuentute, non propter defectum caloris natiui, vt quidam opinantur, quia maior eſt vis caloris natiui in iuuentute, quam in adoleſcentia; neque poteſt referri ad alimentum, vt ex ſe patet. Dico igitur, referri poſſe ad dilatationem membrorum, quia in infantia faciliùs dilatantur membra, quàm in iuuentute; membra enim in iuuentute ſunt dura, & conſequenter dilatari non poſſunt, vt patet inductione in omnibus viuentibus.

Quæres tertio, cùr viuens magis creſcat, ſecundum longitudinem, quàm ſecundum latitudinem?

Reſpondeo, viuens creſcit ſecundum omnes eius partes, magis tamen ſecundum longitudinem, quam ſecundum latitudinem, primò, quia natura animalis poſtulat maius augmentum ſecundum longitudinem; ſecundò quia calor extendit potiùs ſecundum longitudinem, quà ſecundum latitudinem.

Quæres quarto cur natura non dedit viuentibus figuram rotundam, quæ eſt perfectior omnibus alijs?

Reſpondeo, quia figura rotunda eſſet inepta ad operationes viuentis, nam cum animalia moueantur motu progreſſiuo, figura rotunda ad talem motum non eſſet idonea, vt ait Ariſt. 2. de Cœlo; & hæc de anima vegetatiua ſint ſatis.

PARS

PARS TERTIA
DE ANIMA SENSITIVA.

ANIMA ſenſitiua eſt primum principium ſenſus, & motus.

Triplex eſt potentia animæ ſenſitiuæ, prima eſt potentia ſenſitiua, ſecunda appetitiua, tertia motiua; vndè primo loco de ſenſitiua, ſecundo de appetitiua, tertio loco de motiua agemus.

Potentia ſenſitiua eſt, quæ mediantibus orgaganis circa notitiam rerum corporearum verſatur.

Duplex eſt potentia ſenſitiua, altera externa, & altera interna; potentia ſenſitiua èxterna nihil aliud eſt, quàm ſenſus externi, qui communiter quinque aſſignari ſolent, nempè viſus, auditus, odoratus, guſtus, & tactus.

Potentia ſenſitiua interna ſunt ſenſus interni, qui dicuntur etiam principes facultates, vt eſt potentia imaginatiua, exiſtimatiua, & memoria: an verò detur ſenſus communis, infra videbimus.

Antequam de ſenſibus tàm internis, quàm externis agamus, agendum nobis eſt de ſenſibili incommuni, & de ſpeciebus ſenſibilibus, quæ concurrunt ad productionem ſenſationum, pro quibus eſt.

DISPVTATIO I.

De ſenſibili incommuni.

OBiectum ſenſibile dicitur illud, quod a ſenſu percipitur; ſed magna difficultas eſt, an obiectum ſenſibile per ſe percipiatur à ſenſibus, an verò mediantibus ſpeciebus intentionalibus ideo priùs de ſpeciebus intelligibilibus deinde de ſenſibili.

QVAESTIO I.

De ſpeciebus intentionalibus.

SPecies intentionalis eſt quoddam ſignum, ſeu quædam qualitas ab obiecto in ſenſum immiſſa, & in eo recepta, ipſumque obiectum repræſentat, quæ dicitur intentionalis, quia cùm ſit medium, & ratio videndi, non eſt ſenſibilis, ſed ab intellectu perceptibilis, pro quo eſt.

ARTICVLVS I.

An dentur ſpecies intentionales.

PRima ſententia ait, non dari ſpecies intentionales, quia obiectum ſe ipſum ſine vlla ſpecie, à ſe ad ſenſum immiſſa, mouet ſenſum, quo immediatè percipitur; hæc ſententia eſt Ocani ſecundo diſtinct. 3. qu. 13. Durandi q. 6. & aliorum.

Prima ratio huius ſententiæ eſt, quia poſito obiecto in debita diſtantia, & remotis impedimentis in ſenſu reſultat ſenſatio; ſicuti per poſitionem termini reſultat in fundamento relatio; ergò fruſtrà ponuntur ſpecies intentionales.

Secun-

Secunda ratio eſt, quia ſi admitterentur tales ſpecies in vno, eodemque numero ſubiecto, darentur plura accidentia ſolo numero diſtincta; conſequens eſt falſum; ergò & antecedens; probatur ſequela, quia plures alborum, vel nigrorum ſpecies reciperentur in eodem medio, & in eodem ſenſu; ergò in eodem ſubiecto darentur plura accidentia ſolo numero diſtincta; quod hoc ſit abſurdum, ex ſe patet.

Tertia ratio eſt, quia impoſſibile eſt, quod Cęlum vſque ad nos immittet ſpecies propter magnam diſtantiam; ergo non ſunt admittendæ tales ſpecies.

Secunda ſententia ait obiectum ſe ipſo ſine ſpeciebus, a ſe per medium ad ſenſus immiſſis, a ſenſu percipi non poſſe; hæc ſententia eſt Scoti q. 10. S. Thomæ p. par. q. 55. Conimbrycenſes ſecundo de anima, & aliorum.

Prima ratio eſt auctoritas Ariſt. qui ſecundo de anima tex. 121 ait; ſenſum eſſe potentiam, quæ eſt ſuſceptiua formarum ſine materia ideſt ſpecierum intentionalium, & tex. 105. & 56. ait: ſenſibile poſitum ſuper ſenſorium non facere ſenſationem, ſed requiri neceſſariè medium; per quod ſenſibile agat, quod ſunt ipſæ ſpecies vt tex. 124. ait plantas non ſentiri, etiamſi frigeſiant, & caleſiant, quia, inquit, non habent temperiem requiſitam ad tactum, & potentiam, quæ recipiat formas ſine materia ideſt ſpecies. Idem docet tex. 133. & 132. & pluribus alijs locis.

Secunda ratio eſt, quia niſi darentur species ſenſibiles facultas imaginatiua, memoria, & intellectus operari non poſſent: nam iſtæ potentiæ operantur circa aliquod, quod eſt præſens, ſed ſolum ſpecies ſunt aliquod præſens, & non obiectum; ergò niſi darentur ſpecies, iſtæ potentiæ operari non poſſent.

Tertia eius ratio, ſunt variæ experientiæ, prima eſt, dum diù vehementer aſpicimus aliquam rem albam, vel nigram, ſi conuertamus oculos ad alias res, videmus eas eſſe eodem modo coloratas; ergò dantur ſpecies, quæ receptæ in oculo repræſentant illud obiectum coloratum, ideſt album, vel nigrum, etiamſi illud non ſit ampliùs præſens.

Secunda experientia eſt, quia ſi radius ſolis, feriens parietem aliquem, tranſeat per colores, E. G. virides in ipſo parie-

te aer ille apparet viridis; ſed ipſa eſt ſpecies intentionalis; ergò, &c.

Tertia experientia, nos aſpicientes in ſpeculo videmus E.G. Petrum exiſtentem a tergo; ſed hoc fieri non poteſt niſi Petrus mittat ſuam ſpeciem ad ſpeculum, quæ reflectitur ad oculos noſtros; ergo dantur tales ſpecies. Similiter, vt cùm aliquis videt ſe in ſpeculo, videt baculum in aqua refractum &c. quæ ſine ſpeciebus ſaluari non poſſunt; neceſſariò; ergo, debent admitti tales ſpecies.

Dico cum ſecunda ſententia, obiectum immediatè percipi non poſſe niſi per ſpecies intentionales immiſſas ab obiecto ad ſenſum, qui ab illis determinatur efficiens ſenſationem.

Præter rationes ſecundæ ſententiæ, ſic probatur, quia obiectum, vel agit aliquod in ſenſu, E.G. in oculo, vel non; ſi dicatur ſecundum; ergo obiectum non eſt neceſſarium ad viſionem, neque refert, quod ſit magnum, vel paruum, quod eſt apertè falſum; ſi dicatur primum quæro, agit nè priùs in medio, quam in oculo, an non? hoc ſecundum eſt falſum, quia non poteſt agere in fine, quin agat in medio; ſi dicatur primum; ergo dantur ſpecies, quæ priùs producuntur in medio, deinde in oculo.

Probatur ſecundò, ſenſus, E.G. viſus eſt indifferens ad vid dendum hoc, vel illud; ergò debet ab aliquo determinari an videndum potiùs, hoc, quàm illud; ſed hoc determinatiuum noo poteſt eſſe obiectum, cùm illud in oculo recipi non poſſit; ergm dantur ſpecies, a quibus oculus determinatur ad producendam viſionem potius illius rei, quam alterius.

Ad primam rationem primæ ſententiæ reſpondeo negando antecedens, quia poſitis omnibus in illa ratione dictis, adhuc potentia remanet indifferens; adhoc ergò, vt determinetur, requiritur ſpecies obiecti quę illam determinet: ad parietatem de relatione dico, terminum non concurrere efficienter ad relationem, quæ reſultat in fundamento: obiectum verò ſenſibile concurrit efficienter ad ſenſationem, ideò poſito termino, & fundamento reſultat relatio; poſito verò obiecto, & non ſpeciebus non poteſt conſurgi ſenſatio: dixi obiectum concurrere efficien-

ſcienter ad ſenſationem, non quia illam efficienter producit; ſed quia producit ſpeciem intentionalem, quæ neceſſario requiritur ad productionem ſenſationis.

Ad ſecundam rationem reſpondeo, deſtinguguendo ſequelam, in vno eodemque ſubiecto darentur plura accidentia ſolo numero diſtincta, intentionalia, concedo ſequelam, realia nego ſequelam: implicant enim plura accidentia realia ſolo numero diſtincta in vno numero ſubiecto, quia cumſument ſuam indiuiduationem ex ſubiecto, inhæſionis, impoſſibile eſt, vt in vno numero ſubiecto multiplicari poſſint.

Ad tertiam rationem eiuſdem ſententiæ reſpondeo negando antecedens, quia quælibet res ſenſibilis tranſmittit ſuam ſpeciem ad minorem, vel maiorem diſtantiam ſecundum ſuam magnitudinem, vel paucitatem; quid ergò mirum videtur, ſi adeo vaſtiſſimum corpus ad nos vſque ſuam ſpeciem emittat? remanet explicandum, quomodò producantur iſtæ ſpecies, pro quo eſt.

ARTICVLVS II.

Quomodo producantur ſpecies intentionales.

Prima ſententia ait, iſtas ſpecies produci à quodam agente diſtincto ab obiecto, quod agens, alij dicunt, eſſe Deum, alij intelligentiam, alij lumen cæleſte.

Ratio eorum eſt, quia ſpecies ſenſibiles, vel producuntur ab obiecto quod repræſentant, vel à ſubiecto, in quo recipiuntur, vel à ſe ipſis, vel ab aliquo agente extrinſeco. Non poteſt dici primum, quia obiectum eſt materiale, & ille ſpecies ſunt immateriales; ergò non poſſunt produci ab obiecto, nullum enim agens agere poteſt ſupra ſuas vires, neque poteſt dici ſecundum quia materia non habet vim efficiendi, ſed patiendi, neque poteſt dici tertium, vt ex ſe patet, quia nihil poteſt producere ſe ipſum. Remanet ergo, quod producantur ab aliquo alio agente extrinſeco.

Secun-

Secunda ſententia ait, iſtas ſpecies produci ab obiecto. Ratio huius eſt, quia Ariſtoteles ſecundo de anima tex. 19. ait: actiuũ operationis ſenſuum eſſe obiectum, vt eſt viſibile, quod habet vim agendi in ſenſum; ſed non agit niſi per ſpecies; ergo illas producendo: & lib. 2. de ſenſu, & ſenſibili cap. 6. ait: vnumquodque eſſe actiuum ſenſuum, & hac de cauſa vocari ſenſibile.

Dico cum ſecunda ſententia, ſpecies ſenſibiles produci ab obiecto.

Probatur, quia omne ens abſolutum dependet ab alio in aliquo genere cauſæ; ſed ſpecies ſenſibiles, cùm ſint quædam qualitas, ſunt ens abſolutum, dependens in eſſe, & in fieri ab obiecto; ergò dependent ab aliquo in aliquo genere cauſæ; ſed non dependet ab illo ſubiectiuè, aut materialiter, quia ſpecies ſenſibiles, vel ſunt in ſenſu, vel in medio; neque dependent ab illo formaliter, quia corpus non poteſt eſſe forma ſpeciei; neque in genere cauſæ finalis, cum finis illius ſpeciei non ſit obiectum, ſed ſenſatio: ergò ſpecies dependent ab obiecto in genere cauſæ efficientis.

Ad rationem primæ ſententiæ reſpondeo, negando, quod nõ producatur ab obiecto. Prætereà falsum eſt, quod illæ ſpecies non ſint materiales, quia hæ ſpecies, vel creantur ex nihilo, vel educuntur de potentia materiæ; non poteſt dici primum, quod creetur; vt ex ſe patet; ergo dicendum eſt ſecũdum; ideſt quod educantur; & conſequẽter ſunt materiales.

Præterea iſtæ ſpecies recipiuntur in ſubiecto corporeo, & quanto, ideſt in medio, & in organo; ergò ſunt corporeæ & quãtæ, quia omne, quod recipitur in re quanta, ab ea dependet, & eſt quantum, vt patet in albedine, & ſapore, qui vt ait Ariſtoteles: ideò ſunt extenſi, quia ſunt in ſubiecto extenſo.

Quæres primo ſi ſpecies ſint materiales quomodo à Philoſophis, imò & ab ipſo Ariſtotele ſecundo de anima dicuntur immateriales? Ariſtot. enim ibi inquit, ſenſum ſuſcipere ſpeciem ſine materia.

Reſpondeo, ſpecies dicitur primò immaterialis, quia non habet proprietates materiales in oculo, quas habet in ſubiecto.

(vt

(vt E. G. albedo in pariete) vt eſſe quantum, eſſe quale &c. ſecundo illa forma coloris non eſt extenſa in oculo, vt eſt in pariete; cùm contineri non poſſet in oculo, ſed eſt tanta illa forma, ſeù ſpecies, quantus eſt oculus, quia ſicuti non affert ſecum in oculo illam quantitatem obiecti ità neque qualitates materiales, quæ erant coniunctæ cum calore parietis, vt eſt duritics, ideòque dicuntur immateriales.

Quæres ſecundo, quomodò ſpecies intentionales immittuntur, vel tranſmittuntur ab obiecto ad ſenſum?

Reſpondeo ſpecies intentionales non tranſmitti ab obiecto per medium ad ſenſorium organum, ideſt ſenſum, ſicuti tranſmittitur ſagitta à Iaculatore verſus ſcopum, vt multi opinantur, ſed per continuam propagationem, ſeù influxum per medium, quem admodum ab igne tranſmittitur calor ad rem calidam, & quia obiectum non ceſſat influere ſucceſſiuè per mediũ ad ſenſum vſque ad productionem ſenſationis, non ſolum dicitur obiectum producere, ſed etiam conſeruare ipſas ſpecies.

Quæres tertiò, quomodò ſpecies ræpreſentent obiectum?

Reſpondeo, duplicitèr vnum poſſe repræſentare alterum; primò formalitèr, & vt quo; ſecundò inſtrumentalitèr, & vt quod illud repræſentat formalitèr, & vt quo alterum, quod repræſentando illud, non repræſentat ſeipſum, ſic cognitio, quâ cognoſco. Petrum E. G. repræſentat Petrum, non verò ſeipſam: Illud repræſentat inſtrumentalitèr, & vt quod aliud, quod repræſentando ſeipſum, repræſentat illud aliud, cum quo habet ſimilitudinem; ſic ſtatua Cæſaris E. G. repræſentando ſe ipſam, repræſentat Cæſarem; ſpecies ergò repræſentat ſuum obiectum formalitèr, & vt quo, quia ſpecies coloris E. G. repræſentant potentiæ viſiuæ colorem, non verò ſeipſam, cum ipſa à ſenſu percipi non poſſit.

Quæres quartò, an ſpecies ſint perfectiores, & nobiliores obiecto?

Reſpondeo, non eſſe nobiliores, ratio eſt, quia omne repræſentatiuum rei eſt ignobiliùs, & imperfectiùs illa re, ſed ſpecies eſt repræſentatiuum obiecti; ergò eſt ignobilior, & imperfectior obiecto: Probatur maior omne medium eſt imperfe-

ctiùs

ctiùs ſuo fine, ad quem ordinatur; ſed ſpecies ſunt medium, vt ſentiatur obiectum; ergò ſunt imperfectiores ſuo obiecto.

Secunda ratio eſt, quia omne, quod dependet ab alio eſt illi imperfectius; ſed ſpecies dependent ab obiecto in produci, & in conſeruari; ergò ſunt imperfectiores obiecto.

Quæres quinto, iſtæ ſpecies, ad quod prædicamentum reducuntur?

Reſpondeo, reduci ad prædicamentum qualitatis, & præcipuè ad tertiam eius ſpeciem, quæ dicitur paſſibilis qualitas.

Quæres ſexto, an ſenſus interni requirant ſpecies, vt operentur.

Reſpondeo affirmatiu e, quiâ plerumque nos imaginamur res abſentes, quæ ſine ſpeciebus vllo modo fieri poſſit, vt fuſiùs explicabimus, agentes de ſenſibus in particulari. Colligitur ex dictis, cauſam efficientem ſpecierum eſſe ipſum obiectum, cauſam materialem eſſe medium, & ipſam potentiam ſenſitiuam; cauſam formalem eſſe ipſas ſpecies; finalem eſſe productionem ſenſationis.

QVAESTIO II.

De eſſentia, & numero ſenſibilium in communi.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex ſit ſenſibile.

Obiectum ſenſibile dicitur illud, quod ſenſu percipitur. Duplex eſt ſenſibile, alterum per ſe, alterum per accidens.

Sẽſibile per ſe dicitur illud, quod per ſe, & propriè ſenſu percipitur, vt ſunt accidentia, E. G. color, motus &c.

Senſibile per accidens dicitur illud, quod in ſe, & propriè sẽſu non percipitur, ſed quia eſt connexum cum alio, quod eſt per ſe ſenſibile, ſic ſubſtantia E. G. dicitur ſenſibilis per accidens, quia

quia in tantùm ſenſu percipitur, in quantum eſt connexum cum accidentibus, quæ ſunt per ſe ſenſibilia.

Senſibile per ſe diuiditur in ſenſibile proprium, & ſenſibile commune. Senſibile proprium dicitur illud, quod per ſe ab vno tantùm ſenſu percipitur, vt color à viſione, ſonus ab auditu &c.

Senſibile proprium iuxtà quinque ſenſus quintuplex, eſt nempè viſibile, audibile, olfabile, guſtabile, & tactibile.

Senſibile commune dicitur illud, quod à pluribus ſenſibus percipi poteſt, vt eſt magnitudo, & figura E.G. quæ percipiuntur à viſu, & auditu, &c. Ariſtoteles hic quinque aſſignauit ſenſibilia communia, nempè motum, quietem, numerum, magnitudinem, & figuram; magnitudo, & figura percipiuntur à viſu, & tactu, motus, quies, & numerus ab omnibus quinque ſenſibus; controuerſia eſt inter Auctores de numero horum ſenſibilium.

Quidam putant, ſenſibilia communia eſſe pauciora quinque, prima eorum ratio eſt, quia motus, cum ſit ſucceſſiuus, non eſt præſens, niſi ſecundum inſtans; partes enim motus, aliæ ſunt præteritæ, & aliæ futuræ; ergo à ſenſu percipi non poteſt.

Secunda ratio eſt, quia numerus non poteſt cognoſci niſi ab eo, qui numerat, ideſt ab intellectu; ergò à ſenſu percipi non poteſt, ſed ſolùm ab intellectu.

Tertia ratio eſt, quia quies eſt priuatio motus; ſed priuatio à ſenſu percipi non poteſt; ergò quies à ſenſu percipi non poteſt.

Quidam alij putant, ſenſibilia communia eſſe plura quinque, locus enim, ſitus, & diſtantia, multaque alia ſunt ſenſibilia communia, quia viſus, & tactus non ſolùm percipiunt obiectum ſenſibile, ſed etiam locum, & diſtantiam, quæ eſt inter nos, & obiectum; prætereà percipiunt, an ſint in dextera, an verò in ſiniſtra parte; ergo ſenſibilia communia ſunt plura quinque.

Dico cum Ariſtotele, & communi ſententia Philoſophorũ, ſenſibilia communia eſſe tantùm quinque; ad quæ reducuntur omnia alia aſſignabilia; locus enim, ſitus, & diſtantia reducuntur ad magnitudinem, aſperum, & leue, quæ ab aliquibus aſ-

ferri ſolent, reduci poſſunt ad figuram, & ſic de cæteris; ergo bene ab Ariſtotele quinque ſenſibilia communia aſſignata fuerunt.

Ad primam rationem primæ ſententiæ reſpondeo, illud, quod non eſt præſens, neque ſecundum ſe totum; neque ſecundùm aliquid ſui à ſenſu percipi non poteſt, concedo; illud quod non eſt præſens ſecundùm ſe totum, ſed eſt ſecundùm aliquid eius à ſenſu percipi non poteſt, nego, quia cùm inſtantia in tempore, & mutata eſſe in motu ſint ipſa entitas temporis, & motus, & non diſtinguantur niſi per aſſignationem à tempore, & motu; aliquid eorum eſt præſens, & à ſenſu percipi poſſunt, ſaltem imperfectè; intellectus verò comparando inter ſe partes anteriores, & poſteriores motus, & temporis, perfectè illa percipit.

Ad ſecundam reſpondeo, diſtinguendo antecedens; numerus formaliter, ideſt ipſa forma conſtituens numerorum non poteſt percipi niſi à numerante, ideſt intellectu, concedo antecedens; numerus materialiter, ſeu in concreto, ideſt res numero diſtinctæ à ſenſu percipi non poſſunt, nego antecedens, & conſequentiam.

Ad tertiam reſpondeo, quies, vt eſt ceſſatio motus, eſt priuatio, & à ſenſu percipi non poteſt, concedo maiorem, quatenùs dicit permanentiam rei in tali eſſe, eſt priuatio, & ſenſu percipi non poteſt, nego maiorem; quia quies quatenùs dicit permanentiam rei, ſeu exiſtentiam rei, connotantem in obliquo negationem motus, eſt aliquod poſitiuum, & ſenſu percipitur.

Dubitatur, an ſenſibilia communia percipiantur per ſuas ſpecies, an verò per ſpeciem ſenſibilis proprij E.G. dum percipitur aliquod coloratum, an quantitas, cum qua color eſt connexus, percipiatur à potentia viſiua per ſuam propriam ſpeciem, an verò per ſpeciem coloris?

Dico cum Temiſtio, Alberto, alijſque interpretibus Ariſtotelis, & præcipuè græcis, ſenſibilia cōmunia percipi per ſuas proprias ſpecies. Prima ratio eſt, quia dùm ſenſus percipit aliquod ſenſibile commune, E. G. quantitatem, vel patitur ab illa, iſteſt recipit in ſe ſpeciem illius, vel non; ſi primum; ergò percipitur per

per ſuam propriam ſpeciem, ſi ſecundum; ergò non ſunt ſenſibilia per ſe, ſed per accidens, cùm percipiantur per ſpeciem alienam; prętereà dùm ſenſus percipit aliquod coloratum, quandò illud coloratum actu mouetur; vel producit aliquid in oculo, quod non producit, quandò eſt inquiete, vel non producit aliquid; ſi dicas primùm; hoc aliquid eſt ſpecies motus; ſi dicas ſecundum; ergò motus, & quies nihil faciunt ad ſenſationem, quod eſt falſum.

Secunda ratio eſt; ſint duo homines qui aſpiciant aliquod coloratum, vnus aſpiciat tantùm colorem illius; alter verò figuram, in hoc caſu viſio aſpicientis colorem tantùm, & viſio aſpicientis figuram, tantùm, ſunt duæ viſiones omninò diuerſæ; ergò fiunt à diuerſis ſpeciebus, & conſequenter perſpiciuntur per ſuas proprias ſpecies.

Tertia ratio eſt, quia vna imago non poteſt repræſentare duas res ſpecie, vel genere diuerſas, E. G. imago Cæſaris non poteſt repræſentare Bucephalum, & plantam; ſed color, & figura differunt ſpecie; ergò species coloris non poteſt repræſentare figuram; ergo vt percipiatur figura debet percipi per ſuam propriam ſpeciem, aliàs non erit à ſenſu imperceptibilis, quod eſt falſum.

Obijcies ſi ſenſibile commune perciperetur per ſuam propriam ſpeciem, percipi poſſet, etiam ſeparatum à ſenſibile proprio, ſed hoc eſt falſum, quia in tenebris eſt quantitas, & figura, & tamen non videntur; ergo non percipiuntur per ſuas proprias ſpecies.

Reſpondeo negando ſequelã maioris, quia neque ſenſibile proprium, E.G. color percipi poteſt ſine ſenſibile commune E.G. quantitate, ergò negare etiam debetis ſenſibile propriũ percipi poſſe per ſuam propriã ſpeciem; vnum igitur ſenſibile requirit alterũ, vt moueat senſũ, seù percipiatur per ſuã propriã ſpeciẽ.

Quæres an poſſit dari corpus aliquod adeò paruum, vt ſit inſenſibile?

Reſpondeo dupliciter poſſe dici inſenſibile, primò dicitur aliquod inſenſibile, quia nullam habet formam ſenſibilem. Secundo aliquod dicitur inſenſibile, quia licet habeat aliquam

formam, illam tamen habet inſenſibilem, vel ex paruitate, vel altero defectu. Si intelligatur primo modo, non poſſe dari tale inſenſibile. Probatur, quia ſi daretur tale corpus, vel eſſet metaphyſicum, vel naturale phyſicum; Si primum, tale corpus non exiſteret in rerum naturâ, ſed ſolum in imaginatione; ſi ſecundum, ergò eſſet mobile; ſi mobile; ergò haberet qualitates motiuas, quæ non poſſunt eſſe ſine actiuis, quæ qualitates ſunt ſenſibiles tactu; ergò eſſet corpus ſenſibile.

Probatur ſecundo, quia tale corpus, vel eſt ſimplex, vel compoſitum. Si primùm; ergo habet primas qualitates; Si ſecundum; ergò continet elementa; quomodocumque ergò accipiatur, habet formam ſenſibilem, &c. Si verò intelligatur ſecundo modo, dico poſſe dari aliquot corpus, quod habeat tàm exiguam formam ſenſibilem, vt poſſit mouere ſenſum.

Probatur, quia poteſt dari color adeò imperfectus, vt per ſe non poſſit mouere ſenſus; ergo, &c. Probatur antecedens, quia maiorem vim requirit forma ad operandum, quàm ad exiſtendum: operari enim præſupponit eſſe, & perfectior eſt forma, quæ exiſtit per operationem, quàm forma exiſtens tantùm; ergo fieri poteſt quòd exiſtat talis color, & non operetur.

Probatur ſecundò, quia quæcumque ad agendum requirunt determinatam quantitatem; Si verò fuerint ſub minori, non poſſunt agere; ſed omne ſenſibile egit aliqua quantitate determinatâ, vt moueant ſenſuum; ergò niſi habeat talem quantitatem, non poteſt mouere ſenſum.

ARTICVLVS II.

A quonam producatur ſenſatio.

PRima ſententia ait, ſenſationem produci formaliter ab ipſa ſpecie ſenſibili, cùm ſenſatio nihil aliud ſit, quàm receptio ſpeciei in potentia, eſt S. Thomæ ſecundo de anima, Caietani, Zabarellæ, & aliorum.

Prima

Prima eorum ratio eſt, quia Areſtoteles ſecundo de anima text.5. ait: Actiua ſenſationum eſſe extra, qualia ſunt obiecta, ſpeciem imprimentia, & ſentire, ait eſſe quodammodo pati; ergo ſenſatio producitur à ſpeciebus, & obiectis.

Secunda ratio eorum eſt, quia ſpecies ab obiecto in ſenſu producta, debet tribuere aliquem effectum; ſed hic effectus non poteſt eſſe niſi ſenſatio; ergò producit ſenſationem.

Secunda ſententia ait, ſenſationem non produci effectiuè à ſpeciebus, ſed ab ipſa anima, eſt ſimplicij, hic textu 51. aliorumque interpetrum, quorum.

Ratio eſt, quia Ariſtoteles ſecundo de anima text.37. ait animam eſſe principium effectuum generationis, augmentationis, & ſenſationis, & text. 127. ait; odorare non eſt recipere tantùm ſpecies, ſed ipſorum ſentire, vndè, inquit, medium non odorare, licèt recipiat ſpecies odoratas; ergò ſenſatio eſt aliquid aliud præter receptionem ſpecierum, quæ ſenſatio producitur ab anima.

Dico, ſenſationem produci efficientèr, & principalitèr ab anima; inſtrumentalitèr verò ab organo, ſeù ſenſu. & ſpecies requiri tanquam conditiones neceſſarias, vt excitant animam, & determinent eius actionem.

Probatur primò, quia ſenſatio eſt actio vitalis; ergò non poteſt produci effectiuè niſi ab ipſa anima, quæ eſt principium vitæ, propterea dictæ ſunt actiones vitales.

Probatur ſecundò, niſi ſenſatio, E.G. viſio fieret ab anima, ſed à ſpeciebus, vel aliquo alio extrinſeco, dormiens oculis apertis videre poſſet, cùm in ſe recipiat ſpecies; ſed hoc eſt contra experientiam; ergò ſenſatio non producitur niſi ab anima principalitèr, & ab organo inſtrumentalitèr.

Ad rationem primæ ſententiæ reſpondeo, obiecta ab Ariſtotele ibi dici actiua, quatenùs determinant potentias, cùm omne determinatiuum habeat rationem agentis, & determinatum rationem paſſi; non verò quatenùs concurrit ad productionem ſenſationum. Similitèr reſpondetur ad aliam rationem Ariſtotelis, ſentire eſt quodammodo pati; ſi prò ſentire intelligatur recipere in ſe ſpecies, & ab illis determinari concedo: ſi verò intel-

intelligatur producere ſenſationem, eſſe quodammodo pati nego; vnde ſenſus, vt recipit ſpecies, poteſt dici paſſum, quia ab illis determinatur, vt verò producit ſenſationem, dicitur agens, & non paſſum.

Ad ſecundam rationem primæ ſententiæ reſpondeo negando maiorem, quia effectus, quem producit ſpecies in potentia, eſt determinare illam ad producendum ſimùl cùm anima ſenſationem; vnde ſenſatio præſupponit receptionem ſpeciei in potentia, & eſt ab illa realitèr diſtincta, vt docet Ariſtoteles ſecundo de anima text. 140. Vnde infertur, ſenſus non eſſe potentias merè paſſiuas, cùm inſtrumentalitèr concurrant ſimùl cum anima, vt agente principali ad eliciendas proprias ſenſationes, prout determinatur à ſpeciebus intentionalibus.

Quæres primo, quomodò intelligendus eſt Ariſtoteles ſecundo de anima text. 122. & text. 143. vbi ait, ſenſum lædi à vehementi ſenſibile?

Reſpondeo, intelligendum eſſe de læſione reali, & intentionali; Læditur enim ſenſus realitèr à pluribus, & vehementibus ſpeciebus, cùm requirant plures ſpiritus in ſenſu, quàm de facto ſint, qui conſumuntur ab illorum vehementia; læditur etiã intentionalitèr, quia viſus E. G. læditur ex nimia attentione, & imaginatio ex aſſidua operatione, vti fuſiùs explicabimus, agentes de læſione viſus.

Quæres ſecundo, an ſenſus neceſſariò requirat medium ad ſentiendum?

Reſpondeo, Scotus ſecundo de anima, Toletus, Conymbricenſes, multique alij dicunt, non requiri neceſſariò medium ad ſentiendum. Ratio eorum eſt, quia ſenſus aliquando per obiecta ſine vllo medio operari poteſt, viſus E. G. ſi in tenebris oculos digito comprimat fulgor quidam cernitur, qui non poteſt eſſe niſi intra pupillam; auditus percipit ſonum intra ipſum tympanum, & ſic de alijs ſenſibus; ergò ſenſus immediatè percipiunt obiecta ſine vllo medio: Sed illi male dicunt. Ratio eſt quia ſenſus dati ſunt omnibus animalibus, vt vtilia perſequi poſſint, & noxia cauere, ſed ad hoc faciendum omnino neceſſarium eſt medium, ergò ſenſus percipere non poſſunt ſine medio,

maior,

maior eſt certa. minor probatur; quia niſi ſenſus perciperent per medium aliquandò priùs paterentur ab aliquo obiecto noxio, quàm poſſent ipſum vitare.

Ad eorum rationem reſpondeo, negando antecedens, & ad exemplum fulguris dico, ex illa compreſſione, & agitatione humoris in oculo fieri quandam alterationem, producentem ſpeciem repræſentatiuam fulgoris. Poteſt dici etiam quod fulgor ille imperfectus tranſmittatur ex oculis propter talem agitationem, vt contingit etiam in aqua, ex cuius agitatione tranſmittitur aliquis ſplendor. Ad alium locum Ariſtotelis reſpondeo, negando intra tympanum fieri ſonum, cùm ibi alliſio fieri non poſſit: ſonus autem, qui ibi ſentitur, eſt apparens, ad quem determinatur potentia ex aliqua alteratione humoris naturalis, &c.

Dico cum Auerroe ſecundo de animæ, Alberto Magno, Sancto Thoma, & alijs, ſenſus omnes neceſſariò requirere medium ad ſenſiendum.

Probatur primò ex Ariſtotele, qui docet, ſenſibile poſitum ſupra ſenſorium non facere ſenſationem, E.G. coloratum poſitum immediatè ſupra oculum non facere viſionem, & ſecundo de animæ tex. 106. ait: inter organum ſenſus, & ſenſibile ſemper debet eſſe aliquod medium; ergò neceſſario requiritur medium.

Probatur ſecundò, viſus non videt palpebras, ſupra ſe poſitas; tactus non ſentit qualitates tangibiles partium, quæ cum illo ſunt coniunctæ, E.G. oſſis, carnis, &c. ergò ſenſus ad ſentiendum neceſſariò requirit medium.

Quæres, an ſenſus percipiat priuationem proprij obiecti; E.G. an viſus videat tenebras; auditus percipiat ſilentium? &c.

Reſpondeo, ſenſus propriè per ſe poſitiuè non poſſe percipere priuationem ſui obiecti, ſicuti neq; percipiunt ſuam operationem, E.G. viſus non videt priuationem viſionis, quia priuatio nullum habet eſſe propriè, cum ſit non eſſe formæ, non poteſt à ſenſu percipi, licet poſſit dici, quod visus negatiuè, & impropriè percipiat priuationem ſui obiecti, E.G. non videndo

lumen

lumen, dicatur videre tenebras, & auditus non percipiendo vllum ſonum dicatur percipre ſilentium; hic tamen modus percipiendi eſt valdè improprius.

Remanet explicandum, an ſenſus decipiatur circa proprium obiectum, pro qua dubitatione.

ARTICVLVS III.

An ſenſus decipiantur circa proprium obiectum.

PRima ſententia ait, ſenſum nunquam falli, ſed ſemper eſſe verum ità Epicurus, & alij.

Prima ratio huius ſententiæ eſt, quia ſenſus eſt principium omnis veritatis, & ſcientiæ; ergò, nunquam debet falli. Probatur conſequentia, ſi fundamentum tollatur, ruit totum ædificium; & ſi regula fuerit indirecta, totùm opus, quod per illam efficitur, euadit diſtortum; ſed ſenſus eſt regula omnis veritatis; ergò non debet falli, aliter tollitur omnis ſcientia, & veritas.

Secunda ratio eſt, quia ſi ſenſus fallitur. Quis agnoſcit, illum falli? nam illud quod cognoſcit; ſenſum falli vel fallitur, vel non; ſi fallitur, ergò non eſt credendum ei, ſi non fallitur, vndè habet hanc veritatem, ſeu certitudinem? ſi dicas habere à ſenſu; ergò ſenſus nunquam fallitur.

Tertia ratio eſt, quia ſi ſenſus fallitur, à quo corrigitur; non poteſt dici à ratione, & iudicio, quia iſta pendent à ſenſibus, non ab alio ſenſu, quia ſicuti ſunt diuerſæ potentiæ, habent diuerſa obiecta, neque ab eodem ſenſu; quia ſi fallitur, poteſt etiam falli, dum ſe corrigit.

Sed hæc ſententia eſt falsa, primò, quia ſi aliæ potentiæ errare poſſint, & præcipuè, quæ ſunt capaciores, & nobiliores, multò magis ſenſus poſſunt errare, & falli, quia cognitio intellectus prouenit per ſenſum; ergò cognitio falsa fit per ſenſum; ergò ſenſus fallitur, ex cuius falſitate cognitio fallitur.

Secundo, quia omnis potentia, quæ multa requirit in agendo

do, poteſt errare in agendo; ſed ſenſus eſt potentia, quæ requirit multa in agendo;ergò errare poteſt in agendo.

Tertio, quia experientia docet ſenſum falli, viſus E.G. percipit in aqua baculum fractum, qui verè non eſt fractus; ergò ſenſus fallitur.

Dices, ſpecies baculi, exiſtentis in aqua, repræſentat illum, vt repræſentabilis eſt; ergo nulla eſt deceptio.

Reſpondeo, negando conſequentiam, quia ſpecies non repræſentant baculum, vt eſt in ſe, ſed per aquam repræſentant illum aliter ac eſt in ſe, ideſt refractum, ac proinde præbent potentiæ occaſionem errandi. Præterea viſus, & tactus ſæpè ſunt contrarij circa idem obiectum, E.G. circa magnitudinem, & figuram;ergò vel vterque fallitur, vel alter.

Ad primam rationem Epicuri, Reſpondeo negando antecedens, quia principium, & regula veritatis non eſt tantùm ſenſus, ſed etiam lumen naturale intellectus, continens ideam primorum principiorum, & ſenſus dicitur materia veritatis ſecũdum apprehenſionem, non verò ſecundum iudicium. Præterea non ſolus vnus ſenſus eſt regula veritatis, ſed omnes ſimùl cùm iudicio vnius corrigatur iudicium alterius.

Ad ſecundam rationem reſpondeo, intellectum, vel alios ſenſus multis modis cognoſcere, ſenſum falli; intellectus enim lumine naturali cognoſcit ſenſum errare, vel quia per ea, quæ accipit ab alijs ſenſibus, vel per ea, quæ aliás recepit ab eodem ſenſu.

Ad tertiam rationem reſpondeo, ſenſum corrigi à ſe ipſo, vel ab alio ſenſu; a ſe ipſo poteſt corrigi, quia viſus E.G. in iudicio de ſole hoc modo se corrigit. Corpus lucidum quantò minus eſt, tantò minùs illuminare poteſt; & è contra quantò maius eſt, tanto magis illuminat totum corpus ſphæricum;ergò eſt maximum lumen in eo; ab alio ſenſu corrigitur, vt E.G. dùm viſus fallitur, iudicando de obiecto alterius ſenſus, ita vt quando videt album, iudicat eſſe dulce, corrigitur à guſtu, & etiam ratione.

Secunda ſententia eſt, Academicorum, qui dicunt, ſenſus nũquam eſſe certos, ſed ſemper fallentes, quæ ſententia viguit

Digitized by Google

tempore Ciceronis. Ratio eius eſt, quia ſi ſenſus ſemel fallunt, nunquam eſt eis credendum; ſed ſępiſſimè fallunt ergò non eſt eis credendum; ſed iſta ſententia eſt multò magis falſa, quia tollit omnem ſcientiam, omniaque principia.

Ad cuius rationem reſpondeo, negando maiorem: ad minorem dico, ſenſus facillimè decipi, dùm deſunt requiſita neceſſaria, dũ verò adſunt, non decipitur, vt paulò inferiùs dicemus.

Tertia ſententia eſt Ariſtotelis, & communis Peripateticorum, qui dicunt, ſenſus partim decipi, partim non decipi; hanc ſententiam Peripatetici diuersò modo explicant; quidam enim eam explicant, dicendo ſenſus non decipi circa obiectum proprium in communi, poſſe tamen decipi circa obiectum in particulari, E. G. viſus non decipitur an corpus ſit coloratum, vel non, ſed decipitur, an hoc ſit album, vel nigrum.

Quidam alij explicant, dicendo ſenſus non decipi circa proprium obiectum, dummodo adſint aliquæ conditiones requiſitæ.

Pro intelligentia ſententiæ Ariſtotelis ſciendum eſt; vt ſenſus rectè ſentiat multa requiri, quorum, quædam ſe tenent ex parte ſenſus, quædam ex parte medij, & quædam ex parte obiecti, ex parte ſenſus ſeù potentiæ, vt benè ſentiat duo requiruntur, primum, vt organum ſit benè conſtitutum, E.G. in viſu duplex eſt organum videndi, vnum in quo recipiuntur ſpecies, repræſentantes obiectum, vt ſunt humores, & alterum eſt ſpiritus viſorius: primum organum debet eſſe purum læuè, & mundum ab omni macula, & colore; ſecundum organum, ideſt ſpiritus viſorius non debet eſſe nimis craſſus, neque nimis tenuis; vtrumque enim reddit vitioſam functionem huius facultatis.

Alterum, quod ex parte ſenſus requiritur eſt attentio ad obiectum, quod proponitur, vndè ex defectu huius attentionis ſæpè accidit, vt vel non iudicamus, quæ ante oculos poſita ſunt, vel certè non rectè iudicamus.

Ex parte medij tria requiruntur primum eſt, vt medium ſit pellucidum, & diaphanum. Secundum, vt ſit illuminatum. Tertium vt non ſit aliquo colore tinctũ; hinc enim oritur, vt quę videmus per feneſtras vitreas rubras E.G. videantur rubra. Ex

parte

parte obiecti duo requirũtur, vnũ eſt debita diſtantia, quia obiectum nimis remotum, vel propinquum impedit potentiam, vt benè ſentiat; alterum eſt debitus ſitus, quia non ex quolibet ſitu obiectum poteſt benè ſentiri.

His breuiter explicatis. Dico, ſententiam Ariſtotelis intelligendam eſſe iuxta hanc explicationem, quod nimirùm poſitis conditionibus requiſitis ſenſus falli non poſſit; ablatis verò decipi poſſit, in quo ſenſu hæc ſententia eſt vera, & probatur experientia: ex defectu enim cuiuſcumque conditionis, ex ſuperiùs dictis ſenſus aliter percipit res, ac ſunt in ſe; ergò poſitis debitis requiſitis, ſenſus falli non poteſt, & aliquo ex illis ablato decipi poteſt.

DISPVTATIO II.

De Senſu viſus.

POST explicationem ſenſuum in communi ſequitur explicatio ſenſuum in particulari, & quia ſenſus viſus inter alios primum locum obtinet, ideò eum priùs explicabimus.

QVAESTIO I.

De Natura oculi, & modo videndi.

ARTICVLVS I.

De Natura oculi.

MVlti ex antiquis Philoſophis dixerunt, oculum eſſe naturâ igneum. Prima eorum ratio eſt, quia dùm aliquis ſuum oculum premit, ſeu comprimit emittit ſplendorem,

& lumen; ſed ſplendor, & lumen eſt effectus ignis, vel alterius principij; ergò oculus eſt naturâ igneus.

Secunda ratio eſt, quia oculi multorum animalium lucent, & emicant, vt E.G. oculi leonis, ſerpentum, muſtelarum piſcium, aliorumq; multorum animalium; ergò oculus eſt naturâ igneus, & dùm efficit viſionem, emittit ignem, & lumen.

Ariſtoteles libro de ſenſu, & ſenſili cap. ſecundo docet, oculum eſſe aqueum, quod tribus rationibus probat; prima, quia omnes humores oculi aquei ſunt, & cùm ſecatur oculus, effluit magna copia aquæ, ergò eſt natura aqueus.

Secunda ratio eſt, quia qui recenter nati ſunt, habent pupillam oculi valdè emicantem; præterea oculus, vt illuminare, & repræſentare poſſit, debet eſſe aliquod perſpicuum, quale eſt aqueum; ergò oculus eſt naturâ aqueus.

Tertia, quia oculi ſplendent; ergò ſunt aquei, quia omne ſplendens, vel eſt igneum, vel aereũ, vel terreum, vel aqueũ; non poteſt dici quod oculi ſint ignei, quia cùm ſint propè cerebrum, quod eſt humidum, & frigidum, ignis ab illo corrumperetur, neque aerei, quia aer tranſmittit ſpecies, & non repræſentat; oculi verò illas repræſentant; ergò non poſſunt eſſe aerei, neque poſſunt eſſe terrei, quia cum terra ſit opaca, oculi non poſſent eſſe pellucidi, ergò ſunt aquei.

Dico contra antiquos, oculum non eſſe natura igneum.

Probatur primo ex Ariſtotele, qui loco ſupra citato ait: antiquos deceptos fuiſſe; cauſa autem, cur oculus emittat ſplendorem in tenebris, non eſt, quia eſt igneus, ſed quia eſt læuis, & politus; corpora autem læuia in tenebris fulgent, vt ſunt corpora criſtallina, aliaque ſimilia.

Probatur ſecundò, quia ſi oculus eſſet naturâ igneus, neceſſariò deberet etiam eſſe ſiccus, ſi eſſet ſiccus, ab illa ſiccitate abſumeretur omnis humiditas in oculo; ſed hoc eſt contra experientiam, quia quotidiè humidi humores ab oculo videntur fluere; ergò oculus non poteſt eſſe naturâ igneus.

Ad primam rationem antiquorum reſpondeo, ſplendorem ab oculo emiſſum ob compreſſionem eiuſdem oculi prouenire ex ſpiritibus, qui ob compreſſionem oculi ad illam partem repel-

pelluntur, & talis ſplendor ſpirituum non ſolùm prouenit ex compreſſione oculi, eiuſdemque percuſſione, vt aliquando contingere ſolet, ſed etiam dùm aliquis repentè ex ſomno expergiſcitur, præcipuè qui habet ſpiritus viſorios multos, & viuidos, ideſt lucidos, apertis oculis videt totum cubiculum luminoſum omniaq; in illo contenta, qui tamen ſplendor ſtatim euaneſcit; talis igitur ſplendor non arguit ignem, neque principium igneũ quia vbicumque eſſet ſplendor, indicaret principium igneum; quod eſt falsũ; cincidellæ enim piſcium capita, & ſquamæ, fungi, cornua multorum animalium, multaque alia lucent, & tamen non ſunt ignis, neque ignem ferunt, neque igneum principium indicant.

Ad ſecundam rationem reſpondeo, quod oculi illorum animaliũ lucent, non quia natura ignei ſunt, ſed quia humor chriſtalinus in oculis illorum eſt nimis leuis, & politus, quæ tamen lux, vel ſplendor non videtur in iſtis animalibus; niſi dùm mouent oculum, quia tunc vna pars ſecundum ſitum ſeparatur ab alia. Præterea ſi ab oculis illorum animalium emitteretur lumen; illuminaretur totum medium, quo illuminato viderentur etiã ipſa animalia, & aliæ res, ibi exiſtẽtes, ſed non ſolùm nõ videntur illa animalia, & res ibi propè exiſtentes, ſed neque partes propinquiores oculo, ergò nullum luminoſum ab oculis illorum animalium exire poteſt.

ARTICVLVS I.

De modo videndi, ſeù quomodo fiat viſio.

PRima ſententia ait, viſionem fieri per egreſſionem alicuius rei ab oculo per quod videmus. Hæc ſententia eſt Empedoclis, Platonis in Timeo, Galeni libro de placitis, Democriti, & aliorum.

Auctores huius ſententiæ diſcrepant inter ſe, cùm non conueniãt in eo, quod ab oculis egreditur, Empedocles enim cũ multis alijs dicebat, ab oculo exire aliquod corpus luminoſũ, quod

terminans ad obiectū, facit, vt nos videamus illud, ſeù rem illam ad quam terminatur.

Plato in Timæo cum multis alijs dicit, ab oculo egredi ignē, ſeù aliquod lumen, quod non peruenit vſque ad rem viſibilem, ſed ſolùm vſque ad aliquam partem medij, ideſt aeris illuminati; ibique coniungens ſe cum illo lumine externo, & ab illo accipiens qualitates rei, illas defert ad oculos: hoc autem lumen, inquit, in tenebris extinguitur, ex eo, quod non inueniat aerem luminoſum.

Galenus libro ſeptimo de placitis, multique alij fatentur, ab oculo egredi ſpiritum viſorium, & per aerem peruenire vſque ad rem viſam, in quam rem incidendo viſionem efficere, ideòq; inſtrumentum videndi, inquiunt, non eſſe ſolùm oculum, ſed etiam totùm medium illuminatum, licet Galenus in decimo de vſu partium videatur adhærere ſententiæ Platonis; ſunt multi alij modi axplicandi, tùm Peripateticorum, tùm aliorum Philoſophorum, qui ad iſtos tres modos allatos reduci poſſunt.

Sed hæc ſententia eſt falſa, & ſic impugnatur.

Primò modus explicandi Empedoclis, ſeù ipſe Empedocles; ſi viſio fieret per emiſionem luminis ab oculo ad obiectū, oculus languiret, dùm videremus cælum E. G. cum multum luminis illius prodiret, ſed hoc eſt contra experientiam; ergò viſio non fit per egreſſionē luminis, vt volebat Empedocles. Præterea abſurdum videtur dicere, quod dum videmus Cœlum ex oculo radij prodire poſſint vſq; ad octauam ſphæram.

Impugnatur ſecùndò, non poteſt aſſignari, quomodò flante magno vento non diſſipentur iſta corpora luminoſa, cum ſint tenuiſſima; præterea viſio deberet fieri in tempore, cùm iſta corpora luminosa non poſſint moueri in iſtanti, & quo res viſibilis remotior eſt ab oculo, eò tardiùs; & quo propinquior, citiùs videretur, cum tardiùs, vel citiùs perueniret ad rem viſibilem, quod eſt contra experientiam; ergò viſio non fit per egreſſionem alicuius luminoſi ab oculo.

Impugnatur tertiò, quia ſi viſio fieret per egreſſionem luminis ab oculo, videre poſſemus etiam noctu præcipuè dum multi homines eandem rem ſimul aſpiciunt, cùm tunc multum luminis

minis eſſet per aerem effuſum; ſed hoc eſt contra experientiam; ergò viſio non fit per egreſſionem corporis luminoſi ab oculo.

Impugnatur Plato. Si viſio fieret per egreſſionem ignis ab oculo; non videremus niſi ſurſum, cùm ignis ſemper tendat ſurſum, itaque nullus deorſum videre poſſet; ſed hoc eſt falſum; ergò &c. præterea ſi viſio fieret per egreſſionem ignis ab oculo, non poſſemus per aquam videre, cùm ignis per aquam extinguatur; ergò non poteſt fieri per egreſſionem ignis.

Impugnatur ſecundò idem Plato, quia ad quem vſum eſt emiſſio ignis, ſeù luminis ab oculo, & coniunctio, quæ fit in aere duorum illorum luminum, nempè oculi, & obiecti, dicent Platonici, id fieri, vt lumen oculi accipiat qualitatem obiecti, & referat vſque ad oculum.

Sed contra eſt, quia ſi illa qualitas rei, ſeù ſpecies obiecti poterit peruenire vſque ad medium aerem, cur non vſque ad pupillas; ergò fruſtra datur iſta egreſſio ignis, ſeù luminis ab oculo. Præterea neque ipſi aduerſarij explicare poſſunt, quo modò lumen ab oculo exiens, eat, atque redeat, ergò falsa eſt opinio Platonis.

Impugnatur Galenus, eiuſque modus explicandi, quia ſpiritus viſorius non poteſt ſeparari à calore natiuo; ergò dum videmus, vel non exit ſpiritus, vel exit etiam calor natiuus, quod eſt falſum, quia ſequeretur, quod dum videmus, oculi magnopere frigeſierent per egreſſionem caloris, & ſpirituum, quod eſt contra experientiam; præterea ſpiritus viſorius, vel eſt facultas videndi; vel ipſi ſpiritus animales; ſi dicas primum; ergò non poteſt exire ab oculo, cùm facultas non poſſit ab anima ſeparari. Si dicas ſecundum, ſpiritus animales, cùm ſint aliquod corpus tenue, per medium euaneſcerent, ergò viſio non fit per egreſſionem ſpirituum.

Secunda ſententia eſt Ariſtotelis, qui ait: viſionem fieri in oculo, ſuſcipiendo in ſe qualitatem quandam miſſam ab obiecto in aerem luminoſum, quæ diffunditur per aerem luminoſum vſque ad pupillam, & hæc qualitas concurrit ad viſionem, vel repræſentando obiectum, vel diſponendo oculum ad viſionem.

Ratio huius ſententiæ eſt, quia viſio, ſeù oculus eſt indifferens ad

ad videndum potiùs vnum, quam alterum; ergò debet determinari ab aliquo, vt videat potiùs unum, quam alterum; ſed hoc determinatiuum oculi nihil eſt aliud, quàm ſpecies ab obiecto miſſæ; ergò viſio fit per ſuſceptionem alicuius, non vero per egreſſionem ab oculo.

Secunda ratio eſt, quia omnes aliæ potentiæ percipiunt patiendo ab obiecto; ergò etiam oculus per illam receptionem ſpeciei in ſe efficit uiſionem, ut ſuperius probauimus; ergò uiſio non fit per extramiſſionem, ſed per intraſuſceptionem.

Colligitur ex dictis, ſententiam Ariſtotelis eſſe probabiliorem, quàm antiquorum, cùm eius rationes uideantur efficaciores.

Dices, quandò uolumus bene cernere, comprimimus oculos, ſi uiſio fieret per receptionem ſpecierum in oculo, deberemus potiùs dilatare oculum, quàm comprimere; ergo uiſio fit per egreſſionem alicuius, non uero per receptionem.

Reſpondeo, non comprimimus oculum, ut aliquod emittamus, ſed vt magis uniantur ſpiritus viſorij, vt melius percipiant id quod repræſentatur, quod fuſiùs infra explicabimus.

Obijciunt Aduerſarij ſic; ſunt nònnulli, qui melius vident res diſtantes, quàm propinquas, vt ſunt ſenes E.G. qui vident res à longè poſitas, propinquas verò non benè vident, cuius rei non poteſt reddi vlla ratio; ſi dicatur, viſionem fieri per intraſuſceptionem, deberet enim contingere omnino oppoſitum, cùm obiectum propinquum magis moueat ſenſum, quàm diſtans; ergò dicendum eſt, viſionem fieri per extramiſſionem.

Dupliciter reſponderi poteſt huic obiectioni, vno modo iuxta doctrinam Galeni, altero iuxta doctrinam Ariſtotelis. Galenus, inquit, ſpiritus viſorij in animali, vel ſunt multi, tenues, & puri, vel pauci, & tenues, vel ſunt pauci, & craſſi, vel multi, & craſſi: ſi ſpiritus viſorij ſint multi, & puri, vident benè res diſtantes, & rectè vident etiam propinquas, vt patet in pluribus animalibus Vulture, Aquila, Lupo, & alijs, quæ ideò perfectè vident remota, & propinqua, quia habent ſpiritus copioſos, lucidos, & tenues, vnde propter multitudinem, & tenuitatem ſpirituum

ritutum benè vident remota propter eorum tenuitatem, & lucidicatem rectè vident propinqua. Si verò ſpiritus ſint pauci, & tenues, meliùs videt propinqua, quàm remota, ſeù à longè, ratio autem iſtius rei eſt, quia pauci ſpiritus, longiùs progredi nō poſſunt, cum per longuam viam antequam perueniant ad terminum diſſipentur, ſed quia ſunt tenues, facilè propinqua tuetur. Vndè illi, qui vident ſolùm propinqua benè, & non remota ob tenuitatem, & paucitatem ſpirituum, meritò oculos conſtringunt, vt ſpiritus ipſi, qui ſunt pauci, congregentur, & non diſſipentur per latitudinem meatuum, &c.

Si ſpiritus viſorij ſint pauci, & craſſi, non benè vident res diſtantes, ſed nequè benè res propinquas; Ratio eſt, quia ſpiritus craſſi multo ſpatio opus habent, vt extenuentur, & conſequenter, vt benè videant: vndè propter paucitatem à longè videre non poſſunt, & propter craſſitudinem ſpirituum, neque propinqua benè vident.

Si ſpiritus viſorij ſint multi, & craſſi, vident res diſtantes benè, non verò propinquas. Ratio eſt, quia propter multitudinem lōgè progredi poſſunt, & quia per viam attenuantur, benè videre poſſunt à longè; ſed quia iſti ſpiritus ſunt craſſi, propinqua non benè vident; huiuſmodi ſpiritus reperiuntur in ſenibus, qui vident meliùs res diſtantes, quàm propinquas; propterea, vt benè uideant, remouent rem viſibilem ab oculo: unde habentes multos ſpiritus, ſed obſcuros, & tenebroſos, interdiù benè uident; noctu verò malè.

Ratio eſt, quia luce diurna ſpiritus eorum attenuantur, atque adiuuantur; propterea meliùs interdiù vident, noctu verò ſolis luce priuati, vel nihil, vel obſcuriſſimè vident. Quidam verò noctu magis vident, minùs in die. Ratio eſt, quia ſpiritus viſorij eorum ualdè ſubtiles ſunt; ità ut à luce diurna diſſipentur, atque minuantur; noctu autem collecti magis operari poſſunt; ideoque meliùs noctù, quàm interdiù vident: quidquid dixi de viſione commune eſt omnibus animalibus.

Quæritur, vndè cognoſci poſſit, an defectus ſupradictarum viſionum proueniat à craſſitudine, vel paucitate ſpirituum, an ex defectu obiecti vel alterius rei?

Reſpondeo, iuxta doctrinam Galeni, cognoſci poſſe per hoc quod, ſi defectus videndi corrigatur officio inſtrumentorum, quę ocularia dicuntur, talis defectus prouenit à craſſitudine, vel paucitate ſpirituum; ſi verò non corrigatur, non prouenit à defectu ſpirituum, ſed humoris criſtallini, vel alterius humoris, vel ex aliquo alio impedimento.

Ratio enim eſt, quia, qui vtuntur ocularibus, vt meliùs videăt hoc faciunt, vel vt propinqua, vel remota, vel ſimul propinqua, & remota meliùs videant: inuenta enim ſunt ocularia, vt defectum ſpirituum corrigant.

Dubium ſolummodò eſt, quomodò, hoc ocularia præſtare poſſint, pro quo.

Sciendum eſt, videntes remota benè, & non propinqua, habere ſpiritus multos, ſed craſſos, qui longitudine ſpatij attenuantur, quibus attenuatis, faciunt, vt benè videant remota: ocularia ergò, cum attenuent ſpiritus, faciunt, vt benè videantur tàm remota, quàm propinqua.

Sed adhuc dubitatur quomò ocularia ſpiritus attenuare poſſint?

Reſpondeo, vitrum ex natura ſua habet poros, & anguſtiſſimos meatus, ex quibus, cùm ſpiritus pertranſeant attenuantur; quod vitrum habeat tales meatus patet, quia ſi Phialæ vitreæ, aqua plenæ, affricentur corticæ citri, odor ità penetrat, vt inficiat aquam in ea incluſam; ergò vitrum habet poros, per quos tranſit, & penetrat odor.

Illi, qui propinqua folùm benè vident, & non remota, ocularia præſtant videre etiam remota, quia congregant ſpiritus, & faciunt ne euaneſcant, qui ſpiritus congregati longiùs feruntur, ideòque faciunt vt benè videant etiam remota.

Prætereà hæc ocularia debent eſſe concauiora, & lucidiora alijs; illi verò, qui neque propinqua, neque remota benè vident, propter craſſitudinem, & paucitatem ſpirituum. Ocularia præſtant meliùs videre tàm remota, quàm propinqua, quia extenuando, craſſitudinē ſpirituum faciũt, vt bene videant propinqua, & eoſdem ſpiritus congregando, modo ſuperiùs dicto faciunt vt benè videant, etiam remota; hic vſque dicta ſunt iuxta

do-

doctrinam Galeni,quæ tamen obſtat noſtris principiis iuxta doctrinam Ariſtotelis.

Pro reſponſione igitur iuxta noſtra principia, ſciendum eſt, humorem cryſtallinum in omnibus hominibus nõ eſſe eiuſdem figuræ; neque in omnibus ætatibus, cum in quibuſdam magis, in quibuſdam minus ſphæricus, & rotundus ſit in quibuſdam nimis craſſus in quibuſdam nimis tenuis.

Illi igitur, qui habent humorem cryſtallinum nimis craſſum, & rotundum, non vident bene niſi propinqua, qui humor cryſtallinus corrigitur; ideſt attenuatur ocularibus, qui attennatus facit, ut bene videant etiam remota, illi verò, qui habent humorem cryſtallinum nimis tenuem, vt ſunt ſenes quorum humor cryſtallinus ob ætatẽ exſiccatur, eiuſq; craſſitudine imminuta, meliùs uident remota,cuius defectus corrigitur perſpicilijs lenticularibus, & craſſis, quæ per ſuam craſſitiem craſſiorem reddunt cryſtallinum,ideòque meliùs videat etiam propinqua; vnde ad obiectionem.

Reſpondeo, quidam melius uident remota, ut ſenes;quidam propinqua, vt miopes, ob defectum humoris cryſtallini concedo; ob defectum ſpirituum, quos, dicunt Aduerſarij, egredi ad faciendam viſionem, nego; uiſio igitur non fit per extramiſſionem vt volunt Aduerſarij in obiectione, ſed per intra ſuſceptionem.

Quæres, cur decrepiti, ideſt, qui nimis ſeneſcunt, benè videant,tàm remota,quàm proxima ſine perſpiciliis?

Reſpondeo,quia in iſtis decrepitis propter magnam ariditatem conſtringitur humor cryſtallinus ſecundum latitudinem, ità vt reddat in præcedenti figura, ideo ſine perſpicilijs benè vident, vt articulo ſequenti agentes de humoribus multa de hac re dicemus.

Obijcies ſecundò, ſunt multæ experientiæ,quæ probãt egreſſionem luminis, ſeu ſpiritus illuminoſi ab oculo ad obiectum; ergò viſio fit per extramiſſionem, non verò per intraſuſceptionem.

Prima experientia eſt,quia multæ vetulæ per ſolam viſionem pueros faſcinant. Secunda eſt, quia Baſiliſcus per ſolam viſionem

nem necat homines. Tertia, quia lupus prius videns hominem reddit eum raucum. Quarta, mulieres menſtrua habentes, ſi videant ſpecula, ea inficiunt. Quinta, quia ſtruthio, camelus per ſuam ſolam viſionem oua fouet pullos extrudit. Sextò, bufo, ſuo aſpectu trahit ad ſe muſtellam longè diſtantem; ergò, &c.

Reſpondeo; iſtæ & aliæ ſimiles experientiæ non faciunt contra nos: probant enim ſolum ab oculo mitti quaſdam qualitates noxias, ratione quarum offendunt ſuum obiectum, non tamen quòd fiat viſio per egreſſionem alicuius rei; pro intelligẽtia tamen illarum prauarum qualitatum, explicandæ nobis ſunt ſingulæ experientiæ. Ad primam igitur experientiam, in quibus vetulis reperiuntur quidam praui humores, geniti ex prauo alimento, atque prauo earum temperamento, ob quos humores rabioſæ & inuidæ euadunt, ex quibus humoribus generantur quidam ſpiritus venenoſi, quos, dùm vident pueros, offundunt per aerem ad obiectum viſum, ex quibus ſpiritibus faſcinantur pueri, & præcipuè inter pueros venuſtiores, cum iſtos frequentius, & diutiùs aſpiciant; vnde tales ſpiritus non ſolum reperiuntur in vetulis, ſed etiam in multis hominibus, vt experientia docet, qui per eorum aſpectum pulcherrimum equum, vel aliquod aliud faſcinare ſolent.

Quæres, cur iſti ſpiritus exeant ab oculis, & non ex ore, ſeu alia parte corporis?

Reſpondeo, quia tales Vetulæ, & homines, cùm diutiùs occupentur in re videnda, facilè illi ſpiritus euocantur ad oculos.

Ad ſecundam experientiam dico, Baſiliſcum eodem modo interficere homines, effundendo ſpiritus venenatos ad homines, qui ſpiritus in illo animali generantur ex prauis humoribus, licet id quod dicitur de Baſiliſco putant aliqui, eſſe fabuloſum; quidquid tamen ſit, an hoc ſit verum, vel fabuloſum; quidam prætereà addunt, quòd ſi Baſiliſcus aſpiciet aquam, venenati illi ſpiritus reuerberant, eùmque interficiunt; ſimile dicitur de illo Iuuene formoſo, qui, cùm ſe in fonte inſpiceret, propter malignas qualitates ab eius oculis in fontem emiſſas, &

ad

ad ſe reflexas, repentè deformis factus fuit.

Ad tertiam experientiam ſimiliter dico, ex oculis lupi exire qualitatem quandam, quæ in aſpiciente raucedinem inducit, ſed.

Quæres, cur ſi priùs lupus videatur ab homine, non inducit raucedinem; ſi verò videatur prius homo à lupo, raucus redditur?

Reſpondeo, rationem huius rei eſſe, quia, dùm lupus priùs videt homines, ſeu venatorem, emittit illas qualitates, noxias, vt eum offendat, ex quibus homo raucus euadit; Dum verò lupus priùs videtur ab homine, timet, fugam, & defenſionem, meditatur, ac proindè non poteſt excitare qualitates illas noxias ad homines emittendas.

Ad quartam experientiam dico, mulierem habentem menſtrua, & præcipuè illæ in quibus ſanguis menſtruus eſt malè affectus, & ferè venenatus emittunt ab oculis quoſdam vapores, quibus ſpeculum inficitur.

Ad quintam experientiam dico, ex oculis Struthio, Camelis, prouenire quoſdam calidiſſimos ſpiritus, qui tantam, & talem habent vim caloris, vt oua fouere poſſint, pulloſque exire faciant.

Ad ſextam experientiam dico, Bufonem ab oculis emittere quandam qualitatem adeo venenoſam, ut per eam ad ſe attrahere videatur muſtellam?

Sed quæres, cur per iſtam qualitatem non attrahat aliud animal, ſed ſolum muſtellam?

Reſpondeo, quia cum illa habeat antypathiam, & non cum alijs quod patet, cum multis alijs ſympathiam, & antipathiam habentibus, E.G. in magnete, fugiente ferrum, & trahente aurum, & argentum; in Eliotropio qui circumuoluitur ſecundùm motum ſolis in ſelinotropio, qui à luna circumagitur, in Remora piſce, quæ retardat nauim: in torpedine piſce, quæ obſtupefacit brachium piſcatoris, in cadauere occiſi, quod effundit ſanguinem præſente occiſore, in tympano cuius vna pars fit ex corio agnino, altera ex corio lupino; dùm pulſatur corium lupi, ſi pulſetur coirum agninum, vel nullum, vel exiguum

ſonum reddit, ſimile patet in illis, qui à Tarantula Tarêtina ſunt infecti, qui non curantur niſi aſſidua ſaltatione ad certos tibiæ ſonos &c.

ARTICVLVS III.

De Partibus oculum componentibus.

PArtes oculum componentes, ſeù inſtrumentum viſus ſunt variæ, nempè tunicæ humores nerui optici muſculi, ſpiritus viſorij multaque alia, de quibus ſingulis dicemus.

Tunicæ oculorum ſunt membranæ, quæ oculos conſtituunt. Membrana eſt quædam pellicula alba, lata, tenuis, denſa, cuius, officium eſt aliàs partes inuoluere, ſeù continere; Tunicæ oculorum ſex communiter aſſignari ſolent nempè, coniunctiua cornea, vuea, aranea, retiformis, & vitrea. Membrana coniunctiua, ſeu adnata eſt illa exterior alba ex pericranio nata, totum oculum vſque ad partem Iridis veſtiens, iridem, ſeù partem illam oculi in qua eſt pupilla, non ambit.

Tunica cornea eſt membrana perſpicua, pellucida, omnis coloris expers, quæ oriens ex dura matre, circumcingit globum oculi à parte anteriori, qua apparet Iris, vt cornu lucida; poſterior eius pars eſt valde dura, quam partem, quidam putant eſſe membranam diſtinctam ab alijs, hæc membrana facta eſt à natura perſpicua, vt per eam ſpecies rerum viſibilium, facilè pertranſire poſſint, & expers omnis coloris, vt ſpecies rerum viſibilium pure ſine vllo colore permeaat, & etiam vt contineat humorem aqueū, ne influat, & vt pupilla liberè dilatetur, & reſtringatur.

Tunica vuea eſt ſub cornea, quæ procedens ex pia matre in concaua ſua ſuperficie nigra, multis coloribus variegata, iridem conſtituit. Iris eſt ille circulus, diuerſis coloribus variegatus, in vuea tunica inhærentibus, qui pupillam ambit.

Pupilla eſt foramen in medio vueæ, quod foramen videtur nigrum, quia per illum apparet humor aqueus, & criſtallinus, qui

qui tanquam ſpecula in ſe repræſentat colorem nigrum in ſuperficie vueæ, in qua iſti humores inuoluuntur.

Tunica aranea eſt telis araneorum ſimilis, quæ a parte anteriori inueſtiens humorem cryſtallinum in ſe continet. Retiformis eſt membrana rarior ferè reti perſimilis, quæ a neruo optico originem ducens protenditur vſque ad partem vueæ.

Vitrea eſt, quæ vitreum humorem in ſe continens retro cryſtallinum humorem inhæret.

Tres ſunt humores oculorum, nempè aqueus, cryſtallinus, & vitreus.

Aqueus eſt humor albugineus albumini ouorum crudorum perſimilis, tenuiſſimus, ac lucidiſſimus, in anteriori parte oculi poſitus: hic humor factus eſt à natura ad conſeruandas tunicas oculorum humidas, & totum oculum illuſtrandum, atque diſtenſum detinendum.

Cryſtallinus eſt humor ſolidus puriſſimus, maximè lucidus, ac perſpicuus ad inſtar cryſtalli; vnde ſortitus eſt denominationem cryſtalli, & propter ſuam perſpicuitatem à quibuſdam dicitur eſſe adinſtar adamantis: hic humor in medio oculi exiſtens, ſpecies rerum viſibilium in ſe recipit.

Vitreus eſt humor lucidus, vitro fuſo ſimilis poſt cryſtallinū qui humor præbet alimentum humori cryſtallino: omnes iſti tres humores, cum ſint ſolidi impropriè dicuntur humores; & præcipuè cryſtallinus, cum ſit aliis ſolidior.

Muſculi in vnoquoque oculo ſex reperiuntur. Primus dicitur attollens, ſecundus dicitur deprimens, tertius reducens; qui oculum versus minorem, ſeù interiorem angulum adducit maior ſeu interior angulus dicitur ille, qui terminatur verſus naſum angulus minor, ſeù exterior terminatur ad tempora: Quartus dicitur adducens, qui oculum versus minorem, ſeù exteriorem angulum adducit. Quintus, & ſextus dicuntur circumagentes qui oculum in circulum mouent; vnde motus oculorum quinque ſunt, ſursùm, deorsùm, ad dextram, ad ſiniſtram, & circularis.

Nerui oculorum ſunt duo dicti nerui optici, qui à capite prouenientes iuxta ſellam ſphenoidem in vnum coeunt, & inde-

nqua-

de uaricati, qui dexter erat ad dexterum; & qui ſiniſter ad ſiniſtrum, efformantes litteram X. vel dexter ad ſiniſtrum, & ſiniſter ad dexterum oculum terminantes à cerebro ſpiritus viſorios ad oculos deferunt; iſti nerui terminantur ad oculos iuxta angulos maiores, ideſt ad partem oculi verſus nares. ſpiritus viſorij ſunt ſpiritus animales, qui à cerebro ad oculos transferuntur viſionis gratia. A cerebro proueniunt duo alij nerui qui terminantur ad muſculos oculorum, & palpebrarum, in quos diſtribuunt multos ramulos, motum, & ſenſum efficiendi gratia.

Dices; cùr iſti duo nerui optici in media via, ideſt in fronte coniungantur interse?

Reſpõdeo, hoc fecit natura propter duas rationes. Prima, quia occluſo vno oculo ſpiritus viſorij poſſint facilè, & citò ad alium oculum transferri ad efficiendam viſionem. Secundo ad maiorem firmitatem, & robur eorundem neruorum.

Notanda ſunt quædam de pupilla.

Pupilla conſtringitur, & dilatatur, conſtringitur in luminoſo, & dilatatur in obſcuro; Si enim aliquis aſpiciat ad lumen, ſtatim pupilla conſtringitur; ſi vero aspiciat aliquod tenebroſum, dilatatur; ſimiliter in aſpiciendo album conſtringitur, & in aspiciendo nigrum dilatatur. Ratio eſt, quia natura oculi à nimio ſplendore abhorrens, intra oculum tantum luminis admittere non permittit; à nimio enim lumine ſenſorium lęditur. propterea dùm nimis aspicimus luminoſum, vel aliquid nimis albũ natura iſtam feneſtram claudit; in minori verò lumine dilatat vt tantum luminis ingrediatur, quantum ſufficit ad viſionem.

Dices; ergò album, malè definitur disgregatiuum visus, cum potiùs aggreget, quam disgreget viſionem.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia in definitione albi disgregatio accipitur pro læſione, alitèr non poteſt ſaluari illa definitio albi.

Quæres, cur ex nimia attentione oculorum, ſeù viſionis organum visus lædatur?

Reſpondeo, quia tunc tunica vuea ad dilatationem pupillæ dilatatur & ipsa; ad nimiam enim attentionem viſionis con-

curtit

currit multitudo ſpirituum, quibus illa membrana incaleſcit & conſequenter non ita facilè aſſurgere poteſt, & pupillam cõſtringere; vnde cùm aliquis diutiùs in tenebris mánens, ſi ſtatim ad lucem accedat, magnæ læſionis periculo ſe exponit, quia in illa continuata mora tenebrarum pupilla dilatata manens, accedente illo ad lucem, cum ſubito conſtringi non poſſit, multum luminis ingreditur in oculum, quo lumine læditur organum viſus, & è contra, dum ex luminoſo loco quis accedit ad tenebroſum, cum ſtatim pupillam dilatare non poſſit, magnam moleſtiam percipit. Dioniſius Siciliæ Tyranus conſueuit, homines dilatatione pupillæ obcæcare; nam prope tenebroſiſſimum carcerem cubiculum quoddam calce illitum, maximèque lucidum, ac ſplendens conſtruxit, ad quod homines ab obſcuriſſimo carcere deducti obcæcabantur. Duæ ſunt rationes, ob quas obcæcabantur. Prima eſt ex diuturna mora in tenebris pupilla ità dilatata manſit, vt quodammodo callum induxerat, & ad lumẽ accedens, ſtatim conſtringi nequeat, dilatata remanet, vnde ingreditur multum luminis, quod calefaciendo, & exſiccando, cõſtitutionem oculi deſtruit. Secunda ratio eſt nimius conatus, quo natura conatur pupillam conſtringere, in quo conatu rumpuntur ligamenta partium, vnde humores inter ſe confunduntur, & cæcitas oritur.

Sciendum prætereà eſt in quibuſdam animalibus pupillam maiorem, & in quibuſdam minorem eſſe; animalia pupillam maiorem habentia plura ſimul ſingulis oculis vident, eaque maiora illis apparent, ideoque animalia pupillam maiorem habentia, timidiora ſunt.

Adſunt præterea in vnoquoque oculo duæ glandulæ, quæ recipiunt à cerebro lacrymarum materiam, ad oculum irrigandum, in quibus lacrymæ continentur.

Quæres, quid ſint lacrymæ & quomodo fiant?

Reſpondeo, lacrymas eſſe humores factos ex vaporibus ſursùm elatis, & multis humoribus in cerebro exiſtentibus, qui humores à cerebro ad dictas glandulas oculorum deſcendentes ex iſtis deinde foras exprimuntur per irritationem aliquam factam ab acrioribus rebus, vel à paſſionibus nimis comprimentibus,

tibus, cerebrumque commouentibus; qualis eſt nimia lætitia, nimia triſtitia, &c. & aliquandò per ſe fluunt, vt patet in ſenibus, & alijs propter aliquem defectum cerebri, vel organi viſorij, vel carunculæ lacrymalis.

Caruncula lacrymalis eſt quædam parua particula carnea, quæ ab aſpicientibus videtur; hæc enim carumcula retinet lacrymas nè fluant, qua particula ablata, relaxatâ, vel compreſſâ lacrymæ fluunt; ſub hac caruncula eſt paruum foramen permeans ad nares, per quod foramen oculorum excrementa expurgantur; quod detur tale foramen, patet experientiâ, quia pueri flentes, ſi ad riſum reuertantur; lacrymas per nares emittunt; præterea omnes flentes, naſum emungunt; ergò ibi dantur iſta foraminula; ſunt multa alia in oculo, quæ ex ſe patent, magna igitur controuerſia eſt in quanam parte, ſeu loco fiat viſio, pro qua eſt.

ARTICVLVS IV.

Vbi nam fiat viſio; & an ſit alijs ſenſibus præſtantior.

PRrima ſententia ait, viſionem fieri in neruis opticis, vbi fit coniunctio talium neruorum. Ratio huius ſententiæ eſt, quia ſi viſio fieret in oculo, & non in neruis, ſemper vna res videretur duplex, quia oculi ſunt duo, & duæ ſpecies; ſi ergò viſio fieret in oculo, fierent duæ viſiones; at verò ſi viſio fiat in coniunctione neruorum opticorum, hoc non contingit, quia licèt ſint duæ ſpecies, vniuntur tamèn inter ſe, & faciunt vnam.

Secunda ſententia ait, viſionem fieri in oculo: eſt Galeni, & aliorum. Ratio huius ſententiæ eſt, quia Ariſtotelis libro ſecundo de anima ait, inſtrumentum viſionis eſſe, quæcumque non ſunt nerui optici; præterea dicit inſtrumentum viſus eſſe diaphanum; ergò non poſſunt eſſe nerui.

Dico igitur cum ſecunda ſententia, viſionem fieri in oculo, &

præ-

præcipuè in humore Cryſtallino. Probatur enim primo ex Ariſtotele hic cap. 8. qui ait, prima ſimulacra rerum recipi in humore cryſtallino; ergò ibi fit viſio; probatur ſecundo, quia in oculo nulla pars inueniri poteſt purior, & aptior humore cryſtallino, ad recipiendam imaginem luminis; ergò humor cryſtallinus eſt, in quo fit viſio. Probatur tertio, ſi viſio fieret in neruis opticis, nunquàm oculus plura videre poſſet, cum ſpecies dum ibi coniungerentur, fieret vna tantum ſpecies, iuxta ſententiam aduerſariorum; ſed hoc eſt falſum; ergò viſio non fit in coniunctione neruorum.

Ad rationem primæ ſententiæ reſpondeo, nego antecedens, quia, ſenſus, viſus, auditus, & alii, non poſſunt percipere duo obiecta, niſi repræſentetur aliqua diuerſitas, vnde licet oculi duas informent ſenſationes, & duas obiecti imagines, cum tamen nulla apparet diuerſitas, ſemper ſenſus iudicat vnum, & vnum percipit. Ratio enim iſtius rei eſt; quia duę cauſæ eiuſdem rationis, dùm concurrunt ad eundem affectum non dicuntur duæ, ſed vna totalis, neque duæ cauſæ eiuſdem generis poſſunt producere duplicem formam in eodem ſubiecto; ergo ex eo quod viſio fiat in oculo, vna res non videretur duplex; cùm, vt dixi, imagines informatæ ab vtroque oculo ſint omninò eiuſdem rationis; & omninò eædem circumiſtantiæ propter eandem rationem; aures licèt ſint duæ, potentia tamen auditiua eſt vna; iudicat, & percipit vnam vocem.

Dubitatur, an viſus ſit præſtantior aliis ſenſibus?

Dico propter multas rationes viſum eſſe præſtantiorem aliis; primò, quia viſus magis procul ſentit, quàm alii ſenſus, cum attingat ſtellas octauæ ſpheræ. Secundo, quia magis citò ſentit. Tertio magis exquiſitè percipit. Quarto, quia plura percipit viſus, quàm alii ſenſus, cùm percipiat ferè omnia corpora vniuerſi. Quinto, quia vtitur medio nobiliori E. G. lumine, quod eſt qualitas cæleſtis.

Dubitatur ſecundo, an ratione neceſſitatis viſus præcedat, ſeu ſit præſtantior omnibus aliis ſenſibus?

Dico, quod ratione neceſſitatis præcedit tactus, & poſt tactũ guſtus, deindè olfactus, & auditus, & vltimò viſus. Ratione ve-

rò dignitatis præcedit viſus: primò propter rationes ſuperiùs allatas; ſecundo ob mirabilem fabricam organi, tertio ob nobilitatem obiecti, & modi operandi.

QVAESTIO II.

De medio videndi.

ARTICVLVS I.

De lumine.

PRo intelligentia quæſtionis ſciendum eſt, corpus, aliud eſſe opacum, & aliud diaphanum. Corpus opacum dicitur illud, quod ſolum ſecundum ſuperficiem, & non ſecundum profunditatem recipit lumen, vt eſt lignum &c. Corpus diaphanũ, ſeù perſpicuũ dicitur illud, quod recipit lumen, non ſolũ ſecundum ſuperficiem, ſed etiam ſecundum profunditatẽ, ideoq; dicitur diaphanum, ſeù transparens, vt eſt aer, aqua, ignis, vitrũ cryſtallum, & alia ſimilia. Duplex Diaphanum aſſignatur ab Ariſtotele, quorum unum dicitur interminatum, in quo uiſus perſiſtere non poteſt, ſed ulterius progreditur, & hoc dicitur propriè tranſparens, ſeù perſpicuum, ut ſunt aer, uitrum, aliaque ſimilia, & hoc diaphanum eſt medium aptum, ut alia per ſpecies in eo productas uideantur; ipſum uero nullo modo uideatur. Alterum dicitur terminatum, quod in ſe eſt illuminatum, & coloratũ quod uideri poſſit, & hoc impropriè dicitur tranſparens, ſeù perſpicuum.

Sciendum eſt ſecundò, iſta nomina lux, lumen, radius, ſplendor, & fulgor licet uideantur idem, diuerſa tamen ſignificant, Lux propriè dicitur quatenus eſt in principio luminoſo, à quo producitur, E. G. in ſole, ſtellis &c. lumen eſt effectus lucis, quod diffunditur in perſpicuo, ut in aere, E. G. Radius dicitur lumen directè miſſum à corpore luminoſo per lineam rectam ad ſuum obiectum; ſplendor eſt lumen reflexum à corpore perſpicuo, ut

eſt

eſt E.G. uitrum, vel aliud corpus politum; fulgor fere idem eſt, ac ſplendor, ſed maior, & ſumitur prò luce, quæ eſt in corpore denſo. Lumen in communi, quatenus ſignificatur ex omnibus ſupradictis vocibus, ſic deſcribi poteſt: lumen eſt quædam qualitas exiſtens in medio, vt E. G. in aere efficiens ipſum medium aptum ad deferendam ſpeciem obiecti ad ipſum viſum.

Difficultas iam eſt de eſſentia luminis, circa quod ſunt variæ openiones. Empedocles enim Epicurus, multique alij ex antiquis dicebant, lumen eſſe corpus. Plato in Timæo dicebat, eſſe ſubſtantiam ſpiritualem. Quidam alii putabant, eſſe ignem &c.

Dico primò, lumen non eſſe corpus, vt volebat Empodocles & alii. Probatur primò, ſi lumen eſſet corpus, non poſſet moueri in inſtanti; ſed mouetur in inſtanti; ergò non eſt corpus. Probatur ſecundo, ſi lumen eſſet corpus, vel produceretur ex nihilo vel ex corruptione alicuius corporis; non poteſt dici primum. quia crearetur; neque poteſt dici ſecundum, quia dum generatur lumen, vel corrumpitur aer, vel aliquod corpus cęleſte; neutrum dici poteſt; ergò non eſt corpus. Probatur tertio, ſi lumen eſſet corpus, vel eſſet ſimplex, uel compoſitum; non poteſt dici primum, quia eſſet elementum; neque poteſt dici ſecundũ, quia eſſet mixtum ex elementis, quod eſt expreſsè falſum.

Dico ſecundo, lumen non eſſe ſubſtantiam ſpiritualem, ut dicebat Plato, & alii; Probatur, quia lumen eſt extenſum, per ſe coruptibile, & principium alterationis; ſed hoc non poteſt conuenire ſubſtantiæ ſpirituali; ſubſtantia enim ſpiritualis non eſt ſenſibilis, extenſa, atque coruptibilis, cum ſit immaterialis; ergò lumen non eſt ſubſtantia ſpiritualis.

Dico tertio, lumen eſſe quandam qualitatem realem, per quam aer denominatur illuminatus.

Probatur, quia lumen realiter afficit, & denominat ſubiectum E. G. aerem illuminatum; ergò lumen eſt qualitas, & forma realis. Præterea lumen eſt principium effectiuum realium, ideſt calefactionis, aliorumque plurium; ergò eſt qualitas realis, & phyſica.

Quæres, cùr Ariſtoteles interdum lumen appellat actionem?
Reſpondeo, quia non ſeparatur ab actione, idem enim eſt pro-

duci

duci lumen, ac eſſe lumen; in alijs uerò qualitatibus aliud eſt fieri, & aliud eſſe factum, cùm ſint realiter diſtinctæ, & ſeparabiles ab actione.

Obijcies primò, nulla qualitas phyſica afficit ſimul totum ſubiectum; ſed lumen ſimùl afficit totum ſubiectum; ergo non eſt qualitas phyſica.

Reſpondeo diſtinguo maiorem, nulla qualitas phyſica, quæ habet contrarium, ut eſt calor, frigus &c. concedo maiorem; nulla qualitas, quæ non habet contrarium, nego maiorem: Lumen enim, cùm non habeat contrarium poſitiuum, ſimul afficit totum ſubiectum.

Obijcies ſecundò, omnis qualitas phyſica acquiritur per alterationem, & in tempore; ſed aquiſitio luminis non fit in tempore; ergò non eſt qualitas phyſica.

Reſpondeo ſimiliter diſtinguendo maiorem, qualitas habens contrarium concedo maiorem, non habens contrarium, nego maiorem, & conceſſa minore nego conſequentiam.

Obijcies tertiò, qualitas phyſica ità dependet à ſubiecto, ut moto ſubiecto, mouetur & ipsa; ſed moto aere non mouetur lumen; ergò non eſt qualitas phyſica.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, qualitas, quæ remanet poſt ſui generationem, concedo maiorem, quæ non remanet, nego maiorem; remoto enim agente producente albedinem, remanet albedo; remoto uerò ſole, remouetur & ipſum lumen.

Quæres, an lumen creetur ex nihilo à Deo; an uerò educatur de potentia materiæ?

Reſpondeo non poteſt dici, quod creetur ex nihilo quia eſſet aliquod ſpirituale independens à ſubiecto, eſſet inſenſibile &c. quod eſt falſum; neque poteſt dici, quod lumen fluat à ſole in aerem; quia hic modus loquendi eſt potiùs poeticus, quàm philoſophicus, lumen enim, cùm ſit accidens, non poteſt fluere de ſubiecto in ſubiectum. Dicendum ergò eſt lumen educi de potentia materiæ; corpus enim luminoſum habet vim educendi lumen in corpore illuminabili in inſtanti, E.G. ſol in aere iam diſpoſito ad recipiẽdum lumen, ſicuti ignis qui applicatus materiæ diſpoſitæ in inſtanti producit ignem, ſi vero non inueniat ma-

materiam diſpoſitam, priùs illam diſponit, expellendo contrarium;& inducendo ſuas proprias diſpoſitiones: lumen verò, cùm nullum inueniat contrariũ in ſubiecto, illuminat illud in inſtanti.

Obijcies quartò, effectus non eſt maioris virtutis, quam eius cauſa; ſed ſol non poteſt moueri in inſtanti; ergo neque lumen.

Reſpondeo ſol non eſt cauſa luminis ſecundum motum localem; ſed ſecundum generationem luminis; lumen enim generatur in inſtanti; mouetur tamen ab vna parte medij ad alteram ſucceſſiuè; quia ſequitur motum localem ſolis.

Obijcies quinto, cum Scoto, viſibile poſitum ſupra viſum, non poteſt videri imò impedit quo minus alia videantur, vt ait Ariſtoteles tertio de anima tex. quarto; ergò lumen eſt qualitas intentionalis, & non phyſica.

Reſpondeo diſtinguo Antecedens, viſibile opacum, vt eſt color poſitus ſupra viſum non poteſt videri, & impedit, nè alia videantur, concedo antecedens, viſibile diaphanum, vt eſt lumen, nego antecedens, & conſequentiam.

Dubium iàm eſt, quomodò lumen concurrat ad viſionem coloris. Auicenna, (vt refert Auerroes in digreſſione ſuper tex. *66.*): ait lumen concurrere ad viſionem, dando colori formam; per quàm uideatur: ſecundum hanc opinionem in tenebris non eſt color, quia non illuminatur. Ratio huius ſententiæ uidetur eſſe auctoritas Ariſtotelis, qui tertio de anima tex. 13. ait: per hoc differt ſuperficies à colore, quia ſuperficies manet in tenebris; color uerò non manet uiſi in lumine; ergò lumen dat eſſe colori, & conſequenter lumen, & color ſunt idem.

Sed hæc ſententia eſt falſa. Primò, quia color oritur ex permixtione elementorum vt infra uidebimus,& etiam naſcitur ex uaria concoctione, ut patet in fructibus acerbis, & immaturis, qui varijs coloribus ſunt affecti; ſed lux non fit expermixtione elementorum; ergò, &c. prætereà ex varia commutatione elementorum variantur colores, ſicuti & ſapores, & odores ſine vlla variatione luminis; ergo lumen non facit colorem, neque eſt color.

Secundò ſi lumen faceret colorem, nullus color eſſet permanens, quia ablato lumine tolleretur etiam color, quod eſt falſum, & contra Ariſtotelem libro de ſenſu, & ſenſibili. Præterea omnes colores eſſent eiuſdē ſpeciei, cùm lumē ſublunare ſit eiuſdē ſpeciei, ſed colores differunt ſpecie; ergo non poſſunt habere eſſe formaliter à lumine.

Tertiò nigredo eſt color, & videtur; ſed lumen non poteſt facere formaliter nigredinem, cùm nigredo opponatur lumini; ergò lumen non poteſt præbere formam colori. Ad eius rationem reſpondeo, diſtinguendo antecedens, color non manet in tenebris, quoad conditionem, ſeu diſpoſitionem requiſitam, vt videatur; concedo antecedens, quoad ſuam entitatem materialem, uel formalem non manet in tenebris, nego antecedens, & conſequentiam.

Dicendum; ergò eſt lumen requiri ad uiſionem, tanquam conditionem ſine qua non. Probatur quemadmodum enim approximatio requiritur, vt ignis comburat,ità lumen requiritur adhoc ut color uideatur; ſed approximatio non poteſt dici cauſa ignis, neque combuſtionis; ergò neq; lumen poteſt dici cauſa coloris. Probatur maior; color enim non poteſt videri niſi moueat uiſum; ſed non poteſt mouere uiſum ſine lumine, diſponente medium ad recipiendam ſpeciem coloris; ergo lumen concurrit ad uiſionem coloris, ut conditio, ſine qua non, ſeu ut diſpoſitio diſponens medium, ideſt aerem, ad hoc ut color per ſuam ſpeciem moueat uiſum, ut uideatur.

Colligitur ex dictis, lumen non concurrere ad conſtitutionem coloris, ſed ſolùm ut uideatur color, cùm enim color, antequam illuminetur, & uideatur, præſupponitur conſtitutus, & exiſtens, neque requiritur lumen ex parte potentiæ, cùm ex ſe ſit determinata cum ſpecie uiſibili ad eliciendam uiſionem; requiritur ergò ex parte medij, ut recipiat ſpecies ſenſibiles, eaſque deferat ad potentiam uiſiuam.

Colligitur ſecundò, lumen eſſe medium, ut cætera uideantur, eſt etiā mediū ſui ipſius, vt & ipſum uideatur, non tamen per ſe, ſed per ſpecies ſenſibiles; quemadmodū enim coloratum præter lumen debet mittere ſpecies ad potentiam uiſiuam, ut uideatur,

deatur, ità & luminoſum, &c.

Quæres, cur lumen exiſtens in aere non producat ſpecies ſenſibiles, ut uideatur?

Reſpondeo lumen non poteſt emittere ſpecies, à quibus repræſentetur, niſi ſit in aliquo corpore terminato,& hæc eſt una cōditio,ut lumen emittere poſſit ſpecies; in corpore uerò interminato non emittit ſuas ſpecies, neque uidetur. Ratio eſt,quia ſi emitteret ſpecies in corpore diaphano interminato, cùm hoc debeat eſſe medium ad uidendum, impediret uiſionem aliarum rerum.

Dices, corpora lucida emittunt ſpecies ſenſibiles,ut uideantur, cur ſtellæ etiam præſente ſole non emittunt ſpecies, ut uideantur? neque enim impediri poſſunt à lumine ſolis,cum hæ ſpecies eſſe poſſint,cum lumine quamtumuis intenſo.

Reſpondeo, dùm ſol eſt præſens, aer cùm adeo multùm illuminetur, à ſtellis, illuminari non poteſt; neque ab illis emitti poſſunt ſpecies, quæ emittuntur ſimùl cum lumine; dum uerò ſol eſt diſtans, aer cùm à ſole minùs illuminetur à ſtellis,etiam illuminari poteſt, earumque ſpecies recipere. Vndè quo magis ſtellæ ſunt ſoli uicinæ; quia plus luminis producitur à ſole, eò minùs uidentur, & quo magis remotæ ſunt, (quia ibi à ſole minus luminis producitur) eò magis uidentur.

Dices ſi quis exiſtens intra altiſſimum puteum intueatur cælum etiam lucente ſole, poterit uidere ſtellas; ergò etiam poterunt emittere ſpecies lucente ſole.

Reſpondeo, uehemens lumen impedit uiſionem minoris luminoſi: quia cùm oculus à magno lumine uehementer, moueatur, non poteſt minorem motum ſentire, & quia lucente ſole eſt magnum lumen, ideò non poteſt uidere ſtellas, quæ habent minus luminis: in puteis uerò cùm non ſit tantum luminis, & quia ſpecies ueniunt magis unitæ ad potentiam uiſiuam, uideri poſſunt ſtellæ lucente ſole,& ideò nos ſæpè adumbrare ſolemus oculos,ut melius uideamus.

Dices,ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem, inquit Ariſtoteles tertio de anima; ergò lumen poſitum in oculo non poteſt uideri.

Reſpondeo, hoc axioma non facit contra nos, primò, quia lumen, quod eſt in oculo non uidetur; lumen, quod uidetur, non eſt ſupra ſenſum. Secundò Ariſtoteles ibi dicit, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum impedit aliud diuerſæ rationis, ut ne ſentiatur, E.G. ſapor amarus, exiſtens in lingua impedit nè percipiatur dulcedo; color uiridis impedit rubrum, &c. ſenſibile uerò non impedit aliud ſenſibile eiuſdem rationis in eodem gradu, in quo eſt in ſubiecto, ut calidum ut quatuor, aliud calidum, ut quatuor in hoc ſenſu locutus eſt Ariſtoteles, dùm in ſecundo de anima dixit, id quod recipit ſonum, debere eſſe ſine ſono, & id, quod recipit colorem, debere eſſe ſine calore.

Dubitatur, an lumen cæli, & horum inferiorum differant ſpecie.

Dico, eſſe diuerſæ ſpeciei. Prima ratio eſt, quia corruptibile, & incorruptibile differunt ſpecie, ut docet Ariſtoteles 10. metaph. tex. 26. ſed lumen cæli eſt incorruptibile, & lumen ſublunarium eſt corruptibile; ergò differunt ſpecie. Secunda ratio eſt, quia lumen cæleſte producit multos effectus, quos lumen ſublunare producere non poteſt. Tertia ratio eſt, quia lumen ſolis non miſcetur cum lumine ignis, uel aliorum ſublunarium, imò adueniente lumine ſolis debilitatur, & quaſi obſcuratur lumen ignis, & cuiuſcunque alterius ſublunaris; ſicuti adueniente calore ſolis debilitatur calor ignis, & parum agit in præſentia caloris ſolis; ut experientia docet; ergò lumen cæleſte, & ſublunare differunt ſpecie.

Quoniam lumen concurrit ad uiſionem colorum, non ſolum directè, ſed etiam reflexè, & refractè; explicandum eſt hic, quid ſit reflexio, & quid refractio; pro quorum intelligentia. Sciendum eſt, quando lumen proueniens a ſuo principio, ſi ita pertrãſit aliquod corpus diaphanum, ut nullum inueniat impedimentum, à quo deuietur a ſuo recto proceſſu, ut eſt E.G. radius ſolis tranſiens per aerem purum, carentem omni impedimento, dicitur lumen rectum. Quandò uerò lumen proueniens à ſuo pricipio, ideſt corpore luminoſo peruenit ad aliquod corpus, in quo inueniens impedimentum, ſiuè ſit denſitas, ſiuè ſoliditas, ſiue opacitas impediens ſuum ulteriorem progreſſum, deuiatur

tur à ſuo recto progreſſu, ad ſuũ principiũ, vel ad aliã partem reflectitur, hoc dicitur lumen reflexum. Vndè duplex eſt reflexio vna dùm radius perueniens ad ſuperficiem alicuius corporis, in quo inueniens impedimentum vlterioris ſui progreſſus, reflectit directè per lineam rectam ad ſuum principium, vnde ortum habuit, & hæc dicitur propriè reflexio directa: Si vero ad aliam partem deuietur, & reflectatur, dicitur reflexio obliqua. Altera eſt, dùm radius non inueniens impedimẽtum in ſuperficie, progreditur vlterius infra corpus diaphanum; in cuius profunditate inueniens impedimentum deuiatur, & reflectitur non directè ad ſuum principium, ſed ad aliam partem. Propter quam deuiationem, vel reflexionem in profunditate corporis radius ille apparet tortuoſus, & quaſi fractus, licet non ſit fractus, vndè cauſat deceptionem in ſenſu, & hic modus reflectendi, licet ſit reflexio; propriè tamen dicitur refractio, & non reflexio, niſi impropriè.

Differt igitur reflexio propria à refractione; primò, quia in reflexione lumen recipitur in ſuperficie corporis; in refractione recipitur in profunditate. Secundò in reflexione lumen redit, ſeu reflectit directè ad ſuum principium, in refractione deuiatur, & reflectit non ad ſuum principium, ſed ad alias partes. Tertio in reflexione nulla adeſt deceptio ſenſus; in refractione ſemper eſt deceptio.

Quidquid dixi de reflexione, & refractione radiorum dicendum eſt de reflexione, & refractione viſionis, vndè viſio, alia dicitur directa, alia reflexa, & alia reflacta. Viſio directa eſt qua videmus aliquid per radium viſionis rectum, vt cum video Petrum E.G. ante me ſtantem. Viſio reflexa dicitur, qua aliquid videtur per radium reflexum, vt cum video in ſpeculo Petrum ſtantem poſt me à tergo, vel cum videò lunam, vel aſtra in aqua.

Refracta viſio dicitur, qua aliquid videtur per radium refractum, vt cum video in aqua denarium, qui apparet maior, quàm verè ſit, remũ, qui partim eſt in aqua partim in aere, qui apparet fractus, & tortuoſus propter refractionem ſpeciei viſibilis emiſſæ à remo, qua videtur ipſe remus; aliter enim illæ, ſpecies

recipiuntur in aere, qui eſt corpus rarius, & aliter in aqua, quæ eſt corpus denſius, & pro diuerſa illa receptione in medio diuerſimodè afficit potentiam viſiuam. Secundum itaque viſionem refractam nunquam res videtur omninò in proprio ſitu, neque ſub propria quantitate, qua de cauſa ſemper contingit deceptio ſenſus tam in rebus meteorologicis, quàm in alijs: ſed vt melius percipiatur reflexio, ac refractio breuiter aliqua dicemus de ſpeculis.

ARTICVLVS II.

De Speculis.

SPeculum eſt corpus terminatum, terſum, politum, planum, & aptum per reflexionem radiorum viſualium, vel ſpecierum viſibilium repræſentare aſpectui ipſa obiecta viſibilia extrinſeca.

Dixi, eſſe corpus terminatum, quia non eſt diaphanum, ſeu tranſparens, ſecundùm ſuam profunditatem. Dupliciter aliquod corpus poteſt eſſe terminatum ſecundùm ſuam profunditatem, primò ex ſua natura, vt ſunt quædam marmora, & aliqua mixta valdè terſa, & polita, quibus (vt patet experientiâ) vti poſſumus, pro ſpeculis. Secundò poteſt eſſe terminatum, non ex ſua natura, ſed per accidens nempè per appoſitionem alicuius corporis opaci. Et ità aliquid, licet ex ſua natura ſit diaphanum, per accidens tamen ideſt per appoſitionem alicuius opaci extrinſeci fieri poteſt terminatum, vt in ſe reflectat corpus luminoſum, ſicuti ſolent fieri communiter ſpecula per appoſitionem plũbi à tergo vel alterius opaci, quia licet omne medium perſpicuum, vel diaphanum, dũmodò ſit illuminatum recipere poſſit ſpecies radiorũ, vel imagines rerum viſibilium; Eas tamen res viſibiles nõ repræſentat potentiæ viſiuæ, niſi poſt ipſum diaphanum apponatur aliquod opacum, prohibens tranſitum radiorum viſibilium, vel ſpecierum, & faciens, vt reflectantur ad oculum.

Scien-

Sciendum tamen eſt, quod corpus diaphanum non ſolum fieri poteſt terminatum, & ſpeculum per appoſitionem corporis opaci, ſed etiam per nimiam condenſationem, vt contingit in aqua fortiter congelata. Et etiam per nimiam profunditatem corporis diaphani, pręſertim quando non illuminatur radijs ſolaribus directè ſupercadentibus; in hoc caſu ipſamet tenebroſitas exiſtens in partibus profundioribus diaphani ſupplet vicē corporis opaci extrinſecè appoſiti, vt patet in aqua profunda adumbrata, in qua repræſentatur res, tanquam in ſpeculo. Specula varijs modis repræſentare ſolent res; nam aliquando poteſt eſſe aliquod ſpeculū magnitudinis ſufficientis, habens omnes conditiones requiſitas ad perfectè repræſentandum: Et hoc ſpeculum ſine vllo defectu repræſentat obiecta viſibilia. Aliquando ſpeculum poteſt eſſe magnum, non tamen erit planum, ſed erit, l. concauum, l. conuexum, & hoc ſpeculum repræſentat rem aliter, ac eſt in ſe. Si enim erit conuexum, repræſentat rem ſub minori quantitate, quam ſit in ſe. Si verò ſit concauum, repræſentat figuram rei alitèr, ac eſt in ſe, immo ſubuerſo, & contrario modo, cū quibuſdā deformitatibus, aliquando ſpeculū eſt minus paruum, & incapax figuræ corporis obiecti, & hoc ſpeculum repræſentat colorem ſolum, & non figuram illius corporis: Quidquid dixi de ſpeculis, idem proportionalitèr dicendum eſt de corporibus diaphanis, vt de aere, & aqua, quæ per condenſationem fieri ſolent apta, ſpecies rerum viſibilium in ſe receptas reflectere ad potentiam viſiuam, ſicuti cætera ſpecula. Hæc enim corpora pro diuerſitate ſuæ raritatis, & denſitatis vario modo repræſentant res viſibiles, vt E. G. videtur in nube rorida, quæ inæqualiter condenſata, repræſentat diuerſos colores; quod patet in Iride, & alijs.

Dubitatur iam de illo, quod apparet in ſpeculo, quidnam ſit; & ratio dubitandi eſt, an ſit nihil, an aliquid; non eſt nihil, quia mouet potentiam uiſiuam, & uidetur ſi eſt aliquid, eſt nè ſubſtātia, an accidens, non poteſt dici quod ſit accidens, quia eſt trinedimenſum, & conſequenter corpus. Et ſi eſt corpus, quomodo generatur, & ex qua materia?

Quidam dicunt, eſſe accidens, & dum mouetur ſpeculum, non mouc-

mouetur imago, ſed producit aliam imaginem.

Sed iſti malè dicunt, quia ſi eſſet accidens, uel eſſet in aere, qui attingit ſpeculum, l. eſſet in ipſo ſpeculo. Non poteſt dici primum, quia aer, cum ſit perſpicuus, non habet uim repræſentandi. Præterea illa imago uidetur in ſpeculo non in aere; neq; poteſt dici ſecundum, quòd nimirum ſit in ſpeculo, quia l. eſſet in ſuperficie, uel in profundó, non in ſuperficie, quia apparet in profundo, & quo magis remouetur à ſpeculo, eò magis in profundo uidetur. *Perſpectiui* iſtam imaginem tribuunt radiis reflexis, & retractis. Multi ex philoſophis dicunt, eſſe aliquod apparens, mihi tamen videtur probabilius, dicendum, eſſe ſpeciem intentionalem, quæ ab obiecto ad ſpeculum transfertur; & per reflexionem refertur ad oculum in ſpeculo aſpicientis.

QVAESTIO III.

De Obiecto viſus, ſeù de coloribus.

COlores ſunt dupplicis generis, alii veri, reales, & permanentes, vt eſt albedo, nigredo, rubedo, & alij apparentes, & nõ permanentes, vt ſunt colores in Iride, in collo, columbæ, & alii ſimiles. Nos hic loquimur de veris coloribus, licet aliqua etiam dicemus de apparentibus.

ARTICVLVS I.

De coloribus veris, ac realibus.

DVbium iam eſt, quidnam ſit color verus, & realis, Plato in Timæo, colorem eſſe dicebat, flamulam, ſeù fulgorem emanantem ex diuerſis corporibus, & in Menone definiens colorem ait, eſſe defluxum quendam rei.

Hæc ſententia eſt falſa, primò quia color non eſt lumen, vt ſuperiùs diximus; ſecundo quia fluxus eſt motus, color verò non

eſt

eſt motus, neque poteſt fluere, ideſt migrare de ſubiecto in ſubiectum, cum ſit accidens.

Pithagorici dicebant, colorem eſſe ſuperficiem, Ratio eorum eſt, quia nihil colorati videtur, niſi ſuperficies.

Hæc etiam ſententia eſt falſa primò quia ſuperficies eſt quantitas, color autẽ non eſt quantitas. Secundo quia variato colore, manet eadẽſuperficies. Tertio quia omnia corpora habẽt colorẽ.

Auicenna ait, colorem eſſe qualitatem, quæ à luce proficiſcitur, ſed neque hæc ſententia eſt vera, cum color verus, & realis non proueniat à luce, vt articulo ſuperiori probauimus.

Ariſtoteles affert duas definitiones coloris in lib 2. de anima ait colorem eſſe id, quod mouet perſpicuum actu, & lib. de ſenſu, & ſenſili cap. 4. ait, colorem eſſe terminum, ſeù extremitatem in corpore terminato.

Pro cuius intelligentia ſciendum eſt, Ariſtotelem, hic non explicare colorem ſecundum ſuam propriam naturam, vt eſt, quędam qualitas; quæ oritur ex permixtione perſpicui cum opaco, quomodo non ſolum reperitur in extremitate corporis, ſed etiã in toto corpore, ſolumodo explicare colorem in inordine ad viſionem, in ordine ad quem color dupliciter conſiderari poteſt. Primò, vt actu eſt viſibilis, prout actu mouens ſenſũ, ſub hac cõſideratione explicat in 2. de anima; vt verò eſt viſibilis potẽtiã, ideſt vt eſt qualitas quædam qua terminare poteſt viſionem, explicat in libro de ſenſu, & ſenſili dicens, eſſe extremitatem corporis perſpicui terminati. Nomine corporis terminati intelligit perſpicuum, quod illuminatur ſolum in ſuperficie, & nomine terminati intelligit perſpicuum, quod non ſolum recipit lumen ſecundum ſuperficiẽ, ſed ſecundũ ſe totum, cũ non habeat in ſe aliquid impediens lumen, ne vlterius diffundatur, quidnam ergò ſit color ſecundum ſuam naturam, paulò inferiùs explicabimus, explicantes eius cauſas.

Dubitatur à quonam proueniant colores veri, & reales. Quidam dicunt, colorem eſſe qualitatem prouenientem ex primis qualitatibus, vnde albedinem tribuunt frigori, nigridinem calori &c. quidam alii pũtant, colores prouenire ex mixtione caloris, & ſiccitatis, frigoris, & humiditatis ſecundum diuerſos gradus,

dus,

dus, ſed iſti auctores vtriuſque opinionis malè opinantur; colores enim non ſunt referendi ad primas qualitates, quia vt experientia docet, videmus contrarios colores ſub eadem qualitate; E.G. albedinem in calce eſſe cum calore. In niue cum ſumma frigiditate, in lacte cum humiditate, in ligno putrefacto, ac exſiccato cum ſiccitate. Nigrediuem in pipere cum calore, in atramentò ſepiæ cum frigiditate. Multæ herbæ habent varios colores, & tamen non habent eandem temperiem elementorum: prætereà quædam dum calefiunt, albeſcunt, & quædam nigreſcunt; ergò colores referri non debent ad primas qualitates.

Dico cum Ariſtotele in primo naturalium quæſtionum cap. 2. cum Cardano 7. de ſubtilitate ſcaligere exercitatione octaua, numero primo, & exercitatione 75. numero ſeptimo Auic. 6. naturalium quæſtionum, & aliis, colorem eſſe qualitatem prouenientem expermixtione elementorum ſecundùm eorum perſpicuum, & opacum, ignis enim lucidus eſt, aer, & aqua perſpicua, terra opaca eſt.

Probatur primo, color habet maiorem affinitatem cum perſpicuo, & opaco, quàm cum calore, & frigore, aliiſque qualitatibus; ergò calor prouenit ex permixtione perſpicui cum opaco, & non à permixtione qualitatum.

Probatur 2. a paritate colorum apparentium. Colores apparentes generantur expermixtione luminis cum perſpicuitate, & opacitate, vt infra fusè explicabimus, ergo etiam veri, & reales colores proueniunt expermixtione perſpicui cum opaco.

Probatur 3. experientia, experimur enim ex eo, quod perſpicuum miſcetur cum opaco, oriri aliquem colorem; ſpuma E.G. eſt alba expermixtione aeris perſpicui cum opacitate aquæ, nix ſimiliter alba eſt ob permixtionem aeris perſpicui cum opacitate aquæ; Albedo aliquando oritur ex magna concoctione humoris, vt videtur contingere in lacte, & ſemine animalis, & multis fructibus, qui dùm matureſcunt, euadunt albi, & ventres multorum animalium eſſe albos, quia ſunt valdè calidi, & ratio huius rei videtur eſſe, quia à calore humores concocti fiunt magis aerei, ſpirituoſi, & perſpicui; multum enim perſpicuum cum opaco facit colorem album, vt patet in ſputo, ſpuma,

ma, niue, & alijs: minus verò perſpicui cum multo opaco facit colorem nigrum; Experimur prætereà, nigredinem fieri ex eo quod humor comburatur, aut res plùs æquo exſiccentur, vt patet in fumo, & in carbonibus extinctis, & alijs rebus combuſtis. Patet ex Ariſtotele ſec. 38. prob. 1. & 10. vbi quærit, cur caro ſole nigreſcat, quia, inquit, ſol adurit humidum, ſimiliter dùm terra aduritur nigreſcit, quia per aduſtionem humor perſpicuus in ea exiſtens euaneſcit manentibus partibus opacis; ergò colores veri, & reales fiunt ex permixtione perſpicui cum opaco.

Colligitur primò ex dictis, quòd corpus quantò plus perſpicui, & minus opaci habet, tantò magis accedit ad albedinem, & quantò plus opaci, & minus perſpicui, tantò magis accedit ad nigrum.

Colligitur ſecundò, quod quò magis humores rei attenuantur per concoctiones, eò magis res fiunt perſpicuæ, & color magis accedit ad albedinem, vt accidit in multis fructibus, & quò magis partes tenuiores per nimiam concoctionem euaneſcunt, eò magis accedunt ad nigredinem, cum maneat plus opaci, quā perſpicui, vt patet in quibuſdam fructibus, qui fiunt rubri, nigri, &c.

Colligitur tertiò ex dictis, colorem verum, & realem ſic eſſe difiniendum: Color eſt qualitas proueniens ex permixtione elementorum, quatenùs perſpicua, & opaca ſunt; quæ apta eſt terminandi ad ſe viſionem actu, vel potentia.

Dubitatur de ſubiecto coloris, an nimirùm corpora ſimplicia habeant colorem, & an omnia mixta ſint colorata. Omiſſis varijs opinionibus Auctorum.

Dico primò breuiter, ſubiectum coloris non eſſe corpus ſimplex, vt quidā opinātur. Probatur, cælū, & elemēta sūt corpora ſimplicia; ſed Cœlū, & elemēta nullū habēt colorē; ergo corpora ſimplicia nullū habēt colorē. Probatur minor, quia ſicuti cōueniebat elemēta, quę omnes figuras debeāt recipere, carere omni figura, ità quia omnes colores oriri debeāt ex elemētis, oportuit ea carere omni colore, & ſi aliquādo in elemētis appareat aliquis color, non erit realis, ſed apparens, Cœlū, & Aſtra videntur

à nobis colorata, non quia in ſe habeant colorem, ſed quia habent lumen magis, vel minus intenſum, propter quod ſunt diuerſo modo lucida, quæ nos ſolemus dicere eſſe colorata; vel prouenit propter exhalationes, & vapores inter oculos noſtros, & aſtra interceptos videri eſſe colorata.

Dices, in terra ſunt veri colores; ſed terra eſt elementum; ergò in elementis ſunt veri colores.

Reſpondeo, terra non eſt elementum purum, cum magna difficultas ſit, an reperiatur elementum purum extra ſuum naturalem locum; colores, ergò, qui in terra, igne, & alijs elementis apparent, vel ſunt apparẽtes, vel non ſunt pura elementa, ſed mixta.

Dico ſecundò, in mixtis imperfectis dari colores veros, & reales. Probatur experientia, nix eſt mixtum imperfectum, cùm non conſtet quatuor elementis; ſed ſolùm duobus, ideſt aere, & aqua; ſed nix habet colorem album; ergò mixta imperfecta habent colorem verum, & realem; eodem modo philoſophandum eſt de grandine, alijſque omnibus mixtis imperfectis.

Dico tertiò, ſubiectum veri coloris eſſe mixtum.

Probatur, color. vt dixi ſuperiùs, prouenit ex permixtione elementorum; ſed non poſſunt miſceri elementa, niſi in mixto; ergò verum ſubiectum coloris realis eſt mixtum.

Dico quartò, colores veri, & reales non recipiuntur in omnibus mixtis. Probatur, multa mixta ſunt media ad videndum; ſed medium, ad videndum nullum debet habere colorem; ergò color non reperitur in omnibus mixtis; maior patet, minor probatur, ſi media videndi haberent aliquem colorem, omnia, quæ viſus videret, apparerent illius coloris, vt patet in vitro colorato; radij enim, qui per hoc vitro tranſeunt, repræſentant eũdem colorem viſi; de hac re agentes de partibus oculi multa diximus.

Dubitatur de numero colorum; Pithagorici enim apud Plutarchum primo de plac. cap. 15. quatuor tantùm ſpecies colorum ponunt, nempè album, nigrum, rubeum, & pallidum. Plato in Timæo decem ſpecies colorum admittit, nempè album, & nigrum, inter quos aſſignat octo medios, ex illorum permixtione

tione prouenientes. Auer. lib. de ſen. & ſenſi. cum multis alijs exiſtimat infinitas eſſe ſpecies colorum. Ariſtoteles lib. de ſen. & ſen. ait, ſeptem eſſe ſpecies colorum.

Dico cum Ariſtotele, principales ſpecies colorum eſſe ſeptem, vt albus, niger, puniceus, ceruleus, viridis, rubeus, & purpureus; albus, & niger ſunt extremi; cæteri verò quinque dicuntur medij. Pro quorum intelligentia. Sciendum eſt, exceſſus perſpicui cum pauca opacitate facit colorem album, exceſſus opacitatis cum pauco perſpicuo facit colorem nigrum, medius inter album, & nigrum eſt viridis, qui æqualiter participat perſpicuum, & opacum albi, & nigri; inter viridem, & album eſt puniceus & ceruleus; puniceus continet in ſe duas partes perſpicuitatis, & vnam opacitatis, ceruleus magis accedens ad viridem, continet tres partes perſpicuitatis, & duas opacitatis. Inter viridem, & nigrum eſt ruber, qui continet duas partes opacitatis, & vnam perſpicuitatis, purpureus continet tres opacitatis, & duas perſpicuitatis, & iſtæ ſunt ſeptem ſpecies principales, ad quas reducuntur omnes aliæ ſpecies colorum, ſecundum maiorem, vel minorem participationem perſpicui, & opaci, vt ſuperius dixi; quò plus participant perſpicuum eò magis accedunt, ad album, & quò plus opacum, eò magis ad nigrum. Iſti quinque colores dicuntur etiam medij, quia non in exceſſu, ſed medio modo participant cauſas extremorum, ideſt perſpicuũ & opacũ, dicuntur etiã medij, quia color albus nimis diſgregat viſum. Color niger valdè congregat. Color verò viridis inter medius inter album, & nigrum, æqualiter participans cauſam vtriuſque, neque nimis congregat, neque nimis diſgregat viſionem, ideoque eſt viſui gratus, cæteri medij ſecundum maiorem, l. minorem participationem, paulò plus; vel minus diſgregant, vel congregant viſum.

Dubitatur, an colores medij prouenïant ab extremis.

Dico, colores medios non oriri ex permixtione extremorum colorum. Probatur primò; quia Ariſtoteles de ſen. & ſenſ. c. 7. docet, colores medios eſſe alias ſpecies colorum ab extremis. Secundò ſi medij colores peruenirent ab extremis, non eſſent qualitates ſimplices; ſed aggregatum per accidens. Tertiò,

nunquam poteſt generari color medius, quin generentur extremi, ex quorum mixtione fiat. Quartò, dùm quid mutaretur ex albo in nigrum, deberent generari omnes colores medij. Quintò, productio coloris naturalis non diſtingueretur ab artificiali, quæ omnia ſunt apertè falſa. Præterea extremi colores non poſſunt agere, & pati ad inuicem quod eſt neceſſarium ad mixtionem; ergò non poteſt ex iſtis generari color aliquis ab iſtis diſtinctus; ergò colores medij non proueniunt ex mixtione extremorum.

Dices cum Auer. ex Ariſtotele ſecundo de anima tex. 65. & 10. met. tex. 23. in colore medio eſſe actu albedinem, & nigredinem; ergò colores medij fiunt ex permixtione extremorum. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens in colore medio eſt albedo, & nigredo actu, quoad eorum cauſas, ideſt perſpicuum, & opacum, concedo antecedens, quoad eorum eſſentiam formaliter nego antecedens, & conſequentiam.

Dices, ars imitatur naturam; ſed ars efficit medios colores permixtionem extremorum; ergò & natura.

Reſpondeo diſtinguendo minorem, ars efficit veros colores, nego minorem, falſos, & apparentes, concedo minorem; ars enim nihil aliud efficit, niſi corpora colorata per iuxtam poſitionem ſimul ponat, quod non ſufficit ad veram mixtionem, ex qua oritur aliquod diſtinctum à miſcibilibus. Explicatis coloribus veris, explicandi ſunt breuiter apparentes.

ARTICVLVS II.

De Coloribus apparentibus.

COlores apparentes ſunt qualitates ex lumine, & opacitate aliqua nubis, vel aeris, vel aquæ reſultantes, quæ aptæ ſunt ad terminandam in ſe viſionem. Sciendum eſt, ex ſolo lumine colores apparentes generari non poſſe, neque ex ſola opacitate, cum non ſint viſibiles, ſed ex mixtione luminis cum opacitate, quemadmodum etiam colores veri, & reales ex ſolo per-

perſpicuo generari non poſſunt; neque ex ſolo opaco; ſed ex mixtione perſpicui cum opaco; generatur igitur ex lumine, & opacitate; Ex multo lumine, & pauca opacitate oritur color albus, vt patet in quibuſdam exhalationibus in aere exiſtentibus, quæ apparent albæ ad modũ bombaci, vel lanæ albæ, quæ albedo prouenit ex multo lumine, & pauca opacitate nubis; Ex multa opacitate, & pauco lumine oritur color niger, vt patet in nubibus nigerrimis prope horizontem exiſtentibus. Ex æqua li portione luminis & opacitate generatur color viridis. Ex paulo plus opacitatis, & minori quantitate luminis, quàm requirantur ad generationem viridis prouenit color rubeus ſub obſcurus. Ex paulo maiori quantitate luminis, & minori intenſione opacitatis, oritur color rubeus, ſeu purpureus, vt patet in ortu, vel occaſu ſolis; l. lunæ, quandò aer rubeſcit prouenit enim illa rubedo aeris ab exhalationibus denſis, in eo exiſtentibus, & radijs ſolis, vel lunæ ad eas terminatis. Ex hac maiori quantitate luminis, & minori opacitate oritur color cœruleus, & etiam ex paulo plus luminis, & minus opacitatis conſurgit color puniceus; quo igitur plus luminis, & minoris opacitatis adeſt, eò magis color ille ad album accedit, & quò plus opacitatis, & minus luminis adeſt, eò magis color ad nigredinem accedit.

Dices, colores iridis prouenire ex minutiſſimis guttulis aquę ergò non à nube, vel aliquo alio opaco.

Reſpondeo, negando conſequentiam; quia guttulæ illæ minutiſſimæ deſcendentes à nube, vnitæ denſitatem, ac opacitatem aliquam faciunt in aere, quæ cum luce colorem efficiũt.

Quæres, quomodò fiunt illi tres colores in iride? & cur vnus ſuperior, alius inferior, & alius in medio appareat, & cur citrinus ſuperior purpureus inferior, & viridis medius?

Pro reſponſione. Sciendum eſt, nubem non eſſe æqualiter denſam, & opacam ſecundum omnes eius partes, ſed ſecundum aliquam partem denſiorem, & ſecundùm aliam rariorem. Anterior enim pars nubis roridæ, in qua apparet iris rarior eſt, & minùs opaca; pars immediatè interior, denſior eſt, & magis opaca; illa verò alia pars poſt iſtam ſecundam partem ſucce-

dens,

Digitized by Google

dens, eſt adhuc denſior, & magis opaca; multum ergò luminis terminatum ad anteriorem partem nubis cum illius pauca opacitate pingit colorem citrinum, lumen minus intenſum terminatum ad interiorem partem, & cum illius paulò maiori opacitate mixtum facit colorem viridem, lumen adhuc minus intenſum, terminatum ad illam tertiam partem magis denſam, & opacam pingit colorem purpureum, & ità generantur iſti tres diuerſi colores apparentes in eadem nube; & licèt iſti tres colores ſint in eodem plano, quia tamen citrinus eſt proximior viſui, apparet ſuperior. Viridis remotior ideò apparet inferior; & purpureus remotiſſimus, ideò apparet aliis inferior; quo enim obiectum propinquiùs eſt viſui, eo ſublimiùs videtur; & è contra, quò remotiùs eſt, eò inferiùs apparet. Eodem modo philoſophandum de duplici iride, de iride lunæ, & aliis.

Colligitur ex dictis, ad hoc, vt generentur varij colores apparentes in aere requiri inæqualitatem nubis in denſitate, ſeù opacitate, & præterea inæqualitatem luminis in intenſione, aliter cōſurgit vnus, vel alter color, non verò varii, Vt patet in Alone, qui eſt circulus ante ſolem, vel lunam apparens lucidus ſine varietate colorum, ob defectuum ſupradictorum requiſitorum; in virgis verò, quæ interdum apparent ad latera ſolis, variæ coloratæ ob variam opacitatem nubis.

Quæres, vnde prouenit, quod in iride aliquando color viridis maior appareat, aliquando citrinus, & aliquando rubeus, & an aliquid denotent?

Reſpondeo, dum color viridis maior apparet in Iride, prouenit ex nube magis humida, quæ denotat anni tempus humidum, ac pluuioſum, quod cum conferat ad productionem oliuarum, dici ſolet vulgò tali anni tempore erit abundantia olei. Dum verò color citrinus maior videtur; prouenit ex nube rara, quæ denotat anni tempus ſiccum, quod confert meſſibus; vnde erit abundantia frumenti, & grani tritici. Propterea ruſtici dicere ſolent, *Inuerno aſciutto grano per tutto*.

Dum vero color cœruleus maior apparet, prouenit à nube multum denſa, quæ denotat ſæpiſſimas pluuias, quæ conferunt fructibus; Vnde dici ſolet tali anni tempore abundantia fru-

ctuum,

ctorum, licet hoc non ſemper ſit infallibile.

Remanent ſolum explicandi colores oculorum, pro quibus: Sciendum eſt varietatem colorum in oculis non reperiri, niſi inter homines, & equos; cætera verò animalia vnius ſpeciei habent eundem colorem, & omnia alterius ſpeciei habent eundem colorem, illi ſpeciei debitum, & hoc habetur ex Ariſtotele ſec. 31. prob. 28. & 5. de generatione animalium cap. 5. vbi ait: bouum oculos eſſe nigros, ouium aquinos, caprarum aprinos, aliorum caſſeos, aliorum rubros &c.

Varietas colorum in oculis hominum eſt duplicis generis, vna realis, & alia apparens; quoad colores veros, & reales, vt eſt E. G. albedo in tunica coniunctiua, ſeu adnata, nigredo, & color cœruleus in tunica vuea; nulla eſt difficultas, cum eodem modo generentur, quo cæteri colores reales, nempè expermixtione perſpicui cum opaco elementorum; Neque eſt difficultas de coloribus, qui generantur in oculo ex aliqua ægritudine vel humore, quo inficiuntur oculi, quia ex abundantia ſanguinis oritur color ruber ex abũdantia bilis citrinus, ex abundantia pituitæ plũbeus, ex abundantia melancholiæ fuſcus. Difficultas ſolum eſt de coloribus in oculis apparentibus, eorumque cauſis, pro qua difficultate.

Dico cum Ariſtotele quinto de generatione animalium, copiam humorum in oculo eſſe cauſam nigredinis, & paucitatem humorum eſſe cauſam coloris glauci vel albidi, & ratio eſt, quia copia humorum minus à lumine poteſt illuminari, paucitas verò plus, & faciliùs, quod videtur etiam contingere in aquis; nam vbi aqua eſt alta videtur nigra, vbi verò non eſt alta, videtur albida.

Dices Gal. lib. 2. artis par. docet, paucitatem humoris cryſtallini eſſe cauſam nigredinis, & copiam glaucedinis; ergò &c.

Reſpondeo, aliquando etiam ſi humor cryſtallinus ſit multus, ſi tamen ſit lucidus, & non valde reconditur in profundo oculi, neque tegatur à multo humore albugineo, poteſt eſſe cauſa glaucedinis, quia facilè, & multum illuminatur. Idem contingit quando in oculo ſunt multi ſpiritus tenues, & clari, cum afferant multam lucem, & aliquando contrarium contingere po-

SAVA teſt

teſt; nam etiamſi humor cryſtallinus ſit paucus, quia tamen eſſe poteſt obſcurus, in profundo oculi reconditus, & etiam ab humore albugineo tectus, cum paucis ſpiritibus facit colorem nigrum, quia non poteſt multum illuminari. Dum ergò ſuperiùs dixi cum Ariſtotele, paucitatem humorum eſſe cauſam glaucedinis, & abundantiam eſſe cauſam nigredinis, intellexi cum eodem Ariſtotele cætera omnia paria.

Quæres, cùr oculi puerorum ſunt glauci, quando verò creſcunt euadunt nigri? Reſpondeo, Ariſtoteles quinto de generatione animalium, rationem, ait, eſſe imbecillitatem oculorum, quæ eſt cauſa glaucedinis, licet hoc ſit verum; ſed quia eſt cauſa nimis vniuerſalis. Dicendum cauſam particularem eſſe tenuitatem, & paucitatem humoris cryſtallini, qui faciliùs, & multum illuminatur; in adoleſcentibus verò, & iuuenibus, cũ humor cryſtallinus ſit maior, & ſiccior, difficiliùs, & minùs illuminatur, ideòque oculi eorum nigri apparent.

DISPVTATIO III.

De Senſu Auditus.

In hac diſputatione principaliter agi ſolet de ſono, qui eſt obiectum auditus; ſed quia voces ſunt ſonus, de iſtis etiam in hac diſputatione agemus, & occaſione vocum breuiter de reſpiratione.

QVAE-

QVAESTIO I.

De Sono.

ARTICVLVS I.

De natura Soni, eiuſque generatione.

VAriæ ſunt opiniones circa quiditatem ſoni; quidam dicunt eſſe motum, quidam quantitatem, quidam ſubſtantiam, & quidam relationem.

Dico 1. breuiter, ſonum non eſſe motum. Probatur motus eſt ſenſibile commune, cùm videatur, & audiatur; ſed ſonus non eſt ſenſibile commune. Cùm non percipiatur, niſi ab auditu; ergò ſonus non poteſt eſſe motus: propter eamdem rationem neque poteſt dici, quod ſit quantitas, cum quantitas ſit ſenſibile commune; ſonus verò ſenſibile proprium.

Dico 2. ſonum non eſſe ſubſtantiam. Probatur ſubſtantia non eſt per ſe ſenſibilis; ſed per accidens; at ſonus eſt per ſe ſenſibilis; ergò non poteſt eſſe ſubſtantia. Neque poteſt dici, quod ſit relatio, quia relatio non percipitur per ſe à ſenſu, ſed ab intellectu, ſonus verò percipitur à ſenſu; ergò non eſt relatio; ſic diſcurrendum eſt de cæteris prædicamentis.

Dico 3. ſonum eſſe qualitatem. Probatur primò, non eſt vllum ex aliis prædicamentis, vt probatum eſt; ergò eſt qualitas. Probatur ſecundo denominat ſubiectum quale; ergò eſt qualitas, & præcipuè tertiæ ſpeciei qualitatis, in qua reponuntur omnes paſſiones, & paſſibiles qualitates.

Dico 4. ſonum eſſe ſecundam qualitatem, non primam, dicitur ſecunda, non quia prouenit à primis qualitatibus, ſed quia illas præſupponit, vel quia eſt alia à primis diuerſa, & realitèr ab illis diſtincta. Vnde ſic definiri poteſt; ſonus eſt qualitas ex percuſſione corporum ad aerem naſcens, & in ipſomet

aere exiſtens, afficiens, ſeu mouens auditum.

Dubitatur quomodo producatur ſonus. Dico triplici modo generari ſonum. Primo colliſione duorum corporum aere intercepto; pro cuius intelligentia. Sciendum eſt, adhoc vt efficiatur ſonus per colliſionem corporum, varias requiri conditiones. Prima eſt, vt illa corpora ſint dura; mollia enim, vt lana E.G. & alia ſimilia ſonum efficere non poſſunt; ſecunda vt iſta corpora ſint lata, ampla; anguſta enim, & ſubtilia, vt ſunt duo acus E.G. inuicem colliſa, bonum ſonum efficere non poſſunt.

Tertia, vt habeant ſuperficiem planam, læuem,& æqualem; nam in corporibus non planis, cùm aer non frangatur totus ſimul, ſed diſſipetur propter inæqualitatem partium, ſonus effici non poteſt.

Quarta, vt ſint concaua, quia aer in illis incluſus, cùm non poſſit exire reuerberatur ad latera, campanæ E.G. Vndè ſonus fit amplior, & diuturnior.

Quinta, requiritur qualitas quædam corporis ſonantis, quæ oritur ex mixtione corporum, ob quam metalla sunt multum ſonora, inter quæ maximè argentum.

Sexta vt corpora ſint apta tremere, ideò campanæ suspenſæ meliùs sonant.

Secundo modo, fit ſonus per diſruptionem, vel sciſſionem rei, vt E.G. cùm ſcinditur pannus; hoc modo fiunt etiam tonitrua, & ſonitus, dùm exhalatio ſicca incluſa in nube conatur exire, & percutiens nubem illam ſcindit, & ſonum efficit; omninò idem contingit in caſtaneis in igne poſitis, in quibus aer, qui priùs erat condenſatus, & occupabat minorem locum, vi caloris ignis rarefractus, exigit maiorem locum, vndè diſrumpens corticem, exit, & ſonum efficit.

Tertio modo fit ſonus per ſolam concuſſionem aeris ad aliud corpus, & hoc fieri ſolet dupliciter; primò per alliſionem aeris ad aliud corpus. Secundò per ſufflationem aeris, quandò nimirùm aer cogitur exire per anguſtos meatus. Priori modo fit ſonus vocis, quia aer alliditur ad aſperam arteriam, vt articulo ſequẽti dicemus. Fit etiã ſonus, quandò aer alliditur ad mare, qui

oritur

oritur ex vento mouente vndas. Poſteriori modo, ideſt per ſuſflationẽ fit ſonus, quia coanguſtãtur labia,ex quibus aer exiens, ſonum efficit; fit etiam ſonus per impulſionem aeris, vt cùm ventus impellit aerem, ſonum efficit.

Colligitur ex dictis, differentias ſonorum oriri, vel ex diuerſa materia ſonantium, vel ex diuerſa figura, & magnitudine illorum, vel ex diuerſa percuſſione, & motu.

Quæres, an generatio ſoni ſit naturalis, an vero violenta?

Reſpondeo, partim eſſe violentam; & partim naturalem, reſpectu motus localis aeris, & concuſſionis corporum ſonantium eſt violenta, reſpectu verò finis, & effectus eſt naturalis, quia corpora ſonantia habent hoc ex ſua natura, vt iſta percuſſa, & mota producant ſonum naturalem,qui eſt qualitas realis & phyſica. Percuſſio ergò campanæ,E.G. eſt violenta; Campana verò percuſſa ſonat naturaliter ſimiliter percuſſio ſilicis ferro eſt violenta,emiſſio ſcintillarum, & ignis eſt naturalis.

Quæres, an ſonus generetur ex ſola motione aeris inter duo corpora dura,an vero ex ictu eorum corporum?

Dico primò,ſonum non fieri ex ſola motione aeris, quæ fit à corporibus duris. Probatur ſi ſonus generaretur ex ſola motione aeris, daretur ſonus antequam corpora ſeſe tangant, ſed hoc eſt falsũ,& cõtra experientiã,ergò nõ fit ex ſola motione aeris. Probatur maior, quandò vnum corpus tendit ad aliud, agitatur totus aer, qui eſt inter illa corpora, ergò antequam vnum corpus tangat aliud, deberet produci ſonus; ſed non producitur, quin vnum tangat alterum; ergò non generatur ex ſola motione aeris. Probatur ſecundò, ſi ſonus fieret ex ſola motione aeris, vbi eſſet maior motio aeris,ibi eſſet maior ſonus;ſed hoc eſt falſum; & contra experientiam; ergò non generatur ex ſola motione aeris. Probatur minor, ſi quis pugno percutiat campanam, & alius eandem percutiat exiguo ferro,maior commotio aeris fit à percuſſione pugni, quam ferri exigui, & tamen maior ſonus editur à percutiente exiguo ferro, quam à percutiente pugno.

Dico ſecundò, ſonum generari ex ictu corporum ſonantium in aere. Probatur primò experientiã,videmus enim ex percuſſio-

ne corporum oriri ſonum, quod expreſsè docet Ariſtoteles hic cap. de auditu. Probatur ſecundò, diuerſitas ſoni prouenit ex diuerſitate percuſſionis, & materiæ corporum ſonantium; ergò ex ictu corporum generatur motus.

Colligitur ex dictis, cauſam efficientem ſoni eſſe duo corpora ſonantia, cauſam formalem eſſe tactum, cauſam finalem eſſe generationem ſoni.

Dubitatur de ſubiecto ſoni; quidam enim dicunt eſſe ſolum aerem, vt Philoponus cum multis alijs; quidam aerem & aquam ità Auicenna, multique alij.

Dico ſubiectum commune, & principale ſoni eſſe aerem.

Probatur primo, quia varietas ſoni in Echo, & inſtrumentis muſicis oritur ex varia fractione, & reflexione aeris; ſecundò; quia eſt medium aptiſſimum ad deferendum ſonum ad auditum; ergò præcipuum ſubiectum ſoni eſt aer, & de hoc nulla eſt controuerſia, maior enim controuerſia eſt de aqua.

Dico cum probabiliori ſententia, aquam eſſe ſubiectum ſoni. Probatur, ſonus auditur in aqua; ergò in aqua fit ſonus; quod idem eſt, ac eſſe ſubiectum ſoni.

Probatur antecedens, ſi quis immergat baculum in aqua, ita vt extremitas baculi tangat lapillos ſub aqua, in illos percipitur ſtrepitus, & tamen ibi non eſt aer; ergo in aqua fit ſonus.

Quidam ad hoc reſpondent, dum baculus immergitur in aquas ingreditur etiam aer, ideòque ſentitur ſonus baculi.

Sed iſti malè dicunt, quia piſces in aqua faciunt ſtrepitum, & tamen nullus ingreditur aer, vt patet experientiâ. Duo corpora intra aquam ſe collidentia, ſonum efficiunt, vt patet experientiâ; ergò non ſolum in aere, ſed etiam in aqua fit ſonus.

ARTI-

ARTICVLVS II.

An ſonus realiter feratur vſque ad auditum.

PRima ſententia ait, ſonum realiter perferri vſque ad auditum, ex motione aeris. Prima ratio huius ſententiæ eſt; eadem eſt diſpoſitio ad generationem rei, & ad eius propagationem; ſed ſonus non generatur niſi per motum localem aeris; ergo idem propagatur vſque ad auditum. Secunda eius ratio, eſt auctoritas Ariſtotelis, qui hic tex.81. ait. ſonans mouet aerem vſque ad auditum, & tex.87. ait: ſonus eſt motus aeris, ſimile docet in pluribus alijs locis.

Secunda ſententia ait, ſonum eſſe in aere partim realiter, & partim intentionaliter; nam generatur realiter per aliquod ſpatium aeris, deinde intentionaliter propagatur vſque ad auditum. Itaque auctores huius ſententiæ volunt non eſſe neceſſarium, vt totus aer moueatur realiter vſque ad auditum. Ratio huius ſententiæ eſt, quia illi, qui ſunt ſub aquis vocem loquentis extra aquam audiunt; ſed ſonus realiter non perfertur in aquam cùm deberet aquam ſcindere; ergò intentionaliter, & non realiter fertur vſque ad auditum.

Mihi tamen hæc ſecunda ſententia videtur magis congruere rationi, & experientiæ. Probatur, quia non videtur veriſimile, quod cum vox alicuius audiatur per magnum ſpatium iſta pauca vox commouere poſſit totum aerem ſecundum omnes partes illius ſpatij; ergò non fertur aer realiter vſque ad auditum. Probatur antecedens, vox fit à commotione aeris ad aſperam arteriam, ſed hæc commotio non eſt tanta, vt poſſit mouere totum aerem, ſed ſolum aerem ori proximum; ergò non videtur veriſimile. Præterea ſi quis ſtilo ferreo definente in acumine percutiat campanam, editur ſonus, qui magno ſpatio auditur, & tamen non fit commotio totius aeris, quia aer, qui fuit motus in percuſſione campanæ à ſtilo fuit adeo exiguus, vt impoſſibile videtur poſſe mouere totum aerem, vſque ad auditum.

Pro-

Probatur ſecundò, quia ſi ventus vehemens flaret ab audiente verſus loquentem, audiens nihil perciperet, cùm maior eſſet motus aeris à vento ad partem oppoſitam, quàm motus aeris à locutione: ſed hoc eſt contra experientiam: ergò non mouetur aer realiter vsque ad auditum. Prætereà dùm vnus loqueretur cum alio, in cubiculo exiſtente candela in medio, aer deberet mouere flammulam, cum à voce loquentis moueretur versus audientem; ſed flammula non mouetur; ergò neque aer perfertur vsque ad auditum.

Ad rationem primæ ſententiæ. Reſpondo negando maiorem, quia maior diſpoſitio requiritur ad generationem, quàm ad propagationem.

Ad ſecundam rationem, ideſt auctoritatem Ariſtotelis. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, ſonus mouet aerem vſq; ad auditum, vel realiter, vel intentionaliter concedo antecedens; ſolum realiter nego antecedens, & conſequentiam.

QVAESTIO II.

De Echo, & Voce.

ARTICVLVS I.

De Echo.

SCiendum eſt, quod Echo nihil aliud ſit, quàm reflexio ſoni & vocis ad ſuum principium, à quo prouenit; ſicuti enim pila proiecta offendens in parietem, reſilit ad proiicientem, & lumen inueniens in medio aliquod impedimentum, reflectit ad ſuum principium, quemadmodum etiam reflectit imago videntis ſe in ſpeculo, ità & ſonus proueniens à ſuo principio, & inueniens in medio aliquod impedimentum, ideſt corpus durum, cauum, & leue, vlteriorem progreſſum impediens, redit ad ſuum principium, quæ reflexio Echo dicitur. Multæ conditiones requiruntur, vt fiat perfecta Echo.

Prima

Prima eſt vt ſtatim redeat ſonus. Secunda, vt clarè, & diſtinctè ſonum referat. Tertia, vt poſteriores ſyllabæ meliùs audiantur, cùm primæ à ſubſequentibus continuò prolatis deturbentur. Quarta, vt vociferans non ſit valdè propinquus, locis, in quibus fit echo. Quinta vt loca, in quibus facienda eſt echo, ſint vetuſta, concaua, & ſicca, quia ſonus ibi conglobatus fortior ad aures reſilit, licet in alijs etiam locis Echo fieri poſſit, in ripis nimirum magnorum fluminum propter planitiem, & æqualitatem aquarum, facilè vox ad alteram partem ripæ fertur, & ab eadem fideliter reflectitur ad ſuum principium, ideò echo clariùs auditur. Aliquando Echo multiplicatur, ideſt bis, tèr, aut quatuor, vel etiam quinque vicibus ſucceſſiuè in eodem loco audiri ſolet, dummodò ſit in debita diſtantia, ideſt quinquaginta paſſuum circiter, & hoc prouenit, quia vox reflexa ad proferentem, ſi inueniat obſtaculum, E.G. parietem, vel aliquid aliud, cùm vlteriùs progredi non poſſit, iterùm reflectitur ad eundem terminum, & ab illo propter obſtaculum, iam dictum, iterùm reflectitur ad clamantem, & ità Echo multiplicatur, vna tamen poſt aliam remiſſior eſt vſque ad abſumptionem.

Ad efficiendam Echo ſecundum maiorem, vel minorem vocem requiritur maior, vel minor diſtantia, regulariter tamen loquendo, requiritur diſtantia quinquaginta paſſum circiter, licet quidam dicant, ſufficere triginta; quandò verò locus eſt vicinior, vox non benè auditur; Ratio eſt, quia ferè eodem tempore redit ſonus, quo auditur primò productus, & quia hic eſt maior, non poteſt audire reflexum minorem: in minori verò diſtantia auditur ſonus, ſed, indiſtinctè; ſemper tamen in quacunque Echo poſteriores ſyllabæ, clariùs audiuntur, quàm primæ, cùm primæ, à ſecundis impediantur.

†

ARTI-

ARTICVLVS II.

De Voce.

VOx definiri ſolet motus aeris factus ab anima ad arterias per inſtrumenta vocalia ad aliquid ſignificandum.

Ex hac difinitione colligitur cauſam materialem vocis eſſe aerem per os attractum ad refrigerationem cordis, & generationem ſpirituum vitalium cuius deinde aliqua pars per compreſſionem muſculorum thoracis cum excrementis fuliginoſis cordis per aſperam arteriam foras expellitur, à cuius expulſione vox efficitur. Vnde colligitur modus, quo vox efficitur; nam compreſſis muſculis thoracis, & intercoſtalibus, aer ex pulmonibus per aſperam arteriam deducitur, ibique inueniens impedimentum epiglottidem, ad ipſius arteriæ partes alliditur; vnde ſonat, & vocem effingit, & pro varietate alliſionum, ſeù percuſſionum, & motionis expiglottidis fiunt variæ voces earumq; reflexiones.

Cauſa formalis eſt ipſa ſonora aeris ex thorace foras expulſi ad epiglottidem, & cauum gutturis facta colliſio. Cauſa finalis eſt expceſſio paſſionum, ac affectionum animæ.

Cauſa efficiens principalis eſt anima. Vnde nõ animata voce caret. Cauſa verò inſtrumẽtalis multiplex eſt prima ſunt pulmones, qui per violentam depreſſionem, & contractionem Thoracis à diaphragmate, & muſculis inter coſtalibus aerem foras expellunt, vnde animalia pulmones non habentia voces habere non poſſunt. Secunda eſt epiglottis, qui per ſuum varium motum varietatem, flexionem, & ſuauitatem vocibus tribuit.

Præterea ad vocem efficiendam concurrit aſpera arteria, larinx, lingua, palatum dentes &c.

Duplex eſt vox alia articulata, quæ reperitur in animalibus rationalibus per quam exprimunt, ac manifeſtant affectiones, & conceptus animæ.

Alia inarticulata, quæ reperitur in Brutis animalibus, quæ

per

per eam ſuum affectum tantum naturalem exprimunt.

Quæres an vox pſitaci ſit articulata.

Reſpondeo voces pſitaci, picæ aliorumque ſimilium animalium non eſſe articulatas, propter defectum cauſæ finalis; quia per eam non exprimunt conceptum animæ, cum talem conceptum non habeant, ſed ſolum naturalem paſſionem, licet analogicè tantùm dici poſſint articulatæ non per ſe, & primario, cùm non habeant animam rationalem, quæ eſt cauſa efficiens vocis articulatæ.

Sciendum præterea eſt, omnem uocem conſtare litteris vocalibus, & conſonantibus. Vocales fiunt, ſeù proferuntur ex gutture. Conſonantes verò ex dentibus, labijs, & palato, &c.

Vox articulata alia eſt bona, & omni vitio carens alia mala ſeù vitioſa. Vox bona vitio carens dicitur illa, quæ prouenit ab organis debitè temperatis, atque conformatis, vt eſt vox clara, lenis, libera, litteraſquæ omnes perfectè proferens. Mala, & vitioſa eſt, quæ oritur ab organis malè temperatis, & conformatis vt eſt vox rauca fuſca.

Variæ ſunt ſpecies bonæ, & vitioſæ vocis nempè magna, parua, grauis, & acuta, clara, & rauca, libera, & lenta, ac anela, flexibilis, & dura.

Vox magna eſt, quæ in multum longum, & latum ſpatium effundi poteſt. Vox parua magnæ oppoſita eſt, quæ in paruum, breue, & anguſtum ſpatium effunditur.

Vox grauis eſt quæ auditum ferè trudendo obtundit. Vox acuta graui oppoſita eſt, quæ auditum peruellit, & fodicat.

Vox clara eſt illa, quæ dicitur pura, & nitida, quæ facilè percipitur cui oppoſita eſt obſcura, & diſſona, quæ difficile percipitur.

Vox libera eſt, quæ celeritèr, & frequenter efformatur, cui oppoſita eſt impedita anguſta, & lenta, quæ tardè efformatur.

Vox flexibilis eſt, quæ facilè in diuerſos tonos, diuerſaſque intenſiones, & remiſſiones vertitur, cui oppoſita eſt dura, quæ ad diuerſos tonos difficile vertitur, Vnde diſſona, & inconcina denominari ſolet.

Quæres quænam ſint cauſæ tot varietatum vocum pro reſponſione. Sciendum eſt calorem magnum in principio informationis membrorum omnia ferè membra ampliora efficere, & èeontra paucum calorem omnia membra anguſtiora reddere. Vnde nimium calorem naturalem habentes organa vocis habent ampliora, & robuſtiora; & èeontra habentes paucum calorem naturalem organa anguſtiora habent, ideſt aſperam arteriam, muſculos thoracis &c. Præterea habentes ampliora, & robuſtiora organa multum aeris, & vehementiùs inſpirant ad refrigerationem cordis, atque illum expirant. Reſpondeo ad quæſitum ſingulis vocuum varietatibus ſingulas cauſas aſſignando.

Cauſa vocis magnæ eſt robur facultatis motiuę muſculorum thoracis, quæ multum aeris, & vehementem per amplam aſperam arteriam expirans magnam vocem efficit. Vndè, qui habet magnam vocem, habet multum calorem, ideòque ferè omnes libidinoſi ſunt.

Cauſa paruæ vocis eſt imbecillitas facultatis motiuæ muſculorum, quæ paucum aerem, & languidè per anguſtam aſperam arteriam expirans paruam vocem efficit.

Aduertendum tamen eſt, quòd contingere poteſt vt aliquis habeat aſperam arteriam anguſtam muſculos tamen thoracis, aliaque organa ampliora, & robuſtiora multum aeris, & vehementèr expirando per anguſtam aſperam arteriam magnam, & acutam vocem edat.

Cauſæ vocis grauis multæ eſſe poſſunt aliquando eſt longitudo aſperæ arteriæ, vt contingit in gruibus, & Cygnis, qui ob longitudinem aſperæ arteriæ vocem grauem habent aliquando eſt latitudo ipſius arteriæ, quæ aliquando prouenit à calore naturali, vt patet in adultis reſpectu puerorum, & in ridentibus reſpectu ad flentes; adulti enim, & ridentes propter maiorem copiam caloris, ampliorem habent aſperam arteriam, & conſequentèr vocem grauiorem edunt; Pueri verò calorèm debiliorem habent, ſicuti flentes, & timidi, quia eorum calor concentratur, & aſpera arteria anguſtior redditur, ideoque vocem acutiorem habent, aliquando eius cauſa eſt craſſities aeris flati,

qui

qui egrediens mollius impellitur, tum quia ob ſuam craſſitiem lingulam dilatat, vt patet in hyeme, qua omnes vocem grauiorem habent, quam æſtate.

Cauſa acutæ vocis eſt anguſtia aſperæ arteriæ laryngis, & epiglottidis, vt patet in pueris, & mulieribus Eunuchis, & decrepitis, qui vocem acutiorem habent, quia propter remiſſiorem calorem organa vocis anguſtiora habent, & licet pueri ſint calidi, ille tamen calor ab eorum magna humiditate ſupprimitur. Eunuchi habent vocem acutam ob anguſtiam aſperæ arteriæ, quæ in ipſis primò prouenit ex defectu caloris naturalis, quia deficiente virtute generatiua, quæ omnia membra fouet, atque calefacit remittitur calor naturalis membrorum; ſecundò, quia humor qui natura ad generationem erat deſtinatus, fertur ad aſperam arteriam, quam anguſtam reddit, qui humor cum etiam ad alia membra, & præcipuè ad pedes feratur ſemper eos tumidos habent.

Cauſa claræ vocis eſt duplex. Prima eſt leuitas aſperæ arteriæ, & laryngis, ac epiglottidis. Secunda eſt puritas, ac tenuitas aeris efflati cum libero ducto narium, & oris.

Cauſa vocis raucæ in quibuſdam eſt impedimentum ductus narium, vt contingit in voce gruum; in quibuſdam eſt aſperitas, & ſiccitas aſperæ arteriæ, quæ aliquando habetur à natiuitate. In quibuſdam prouenit ab aliquo humore vitioſo, vt euenit in catarrho.

Cauſa vocis liberè eſt puritas, & tenuitas aeris, & motus organorum ſpiritalium, facilis, ideſt pulmonum, muſculorum thoracis, &c.

Cauſa vocis flexibilis eſt bona conſtitutio organorum vocis, & præcipuè facilis contractio, & laxitas muſculorum, & epiglottidis.

Cauſa vocis lentæ & anhelæ eſt craſſities aeris emiſſi, motus difficilis muſculorum thoracis, & laryngis.

Cauſa vocis duræ & inflexibilis ſunt omnes oppoſitæ cauſæ vocis flexibils.

Præter defectuoſas voces, quas ſuperius explicauimus dantur, & aliæ nempè balbuties, & blaſſitas.

Vox balbuties primò dicitur illa, qua ægrè loquens in prolatione ſyllabarum hærens, eſt coactus eandem ſyllabam multoties repetere.

Secundo dicitur illa, quæ loquens litteras iſtas, nempè N. K. L. R. Q. proferre non poteſt.

Vox bleſſa dicitur illa, qua loquens aliquam ſyllabam intermediam omittens, primam ſyllabam vltimis connectit.

Cauſa vocis balbutiei eſt multiplex; aliquandò enim eſt nimia humiditas linguæ, ob quam lingua ad duriores, & difficiliores litteras articulatas inhabilis redditur, qui defectus in progreſſu ætatis ſicceſcentibus partibus corporis corrigitur, vt continguit Demoſtheni, & alijs. Aliquando cauſa balbutiei eſt breuitas linguæ ob quam dentibus applicari non poteſt, quãtum requiritur ad aliquas literas proferendas.

Aliquandò eſt nimia durities fili, ſeu freni linguæ, ob quam verſus palatum ſe vertere, eleuare, ac flectere non poteſt, quantùm ad quamcumque litterarum prolationem requiritur. Vndè in prolatione quidam mutant R. in L. vt E. G. prò triticum dicunt tliticum; quidam verò totaliter tollunt in dicendo ergò, dicunt ego; quidam mutant literam K in T, & quidam in alias ex ſupradictis defectibus.

Cauſa vocis bleſſæ, ſeu bleſſitatis eſt nimia mentis celeritas ad exprimendum ſuum conceptum, cum lingua mentis velocitatem aſſequi nequeat, efficit vocem totaliter defectuoſam, quòd, vt plurimùm, euenit melancholicis.

QVAESTIO III.

De inſtrumento auditus, & reſpiratione.

ARTICVLVS I.

De Inſtrumento auditus.

AD auditum plura concurrunt, nempè Amfractus tympanus, cordula tria oſſicula in vnaquaque aure oſſiculorum muſ-

muſculi, nerui auditorij, multaque alia Amfractus eſt tortuoſa via incipiens ab Aleolo, ideſt ab illo foramine, quod à nobis videtur vſque ad neruum auditorium.

Amfractus, ſeù tortuoſa via diuiditur in tres partes. Prima dicitur pelluis, quæ incipit à tympano vſquè ad labyrinthum; Secunda eſt labyrinthus, qui incipit à pellui vſque ad foramen cæcum. Tertia eſt, foramen cæcum, quod à labyrintho progreditur vſque ad neruum auditorium.

Tympanus eſt membrana denſa, & tenſa, tenuis valdè ſenſitiua, extenſa inter aleolum, & pelluem, in quo tympano implantatus eſt aer ſubſtantiæ tenuis, vt in eo imprimētur ſpecies ſoni, ſunt etiàm ibi duo foraminula verſus palatum, ſunt etiàm ibi tria oſſicula, quæ malleus, ſtapes, & incus dicuntur cum quadam cordula, quæ dicitur tendo, longa ab vno latere tympani ad alterum protenſa, quæ oſſicula aurium affigit iuxtà tympanum. Oſſicula hæc, & cordula ità ſonum diſtinguunt, quemadmodum dentes vocem.

Prò intelligentia modi, quò fit auditio ſciendum eſt, corpus ſonorum, quale eſt Campana, E. G. in aere ſibi vicinum excutere, & imprimere ſonum, qui intra ſphæram ſuæ actiuitatis diffunditur vſque ad aures, & ingrediens per aleolum, ferit tympanum; & tympanum ità pulſatum mouet oſſicula cum cordula illa, quo motu imprimitur caracter ſoni in ipſo aere implantato, qui per amfractum eum ſonum defert ad neruum auditorium, quod eſt præcipuum auditus inſtrumentum.

Quæres, cur aures hominis ſint immobiles, aliorum verò animalium ſint mobiles.

Reſpondeo. quia cùm homo ſit animal erecto corpore poſſit flectere caput quocumque verſus, & in omnem partem torquere, ideò non opus fuit motio aurium, cætera verò animalia, cum non poſſint Caput in omnem partem torquere, mobiles a natura habuerunt aures.

Quæres, cùr aures ſemper patent, & oculi clauduntur?

Reſpondeo quia ſemper indigemus hoc ſenſu, dùm etiam dormimus: cæteri enim ſenſus quieſcunt, auditus verò vigilat:

audito

audito enim ſono excitamur à ſomno; Vnde ſenſus, auditus maximè excitat motum, & affectum animæ, vt patet in ſono bellico, qui mouet milites ad bellandum.

Quæres cur aures ſunt locatæ à latere, & non in anteriori parte corporis. Reſpondeo, quia ſi eſſent in anteriori parte magis offenderentur ab aere, & ventis cum ſemper pateant.

ARTICVLVS II.

De Reſpiratione.

RESpiratio aliquando accipitur ſtrictè, & aliquando amplè, reſpiratio ſtrictè ſumpta ſignificat motum, per quem fit attractio aeris ad pulmonem, & ſic accepta reſpiratio non reperitur in omnibus animalibus.

Reſpiratio amplè ſumpta ſignignificat quamcumque attractionem ad refrigerandum calorem, ſiue hoc ſit aer, ſiue aqua. Vndè fit quod Ariſtoteles loquens de reſpiratione ſtrictè, ait, piſces non reſpirare, & loquens de reſpiratione amplè fatetur, piſces reſpirare.

Sciendum eſt, reſpirationem inuoluere duplicem motum; vnus dicitur inſpiratio, quæ eſt attractio aeris per os, & nares ad cor, & pulmones, alter dicitur expiratio, quæ eſt expulſio, ſeu egreſſio aeris, & fuliginum à corde, & pulmonibus per os. In reſpiratione cor, & pulmones dilatantur, in expiratione contrahuntur; motus inſpirationis, & expirationis eſt omninò ſimilis motui, qui fit à follibus; folles enim per ſublationem, ſeu dilationem aere implentur, & per compreſſionem illum foras expellunt, ità, & pulmones, & cor per dilatationem trahunt aerem, per contractionem illum expellunt; Vndè reſpiratio non eſt vnus motus, ſed duo, dilationis, & conſtrictionis; quæ reſpiratio tribus modis cognoſcitur. Inquit Scaliger. Primò, ex motu oris. Secundò ex tactu pulſus. Tertio, ex voce; omne enim animal, quod vocem edit, reſpirat.

Quæres an, reſpiratio ſit motus naturalis, an violentus? Reſpon-

pondeo, eſſe partim violentum,& partim naturalem,eſt quidem violentus ratione aeris. Nam attractio aeris intrò, & expulſio foràs non ſunt motus naturales, cùm non attrahatur, & expellitur à ſe ipſo, ſed ab alio; quod confirmatur ex Ariſtotele 7. phyſic. tex. 10. vbi inter motus violentos enumerat hos duos motus, attractionis, & expulſionis: eſt naturalis, ratione efficientis. cùm fiat à natura per inſtrumenta naturalia,& etiam eſt naturalis ratione finis, quia eſt inſtitutus à natura ad refrigerationem cordis.

Dubitatur, an reſpiratio, ſit motus voluntarius, an verò naturalis, ſeù neceſſarius. Magna controuerſia eſt inter medicos, & philoſophos; Galenus enim libro de reſpiratione ait, eſſe motum voluntarium. Ratio eius eſt, quia motus voluntarius fit per neruos, & muſcolos; ſed reſpiratio fit per neruos, & muſcolos, ergo eſt voluntarius. Secunda ratio eſt, quia reſpiratio poteſt pro arbitrio noſtro moderari, & temperari, ergò eſt motus volontarius. Auerroes ſecundo Col. cap. 19. cum multis aliis philoſophis ait, eſſe motum naturalem, ſeu neceſſarium. Ratio eius eſt, motus voluntarius prouenit ex electione, & cognitione: reſpiratio fit ſine cognitione, & electione, ergò non eſt voluntarius. Secunda ratio eſt, ille motus, qui fit etiam nobis inuitis, non eſt voluntarius; ſed ità ſe habet reſpiratio: ergò non eſt motus voluntarius.

Tertia ratio eſt, reſpiratio fit ad refrigerationem; ergò fit neceſſariò, & non voluntariè. Reſpiratio enim ita eſt conexa cum vita, vt ablata reſpiratione, tollitur & uita.

Mihi tamen videtur vtraque ſententia vera, ſub diuerſa tamen ratione, & explicatione; quatenùs enim motus reſpirationis fit à muſculis, & diaphragmate non eſt dicendus merè neceſſarius, & ſic eſt vera ſententia Galeni; quatenus verò ſit nobis non cogitantibus, eſt neceſſarius, & ita bene dixit Auerroes.

Quoad finem reſpirationis patet, quod finis primarius ſit attractio aeris ad refrigerationem cordis, & generationem ſpirituum uitalium: finis ſecundarius ſit expulſio fuliginum à corde cuiuſcumque alterius excrementi.

Qua-

Quæres, an pulmo moueatur ſe ipſo, an ab aliquo alio?

Dico cum Galeno de loc. aff. cap. 5. & lib. 5. cap. 2. & 3. Auic. Fernelio, & alijs pluribus moueri à diaphragmate, quod eſt principale inſtrumentum motus in pectore; & ratio videtur eſſe: quia quidquid ſe mouet, mouet per neruos; ſed pulmo neruis caret; ergò ſe ipſo non mouetur; ſecunda ratio eſt, pulmo mouetur ad motum cordis; ergo ab alio mouetur.

Dubitatur, an omnia animalia reſpirent. Ad hanc dubitationem iuxta diuerſitatem animalium, & etiam reſpirationum diuerſimodè eſt reſpondendum.

Dico primò, omnia viuentia non ſolùm animalia perfecta, & imperfecta, ſed etiam plantas tranſpirare; tranſpiratio eſt reſpiratio omnium partium corporis; quod plantæ tranſpirent, patet; videmus enim, plantas ab aere ambiente temperato refrigerari, ex aere nimis frigido exſiccari, ex nimis calido areſcere. Vnde poni ſolent lapides circa radices ne exſiccentur, & irrigari ſolent, nè areſcant, &c.

Dico ſecundò, animalia terreſtria ſanguinea, pulmonem habentia, reſpirare reſpiratione propria, & quò maiorem calorem habent, eò maiori reſpiratione indigent. Ratio eſt, quia finis reſpirationis eſt attemperatio caloris cordis; ſed animalia terreſtria ſanguinea habent magnum calorem; ergò indigent reſpiratione, & alijs maiore.

Dico tertio, animalia terreſtria exanguia; vt ſunt vermes, muſcæ, veſpes, ſcarabei, & alia quæ cum habeāt exiguum calorem, reſpiratione propriâ non indigere, ſed ſufficienter refrigerari à cibo, & aere ambiente ſine vlla attractione aeris per os.

Dices, illa, quæ vocem edunt, reſpirant propriâ reſpiratione; ſed multa animalia terreſtria exanguia, vt ſunt apes, culices, veſpæ, cicadæ, multaque alia, uocem edunt; ergò reſpirant reſpiratione ſtrictâ. Reſpondeo diſtinguendo maiorem, illa, quæ edunt vocem, propriam, à pulmonibus per os prouenientem, reſpirant, concedo maiorem, illa, quæ non a pulmonibus per os, & alia inſtrumenta vocalia, ſed ſonum, ſeu bombum aliundè edunt, reſpirant, nego maiorem, eodem modo diſtinguenda eſt minor, & neganda conſequentia; ſuperiùs enim

dicta

dicta animalia ſonum illum non edunt per os, ſed quandam membranam tenuem, quam habent ſub ſeptotranſuerſo, quâ poſſunt dilatari, & conſtringi ad eum modum, quo piſces mouent bronchias; agitatione igitur huius membranæ, & attritione aeris ad eam refrigerantur, & ſonum, ſeu bombum edũt, ad eum modum, quo pueri perforata arundine, & ſuper impoſita membranula, ſonant.

Scaliger exer. 223. ait, ſuperius dicta animalia ſonum edere alis, quia edunt bombum ſimilem illi, qui fit à linea regula tenui funiculo alligata, dùm circumuoluitur. Vndè ſonum hũc edere non ſolent, niſi dùm uolant; ergò, &c.

Reſpondeo Scaliger ſic decipitur, primò, quia cicadæ, grilli, aliaque plura ſimilia animalia ſonum edunt, & canunt etiamſi non moueantur; Secundò, quia muſcæ, culices, & alia ſimilia, cùm habeant exiguum calorem; non poſſunt allidere aerem ad huius modi membranam, niſi moueantur, & per motum incaleſcant, ideò dùm quieſcunt, non edunt ſonum; grilli uerò, cicadæ, & alia; quia plus habent caloris, canunt etiamſi non moueantur; & cum in meridie maiori egent refrigeratione ob maiorem calorem, qui tunc uiget, magis etiam canunt, ob maiorem attritionem aeris ad illam membranulam.

Quoad piſces inter aquatilia quædam indifferenter mari, & terra vitam degunt, vt ſunt Cocodrillus, vitulus marinus, multaque alia, & iſta reſpirant propter refrigerationem aeris, & aquæ patet in Delphino, qui dormit elato capite extra aquam, & ſi in rete comprehenſus diù retineatur, ob prohibitam reſpirationem, ſuffocatur; quædam verò ſunt merè aquatilia, quæ pulmone carent, & iſta ſumunt refrigerationem per bronchias.

Dices, animalia calidiora indigent maiori refrigeratione; ſed animalia terreſtria per vos ſunt calidiora; ergò indigent maiori refrigeratione; ſed magis refrigerat aqua, quàm aer; ergo vel animalia terreſtria ſunt refrigeranda aquâ, & non aere, vel non ſunt calidiora aquatilibus.

Reſpondeo deſtinguendo maiorem, indigent maiori refrigeratione, id eſt celeriori, & temperata, concedo maiorem, aliàs

refrigeratione, nego maiorem, & diſtinguo conſequens; terreſtria indigent refrigeratione celeriori, & temperatâ concedo conſequentiam: ſummam refrigerationem nego conſequentiam; ad ſubſumptum dico, quod aqua non attemperaret calorem cordis, ſed illum extingueret, & interiret. Vnde aqua ore attracta, quâ piſces refrigerantur, non peruenit ad cor, ſed ſtatim exit per fiſtulas: aer verò celeriùs, & temperatè refrigerat; præterea animalia terreſtria, cùm habeant ſanguinem, & ſpiritus tenuiores, indigent aere ad refrigerationem, piſces verò, cùm habeant ſanguinem, & ſpiritus craſſiores, ad refrigerationem indigent aquâ, quæ aere craſſior eſt.

Dices, piſces trahunt aerem ab aqua, & reſpirant, ſicut Talpa, quæ viuit ſub terra, trahit aerem & reſpirat, ergò omnia animalia aerem reſpirant. Reſpondeo negando antecedens intra aquam non eſt aer, cùm in illa non ſint concauitates, in quibus ſit incluſus aer, vt eſt in cauitatibus terræ quem Talpa, & alia ſub terra viuentia attrahunt, & reſpirant: Et ſi in aqua eſt aliquid aeris, ſtatim foras expellitur, vt patet in bullis, quæ veniunt aliquandò in aqua per expulſionem aeris.

Occaſione reſpirationis dicemus breuiter quidnam ſit pulſus: pulſus eſt motus cordis, & arteriarum proueniens à virtute pulſifica cordis ad conſeruationem vitæ; pulſus inuoluit duplicem motum, cordis nimirùm, & arteriarum, dilationem, & conſtrictionem; per dilationem aer attrahitur ad cor, per conſtrictionem, expelluntur fuligines à corde, quod eſt idem, ac inſpiratio, & expiratio, de quibus ſuperiùs diximus: dilationem cordis, ſeu inſpirationem aeris ad cor Medici appellant Diaſtole, conſtrictionem cordis, ſeù expirationem, ideſt expulſionem aeris, & fuliginum à corde appellant Syſtole. Dum cor eſt temperatum, æqualem efficit diaſtolem, & ſyſtolem, ideſt inſpirationem, & exſpirationem; dùm verò habet plus caloris, facit diaſtolem celeriorem, cùm indigeat maiori refrigeratione, & ſi virtus ſit valida, efficit celerem, & magnam; ſi verò ſit debilis, efficit celerem, & paruam, dum habet plus fuliginum, facit ſyſtolem celeriorem; conatur enim cor expellere à ſe omne ſuperfluum, & nociuum, vt in benè ualentibus

ſiſtole,

Digitized by Google

ſiſtole, & diaſtole ſunt æquales, in febricitantibus verò ſi ſit maior neceſſitas caloris, cor efficit diaſtolem celeriorem, quam ſiſtolem; ſi verò ſit maior neceſſitas fuliginum, efficit ſiſtolem celeriorem: cætera verò de pulſu, cùm pertineant ad medicum, hic omittimus.

DISPVTATIO IV.

De Senſu, Odoratus, Guſtus, & Tactus.

QVAESTIO I.

De ſenſu Odoratus.

POST tractationem de auditu, agendum de odoratu, qui explicatu difficilis eſt, tùm propter imbecillitatem ſenſus odoratus hominis; tùm etiam propter varietatem ſpecierum odoris, pro quo eſt.

ARTICVLVS I.

De obiecto Odoratus.

ODOR eſt qualitas in mixto inhærens ex actione caloris, & paſſione humoris, & ſiccitatis orta, efficiens ſenſum odoratum.

Ex hac definitione oritur difficultas, an odor conſiſtat in humido, an vero in ſicco, pro qua dubitatione breuiter Dico. Odorem tribui ſicco, & hoc patet in corporibus odoriferis, nimirum in aromatibus, quæ ſicca ſunt. Præterea in temporibus ſiccioribus odores præſtantiores ſunt; in roſis enim, violis, & alijs floribus, qui licet magna ex parte ſint naturæ humidæ, exteriores tamen partes, ex quibus prouenit odor ſunt ſiccio-

res. Vnde ſi illis priuentur, non habent ampliùs odorem. Odores enim, qui proueniunt ab humido corpore, dici ſolent fœtores, & non odores; per hoc igitur differt odor à fœtore, quia odor ſiccus eſt, & prouenit à corpore ſicco: fœtor verò humidus eſt, & prouenit à corpore humido, vt patet in corporibus putrefactis, qui propter nimiam humiditatem malè olent, atque fœtent.

Præterea odores non generantur in Regionibus frigidis, vt ſunt ſeptentrionales, cùm in iſtis calor langueat, humor ibi fluẽs inodoratus eſt, neque in Regionibus nimis ſiccis, & aridis, vt patet in Africa, in qua nimia ſiccitas abſumit totam humiditatem, vnde humores ibi geniti inodorati ſunt; generantur igitur in Arabia odorifera, ac fœlici Orientem verſus, in qua calor ità attemperatus eſt, & attemperat humores, vt omnes odoriferos reddat, odor ergò tribuendus eſt ſicco, & non humido.

Difficultas tamen eſt, an odor à corpore odorabili vſque ad odoratum tranſmittatur realiter cum aliqua fumoſa euaporatiône, an verò perueniat intentionaliter tantùm, E.G. thus, vt odorem mittat, inijcitur in ignem, vbi fumat, & ſpirat quendam vaporem, & odorem, & hoc manifeſtum eſt in Thure; an nimirùm, hoc idẽ fiat in omnĩ corpore odorabile; an verò corpus odorabile citra exhalationem producat quandam qualitatem intenſionalem odoris, quæ peruenit vſque ad odoratum, ſicuti facit ſonus.

Prima ſententia ait, odorem ſemper incidere in aliquam exhalationem ſpumoſam, neque ab ea poſſe diſiungi, ſed cum ea perferri vſque ad odoratum; quam exhalationem, inquit, aliam eſſe craſſam, & manifeſtam oculis, vt eſt exhalatio in Thure. Aliam verò tenuem, vt eſt in pleriſque alijs corporibus; Vndè nunquam ſeparari poteſt ab hoc vapore: eſt ſententia Auicennæ ſexto ſuorum naturalium cap. de odore, & aliorum.

Quod autem odor ſemper exeat ex corpore fumoſo, ſic probat; ſi odor non fertur realiter vſque ad odoratum; ergò fertur intenſionaliter; cùm non ſit alius modus; ſed non poteſt ferri inten-

intenſionalitèr, quia corpora, quæ producunt odores, deprehenduntur nimis langueſcere proptèr emiſſionem odoris, quod non eueniret, ſi talis emiſſio odoris eſſet intenſionalis.

Probatur ſecundo, ſi poſſet odor ferri intenſionaliter non haberet vim corroborandi cerebrum, & cor; ſed habet vim corroborandi; ergò non fit intenſionalitèr, ſed realitèr.

Secunda ſententia ait, odorem habere duplex eſſe, vnum reale, & in corpore odorabile, alterum intenſionale, & in medio, ideoque odorem non ferri realiter vſque ad odoratum, ſed intenſionalitèr, licèt odor in medio ſit minùs ſpiritualis, quàm eſſe coloris; ſicuti, & ipſe color eſt magis materialis, quàm odor, vel lumen. Hæc ſententia eſt Auer: de ani. com. 13. quæ ſic probatur primo; Odor ſentitur per aliquod ſpatium vndique, ſi odor excitetur in hoc loco, ſentitur in omni parte; ergò odor eſt fuſus per totum hoc ſpatium. Vndè ſi odor eſſet ſemper coniunctus cum exhalatione etiam exhalatio eſſet coniuncta per totum hoc ſpatium.

Quærit hæc ſententia, vbi eſt exhalatio eſt nè aer, vel non? ſi dicatur ſecundum, falſum eſt, quia tunc non reſpiraremus, cùm non poſſit fieri reſpiratio ſine aere: ſi verò dicatur primum; ergò erunt duo corpora ſimul, quod eſt falſum, conſequenter non eſt veriſimile ibi eſſe exhaltationem.

Prætereà ſi odor deberet perferri cum exhalatione vſque ad odoratum; ergò odoratus eſſet quidam tactus, quia vel perfertur vſque ad odoratum, vt tangatur, (& hoc eſt contra Ariſtotelem), vel non perfertur vſque ad odoratum, ſed pro aliquo ſpatio, & ſic non eſt neceſſarium perferri vſque ad odoratum; ergò &c.

Probatur ſecundo, ſi feratur exhalatio cum odore omnium corporum odorabilium, fieret notabilis diminutio odoris, quando emitterent odorem, quod eſt contra experientiam, quia ſunt quædam corpora odoratiſſima, quæ nunquam diminuuntur, ſed ſemper olent.

Probatur tertio euaporatio cum qua eſſet coniunctus odor, eſt calida, ſicca, & ignea; ergò neceſſario ferri deberet tantùm ſurſum; ſed hoc eſt contra experientiam, quia ſi odor fiat in ali-

quo

quo loco,non ſolum ſentitur ab his,qui ſunt infrà locum illum, ſed ſupra, & etiam ſub aquis à piſcibus, quod contingere non poſſet, ſi odor eſſet vnà cum exhalatione;primò quia exhalatio illa non poſſet ferri deorſum, quia corrumperetur ab aqua, cùm ſint contrariæ qualitates.

Dico primò, dari quædam corpora, quæ non emittunt odorem ſine aliqua exhalatione, vt Thus, & dari quædam alia,quæ emittunt odorem ſinè exhalatione,quia ſunt valdè terrea, ſicca, & dura. Vndè qualitas odoratiua eſt valdè compreſſa, & infixa in ipſis, ideoque debent, vel contundi, vel humectari, vt partes terreæ ſecernentur, & aliæ partes poſſint fundere odorem.

Dico ſecundo, non eſt neceſſe ſemper odorem perferri cum exhalatione. Probatur ex Ariſtotele in libro de ſenſu, & ſenſili Cap. de odoribus, vbi ait neque eſſe vaporem, nequè exhalationem,non eſſe vaporem, quia vapor eſt frigidus, & humidus: Odor verò cum exhalatione eſt calidus, & ſiccus. Neque eſſe exhalationem, quia exhalatio non poteſt ferri in aqua; odor verò ferri poteſt, Piſces enim odorantur in aqua; & idem Ariſt. in duodecima ſectione problematum docet, odorem non eſſe vaporem,nequè aquam,neque exhalationem;quia ſi eſſet exhalatio oporteret valdè minui corpora, à quibus prouenit odor; ſed plura corpora odorifera nunquam minuuntur; ergo &c.

Dico tertio,odorem ſucceſſiuè generari vſque ad odoratum. Ratio cur ſucceſſiuè eſt, quia inuenit aliquam reſiſtentiam in aere: odor enim requirit quamdam diſpoſitionem in aere, quæ prout eſſet maior, vel minor, ità etiam magis, vel minus celeriter peruenit ad odoratum, quam diſpoſitionem, licet aſſignare difficile ſit, mihi tamen videtur eſſe craſſities, uel impuritas medij, ideſt aeris.

Dico quarto, odorem eſſe realiter in aere, vſque ad odoratum, licèt multi docti oppoſitum teneant; ego tamen ducor ad hanc ſententiam propter experientias,quæ negari non poſſunt.

Prima enim experientia eſt, quia odor non ſentitur niſi quia eſt in aere prope naſum: non enim ſe habet ſicuti color, & ſonus; per ſonum enim cognoſco obiectum ſonans; per ſpeciem

coloris colorem, per odorem non cognoſco diſtantiam odorabilis, vel ipſum adorabile, & ſi illud percipiatur, non eſt propter odorem ſed propter ratiocinationem.

Secunda experientia eſt, ſi corpus odorabile ſit in aliquo vaſe inter veſtes, quæ ſi admoueantur, odorant per multum tempus: nullus enim negabit in illis veſtibus eſſe odorem realem, prætereà odor habet vim corroborandi cerebrum, & temperandi qualitatem illius cerebri; ſed non poſſet temperari, niſi odor eſſet realis; ergo odor perfertur vſque ad odoratum realitèr, & conſequentèr eſt qualitas realis.

Quæres, an odor nutriat? Reſpondeo, odorem non nutrire, quod fusè probauimus, agentes de facultate nutritiua articulo primo, quæſito primo.

ARTICVLVS II.

De organo odoratus.

ORganum odoratus eſt naſus, infrà frontem poſitus, ſupra os, inter oculos in medio faciei locatus.

Naſus diuiditur in externum, & internum; externus eſt illa pars faciei in medio prominens, qui ex ſe patet; naſus internus conſtituitur ex internis olfactus inſtrumentis, quæ varia ſunt nempè oſſa, nerui, multaque alia, de quibus ſingulis hìc dicemus: in naſu ſunt quatuor oſſicula, quorum duo formant naſum, ſeù carinam naſi, tertium os, quod Ecphyſis dicitur, diſtinguit ſuperiorem partem ductus narium ad inuicem, & ſubſtentat carinam, ideſt ſuperiorem protuberantem partem, quæ à duobus oſſiculis ſuperius dictis, informatur. Quartum os dicitur Ethmoides quod eſt ſpongioſum, rarum, in ſummitate naſi intra caluarium poſitum per quod tranſcolatur mucoſum excrementum cerebri, vndè à quibuſdam dicitur os cribroſum; ſunt ibi duo nerui, qui à cerebro prouenientes, terminantur ad os Ethmoides, qui nerui à quibuſdam appellantur proceſſus olfactorij, à quibuſdam apophyſes mamillares, quos natura ibi

loca-

locauit, atquè inſtituit, vt per eos materiam mucoſam à Cerebro foras expellat, expiret, & trahat ad ſe aerem: Ex quorum obſtructione à materia mucoſa odor percipi non poteſt; ſunt prætereà duo foraminula à ſummitate naſi ad fundum palati, per quæ reſpiramus etiàm ore clauſo; ſunt etiàm duo alia foramina ad oculos, quæ ſatis explicauimus, agentes de organo viſus: Sunt etiàm in ſuperiori parte naſi duæ carunculæ, quæ dicuntur carunculæ mamillares, cùm ſint ſimiles papillis mammillarum, ſunt multa alia quorum cognitio non facit ad rem præſentem.

His ergò explicatis, quæritur cuius naturæ ſit organum odoratus? Ariſtoteles in libro de ſenſ. & ſenſ; ait, eſſe aqueum, quod declarat vicinitas eius cum cerebro; Auer: in ſecundo col. ait, eſſe igneum. Alij verò aiunt, partim eſſe aqueum, & partim aereum.

Dico breuitèr, organum odoratus ſecundum ſuam naturam, ſeù naturalem conſtitutionem eſſe frigidum, & humidum; & hoc indicat coniunctio eius cum cerebro. Probatur tamen, organum odoratus, vel eſt ex ſubſtantia cerebri, vt volunt medici, & ſic eſt frigidum, & humidum, vt eſt etiam ſubſtantia cerebri; vel eſt ex ſubſtantia narium, quæ eſt cartilaginea, & ſic erit frigidum, & humidum, cum cartilago ſuâ naturâ frigida, & humida ſit; ergò quomodocumque accipiatur organum odoratus, frigidum, & humidum eſt.

Quæres, cur organum odoratus à philoſophis dici ſoleat partim aereum, & partim aqueum? Reſpondeo, quia illa, quæ ſunt odorabilia partim odorantur in aere, & partim in aqua, & etiam dicitur igneum quatenus actu eſt affectum ab odore, quia vt ait Ariſtoteles, ſenſus in actu eſt ſimilis ſenſibili.

Magna controuerſia eſt de loco, in quo percipitur odor. Galenus numero octauo de vſu partium ſecundo de placitis Platonis, & Hip. & in libello, quem ſcripſit de odoratu ait, vim odorandi eſſe in confinio cerebri, & narium; nempè in illis duabus carunculis mamillaribus correſpondentibus binis meatibus narium, vndè inquit, læſis illis carunculis, aut vitiatis, vel corruptis tollitur actio odorandi, illis autem integris etiamſi

læſæ

læſæ ſint nares, adhuc tamen fit actio odorandi.

Auerroes ſecundo col. cap. 17. & 2. de anima com. 100. ait inſtrumentum olfactus eſſe nares. Ratio eius eſt, quia Ariſtoteles 1. de hiſtoria animalium cap. 11. per nares, inquit, ſubminiſtrari olfactum, & 2. de partibus cap. 16. ait: organum diuerſificari diuerſitate narium. Secunda ratio eius eſt, quia niſi nares eſſent organum odoratus eſſent carunculæ mamillares; ſed hoc eſt impoſſibile, quia cùm ſint eiuſdem ſubſtantiæ, cum cerebro, ſunt inſenſibiles, vt docet Ariſtoteles ſecundo de partibus cap. decimo.

Quidam alij putant, vim odorandi conſiſtere in operculo, ſeù membrana in ſuperiori parte narium poſita; & Ratio eorum eſt, quia Ariſtoteles ſecundò de anima, vbi loquens de reſpiratione, per quam odorantur animalia, in ſuperiori parte narium, inquit, eſſe quoddam operculum, quod ſubindè eleuatur, & deprimitur, ad ducendum ſpiritum, ſinè cuius eleuatione non poteſt fieri odoratio.

Difficile eſt prò certo de hac re aliquid ſtatuere, & Ariſtoteles dicit; uim ſentiendi odores, eſſe in ſuperiori parte narium, ſed non determinat in quonam ex illis, ibi exiſtentibus, an nimirum intrà, an ſupra operculum, an in carunculis mamillaribus, an verò in neruulis, &c.

Dico primò, carunculas mamillares non poſſe eſſe organum olfactus. Probatur, illud, quod eſt expers ſenſus, non habet uim ſentiendi; ſed carunculæ mamillares ſunt expertes ſenſus; ergo non habent vim ſentiendi, ſicuti eſt ſubſtantia cerebri.

Secundò, omnis ſenſus, & motus habetur per neruos, ſed carunculæ mamillares carent neruis; ergò carent, & vi ſentiendi odores.

Tertio, iſtæ carunculæ non ſunt capaces ſenſus tactus, qui reperitur in omnibus ſenſibus; ergò neque ſunt capaces ſenſus odoratus.

Quarto. Carunculæ mamillares non reperiuntur, niſi in animalibus, quæ reſpirant; ergò in iſtis mamillis non eſt ponenda virtus ſentiendi odores; cum etiàm animalia, tales carunculas non habentia, ſentiant odores.

Dico ſecundò, vim ſentiendi odores, non eſſe ponendam in naribus. Probatur, quia obſtructis naribus poſſumus odorare per os, cùm odor per meatus ſuperiùs dictos ab ore peruenire poſſit ad cerebrum, quod de facto experimur: nàm ſentimus odores ciborum in ore exiſtentium; & etiàm corruptorum in ſtomacho; ergò vis ſentiendi non eſt ponenda in naribus, cùm ſine illis odor percipi poſſit.

Ad rationem Auer. Reſpondeo, Ariſtoteles ibi accipit totum prò parte, ſicuti dicimus oculum eſſe inſtrumentum viſus; propterea dicit ibi, ideſt de hiſtoria animalium, nares ſubminiſtrari, ideſt inſeruire ad olfactum.

Ad alios philoſophos dicentes, vim odorandi conſiſtere in operculo. Reſpondeo, operculum poſitum ab Ariſtotele, vt puto, non reperiri in ſuperiori parte narium, niſi intelligat anguſtos meatus, qui aperiuntur, vt ingrediatur odor, dilatantur, & conſtringuntur in reſpiratione.

Dico igitur, vim ſentiendi odorem conſiſtere in neruulis, qui ſunt expanſi in extremitatibus narium. Probatur, in neruis ſunt ſpiritus animales, & facultas ſenſitiua, tàm inſita, quàm influens: ergò in illis neruulis ponenda eſt virtus odorandi. Confirmari poteſt ex Galeno lib. de inſtrumento olfactus, vbi ait: ideò os cribroſum non poteſt eſſe organum odoratus, quia non habet tactum, qui ab omnibus alijs ſenſibus ſupponitur; ſed tactus conſiſtit in neruis, vt infrà probabimus; ergò in illis neruulis eſt vis ſentiendi odores.

Huic ſententiæ aſſentiri videtur Ariſtoteles ſecundò de anima, vbi ait: niſi eleuetur operculum, quod eſt intra nares, animalia odorem percipere non poſſunt, quia eleuato illo operculo, meatus dilatantur, & odor peruenit ad neruulos, in quibus eſt vis ſentiendi odores.

Quæres, an odoratus hominis ſit eiuſdem rationis cum odoratu aliorum animalium? Reſpondeo eſſe eiuſdem rationis, & Probatur, quia niſi eſſent eiuſdem rationis, non eſſent quinque ſenſus; ſed ab Ariſtotele, & alijs philoſophis quinque ſenſus enumerari ſolent; ergò ſunt eiuſdem rationis.

Probatur ſecundò, quia venatores teſtantur, canes in pratis odori-

odoriferis minus percipere feras, quia odoratus eorum perturbatur Odore florum; ergò animalia percipiunt odorem, etiam illum, quem percipiunt homines, conſequenter eius odoratus eſt eiuſdem rationis cum odoratu aliorum animalium.

Confirmatur hoc ex Ariſtotele ſect. decimatertia probl. 4. & 9. a Theophraſto 6. de cauſis plantarum c. 5. vbi docet: odore Panteræ plurimum delectari alias beſtias, quo artificio Panteram vti ad alliciendas alias beſtias.

Confirmatur ſecundo experientiâ: nam odor ſulphuris interimit muſcas, & etiam ſerpentes. Canes odore quærunt, & inueniunt ſuos dominos; ergò animalia bruta percipiunt odores.

Quæres, an bruta animalia delectentur odoribus? Reſpondeo non delectantur præcisè fragrantiâ odorum, ſed quatenùs illi odores ſunt coniuncti cum ſaporibus: Homines vero delectantur præcisè de odoribus; & Ratio eſt, quia cerebrum hominis, cùm ſit humidiſſimum, & magnis morbis obnoxium, odoribus iuuatur, ideò delectantur fragrantia odorum.

Quæres, an illi, qui habent bonum viſum, habeant prauum odoratum? Reſpondeo Cardanum hoc expreſsè affirmare. Prima ratio eius eſt, quia viſus eſt in humido, & qui habent bonū viſum, abundant humido, & quia odoratus eſt proximus viſui, abundat humido, quod eſt oppoſitum boni odoratus. Secunda ratio eſt, quia omnes, qui habent bonum odoratum, ſunt ingenioſi, & valdè apti ad ſapientiam, quia, qui habent bonum odoratum, ſunt calidi, & ſicci, propter calorem ſunt apti ad meditandum, propter ſiccitatem ſunt apti ad benè retinendum.

Sed hæc opinio Cardani mihi videtur falſa. Ad primam rationem. Reſpondeo, falſum eſſe bonam viſionem conſiſtere in redundantia humoris; bona enim viſio oritur primò ex ſitu: ſecundo ob humiditatem inſtrumenti, ſeu organi. Tertiò ex abundantia ſpirituum, & ſanguinis. Præterea experientiâ patet quòd illi, qui habent bonum viſum, habent malum odoratum, multi habent bonum odoratum, & malum viſum, & aliqui alij vtrumque bonum, vel malum habent. Canes enim habent

bonum viſum, & optimum odoratum. Simia habet perſpicuum viſum, & acerrimum odoratum. Ad ſecundam rationem reſpondeo, quòd ingenioſi,& docti non habeant bonum odoratū, quia ad bonum odoratum requiritur ſiccitas, & caliditas: ad bonum verò ingenium quidam dicunt,non requiri caliditatem, & ſiccitatem, ſed ſpiritus valdè temperatos. Vnde qui habent caput nimis calidum, & ſiccum non poſſunt pati laborem ſtudiorum, & sunt inhabiles ad philosophandum. Quidam alij putant ad bonum ingenium requiri ſiccitatem,calorem,& abūdantiam ſpirituum, multaque alia. Quænam verò ex iſtis ſententiis ſit probabilior, nos dicemus in tractatu de ſenſibus internis, vbi fusè agemus de requiſitis ad bonum ingenium, bonam memoriam, imaginationem, atque conſtitutionem totius corporis.

Dubitatur igitur de odorum varietate, eorumque ſpeciebus. Dico multas, & varias eſſe ſpecies odorum, quas tamen homines propter hebetudinem ſenſus odoratus, eas diſtinguere non poſſunt; vndè diſcernere non poſſunt niſi acutos, acerbos,graues, & ſuaues; animalia verò bruta diſtinctiùs, & clariùs percipiunt odores, eorumque ſpecies.

Sed quæres, cur bruta animalia meliùs percipiant odores, quàm homines? Reſpondeo, animalia bruta meliùs percipere odores, quia natura illis præbuit ſenſū odoratus, vt diſtinguāt ſibi conuenientem cibum, ideoque organum odoratus in illis ori proximè conſtituit. Homines verò habent vim cognoſcēdi cibos per alios ſenſus, neque adhibent odoratum ad cognoſcendum ſibi conuenientem cibum,vt faciunt bruta,& hoc prouenit quòd animalia bruta non delectantur fragrantiâ odorum, ſed illam ordinant ad alios ſenſus, & quandò videmus canem, equum, vel aliud animal perſiſtere in odoranda vrina, vel alio excremento fœminæ, non facit,quia illo fœtore delectatur, ſed quia illo odore excitatur ad aliam voluptatem, & delectationem capiendam; Homines verò perſiſtunt in illâ fragrantiâ odorum, vt patet in floribus.

Quæres, cur odores ſint grati, atque iuuent cerebrum: fœtores verò moleſti, illudque lædunt? Reſpondeo rationem eſſe,

eſſe, quia vt ſuperiùs diximus fœtor ſua natura humidus, eſt, & ſecum fert halitum prauum, qui magis humectando cerebrum, illud offendit. Cerebrum enim, cum humidum ſit, maiori humectatione læditur. Odor verò, cum ſit calidus, & ſiccus, moderatè calefacit, atque exſiccat, ideoque delectat, atque iuuat cerebrum.

Quæres, cur odores quibuſdam ſint grati, quibuſdam moleſti, etiamſi in ſe optimi ſint?

Reſpondeo, hoc aliquandò prouenit ex peculiari temperamento, & conſtitutione cerebri, quod temperamentum in quibuſdam à tali temperie odoris læditur; in quibuſdam verò perficitur, ideoque quibuſdam moleſtus, & quibuſdam gratus eſt; aliquando prouenit etiam ab imaginatione, cùm quidam imaginentur, ſeu putent, ſe offendi, vel ſe offenſos fuiſſe, vndè manente iſta imaginatione, quod talis odor ſit nociuus, ab illo tanquam moleſto, & nauræ inimico, abhorrent.

Quæres, cur odores aliquandò in capite dolores inducant? Reſpondeo, quia odor moderatè calefaciendo, & exſiccando cerebrum, illud perficit, atque alterat; tandiù igitur illa alteratio delectat, quamdiù perficit cerebrum; ſi verò illa alteratio nimis excedat; ideſt ille odor nimis calefaciat, atque exſiccet, corrumpit cerebrum, quia vt ait Ariſtoteles: omne excedens corrumpit ſenſum, & patet experientiâ, quia tempore hyemali moderatè manum calefacere incundum, & delectabile eſt; nimis verò calefacere, ideſt adurere moleſtum, atque noxium eſt; ita & cerebrum ab odore nimis calefactum, & exſiccatum corrumpitur, ideoque odor aliquandò dolorem inducit.

Quæres, cur nimio ſtudio lædatur ſenſorium odoratus? Reſpondeo rationem eſſe, quia in nimis ſtudentibus ex frequenti imaginatione per cõcurſum ſpirituum anterior pars cerebri calefit, ob quam calefactionem odores percipere non poſſunt: ſecundò, quia nimio ſtudio incumbentes, diſtrahuntur ad alia, & præcipuè à ſenſibus remota. Vnde prouenit, vt odores non ſentiantur.

DIS-

DISPVTATIO II.

De ſenſu Guſtus.

ARTICVLVS I.

De Obiecto guſtus, ſeu de Sapore.

SApor Ariſtoteles libro de ſenſu, & ſenſili cap. 4. definit ... ſic ſapor eſt paſſio guſtus, naſcens ex permixtione humoris cum ſiccitate terreſtri propter actionem caloris guſtum efficies. Dicitur paſſio, Primò, quia habet rationem formæ, cùm ſit ſecunda qualitas; ſecundò, quia in guſtum inducitur paſſio. Dicitur paſſio guſtus, quia guſtus eſt potentia ad quam refertur ſapor, naſcens ex permixtione. Vndè ſubiectum ſaporis eſt mixtum, & non corpus ſimplex; propterea elementa per ſe nullum habent ſaporem; vndè optima aqua cenſetur, quæ neque odorem habet, neque ſaporem. Dicitur humoris aquei, quia omnis ſapor fit in humido, vel actu, vel potentia, vt ait Ariſtoteles; Vndè ſapores non poſſunt guſtari; niſi humectent linguam; Dicitur, cum ſiccitate terreſtri, quia ſola aqua non poteſt generare ſapores, ſapori enim conuenit craſſities corporis, aqua verò eſt tenuiſſima, & licet aqua in igne ferueat, non tamen craſſeſcit, imò diſoluitur in aerem.

Magna difficultas eſt de numero ſpecierum ſaporis. Plato in Timæo ſeptem, ait, eſſe ſpecies ſaporis. Galenus, Auic. cum alijs medicis nouem eſſe, inquiunt, ſpecies ſaporis. Ariſtoteles ſecundò de anima tex. 10. Octo aſſignat ſpecies ſaporis. Quarum prima eſt dulcis, ſecunda pinguis, tertia amarus, quarta ſalſus, quinta acidus, ſexta auſterus, ſeptima acerbus, octaua acer.

Dulcis ſapor dicitur ille, qui partes linguæ exaſperatas lenit, & quaſi in ſuo naturali ſtatu cum voluptate reuocat, quem ſaporem

porem experimur in ſaccharo, melle, multiſque alijs,qui ſapor ex humido aqueo, aereo, terreo, & ſicco, æqualiter mixtis, vi caloris moderatè coctis generatur, ideoque naturæ humanæ maximè familiaris eſt, & omnium ſuauiſſimus.

Pinguis ſapor eſt, qui particulas exaſperatas linguæ non ſolùm in ſuperficie, ſed etiam in profunditate, lenit atque emollit, quem ſaporem in recenti pinguedine, & puro oleo experimur; generatur hic ſapor ex ſubſtantia tenui terrea, conſtante multo humido aereo, & pauco aqueo: Vndè hic ſapor indicat ſubiectum eſſe maioris tenuitatis, & caloris, quàm ſubiectum dulcedinis.

Amarus ſapor eſt, qui magis exaſperat, corrumpit humidum, ſaltem alimentitium, quod ad alendum inutile reddit, vel corrumpit organum guſtus, ideſt linguam,eo ſapore nullus alius ingratior eſt,quem ſaporem in felle in Aloe,& alijs experimur; generatur amarus ex afflato terreo, & ſicco, ſeu corrupto humido; vt patet in melle, quod ſi nimis decoquatur,amareſcit; dixi ex afflato, ſiuè hoc ſit igneum, ſiuè vitale,ſiue putredinale, vt in putrefactis pomis: Vndè amaritudo indicat ſuum ſubiectum eſſe calidum.

Salſus ſapor dicitur,qui mediocriter mordet, ac linguæ profundum penetrat, leuiter aſtringit, & efficaciter detergit,quem ſaporem in ſale marino experimur.Generatur hic ſapor ex multo humido aqueo, permixto, terreo, ſicco, tenui caloris vehementis, atque coquentis. Vndè ſui ſubiecti calorem, & ſiccitatem indicat, propter quem calorem, & ſiccitatem, eſt etiam amarus, vt patet in aqua marina, quæ ſalſa, & amara eſt.

Acidus ſapor eſt, qui leniter exaſperans, & leniter pungens, in profundum penetrat; quem ſaporem experimur in acetoſa, agreſta, & ſucco limonum; generatur hic ſapor ex multo aqueo humore attenuato, & admixta pauca tenui terrea ſubſtantia vi caloris, tàm moderati,quàm immoderati attenuentis, vi caloris moderati, vt in fructibus, quorum Aciditas prouenit à frigiditate; vi immoderati caloris, ſeu vehementis, vt in metallis decoctis,aquis thermalibus, ſulphureis, & alijs.

Auſterus ſapor eſt,qui ſuperficiem linguæ æqualiter condenſat,

ſat, atque aſtringit, quem ſaporem in melis arancis, & cotoneis percipimus, acerbis, non multum differt ab Auſtero, niſi quia acerbus ex ſubſtantia terrea, craſſa, & ab aqueo humido vi caloris generatur, indicat maiorem frigiditatem, & minorem ſiccitatem, hic ſapor linguam, & palatum profundiùs penetrat; auſterus verò generatur ex humido aqueo magis excocto, & copioſo, craſſo, ſicco, & terreo. Vnde indicat remiſſiorem frigiditatem & intenſiorem ſiccitatem.

Acer ſapor dicitur ille qui conſiſtit in tenui ſubſtantia, ad profundum linguæ penetrans, qui ſuo feruore exſiccat, atque mordet, quem experimur in ſinapi, pipere, alijs, cœpis, &c. generatur ex humido aereo, & ſicco, terreo vi caloris vehementis plurimum coquentis; indicat nimium calorem, & ſiccitatem ſui ſubiecti.

Inſipidus ſapor non eſt verè, & propriè ſapor, vt quidam opinantur, ſed potiùs eſt priuatio ſaporis, quem experimur in aqua frigida, & alijs, &c. ideò non eſt enumerandus inter ſapores.

Quæres inter ſapores quinam ſint inter ſe maxime contrarij? Respondeo, ſi sapores accipiantur ratione voluptatis, seu triſtitiæ maximè extremos, & contrarios eſſe dulcem, & amarum; dulcis maxime iucunditatem parit guſtui; amarus verò summam moleſtiam guſtui parit: alij verò sapores medio modo se habent. Si verò sapores conſiderentur ratione principij, & cauſæ, ex qua oriuntur, acerbum, & acrem eſſe maxime contrarios, vt teſtatur ipse Galenus; quia dulce, & amarum prouenire poſſunt ab eadem causa, vt superiùs diximus, & idem sapor à cauſis contrarijs, vt amaritudo in opio, quod eſt valde frigidum, & in abſinthio, quod eſt valdè calidum; at vero acerbus, & acer nūquàm ab eadem causa prouenire poſſunt; acerbus enim à frigore, acer à calore prouenit.

Regula cognoscendi quandò amaritudo prouenit à calore, & quandò a frigore, eſt, dum aliquod ex amaro euadit dulce, amaritudo prouenit ex frigore, vt patet in fructibus acerbis: dùm verò ex dulce euadit amarum: Prouenit à calore vt patet in fructibus putrefactis.

Quæ-

Quæres, an omnia nutriantur dulcibus? Reſpondeo, vel loquimur de homine, vel de alijs animalibus, ſi de homine, vel loquimur de eo, qui habet complexionem temperatam, vel de eo, qui habet complexionem intemperatam; ſi ſermo ſit de homine, temperatam complexionem habente.

Dico, hominem dulcibus ali. Probatur, quia vnumquodque alitur ſibi ſimilibus; ſed homo habet complexionem temperatam; ergo ali debet temperatis ſaporibus; ſapor enim dulcis eſt temperatior alijs, quamuis aliquandò habentes bonam complexionem appetant alios ſapores. Id faciunt plerumque, vt moderent ſaporem dulcem, qui cùm plerumque facilè impleat, tedium parit, ideòque adhibent alios ſapores; ſi ſermo ſit de ijs, qui habent complexionem laxam, & læſam, bonum alimentum illis non erit dulce, cùm ſit diſſimile eorum complexioni: ſi enim fuerit complexio pituitoſa oportet nutriri ſaporibus, qui proueniunt à calore, & ſi complexio fuerit bilioſa, debet à ſapore, à frigore proueniente nutriri.

Quæres, cur quidam ament, & delectentur tantùm dulcibus, quidam pinguibus, quidam amaris, & quidam acidis? Reſpondeo cum Galeno primo de ſymptomatibus; homines, qui optimè conſtituti ſunt, & corpus temperatum habent, vt ſuperiùs dixi, amant, atque declarantur dulcibus, quia, cùm dulcia temperata ſint, temperatis corporibus amica, & iucunda ſunt, illa corpora, quæ recedunt à bono temperamento corporis; proùt magis, vel minùs recedunt eò, hos, vel illos ſapores magis, vel minus amant. Vndè, qui habent ſtomachum magis tenuem, & ſenſibilem, abhorrent ab acidis, quia ab iſtis ventriculus eorum nimis offenditur. Contra verò, qui habent ſtomachum nimis craſſum, aut abductum humoribus, craſſis, viſcidis, & lentis, amant acida, & acria, & hæc eſt ratio, cur ſenes, vt etiam notat Plutarcus in ſimboſio ament vina generoſa, quia, cùm habeant ventriculum obductum frigidis, & lentis humoribus, exſiccatur à re acida, vndè appetitum non percipiunt, neque delectantur.

Quæres, cur acida, & acria appetitum excitent? Reſpondeo, quia ſua aciditate, & acrimonia non ſolum extenuant humores,

& ſiccant, ſed etiàm ſua acredine pungunt, & ſtimulant os ventriculi, & conſequentèr appetitum excitant.

Sed quæres, cur quidam, antequam cibum edant, nullum habeant appetitum; poſtquam verò comedere incipiant, ſtatim appetitus exiciteur?

Reſpondeo, multæ poſſunt eſſe cauſæ huius rei. Prima eſt; quia dùm cibus aſſumitur, illam qualitatem, quæ os ventriculi impedit, ipſe cibus educit, atque emendat, & ſic appetitum excitat.

Secunda cauſa eſſe poteſt, quia ab ingeſto cibo facultas attractrix, quæ veluti ſopita iacebat, excitatur, & excitata os ventriculi diſponit, & corroborat, ac proindè appetitum inducit.

Tertia cauſa eſſe poteſt, quia ſæpe humores inhærentes in ore ventriculi, appetitum adimunt; cùm verò cibi hos humores tollant, appetitum inducunt.

Sed quæres, cur alij priùs quàm edant, appetant cibũ, quando verò edere incipiunt, ſtatim appetitus tollatur? Reſpondeo, quia aliquãdò ventriculus recipiens cibum, vapores noxios ad os ventriculi mittit, qui appetitum conturbant, & aliquandò, quia cibi præcipitati in fundum ventriculi, humores tetros ibi exiſtentes ſurſum eleuari faciunt, qui percutientes os ventriculi, appetitum tollunt, & aliquandò prouenit à materia ciborum, qui ſi ſint craſſi, & pingues, appetitum tollunt.

Quæres, cur læſo appetitu, læditur guſtus?

Reſpondeo, quia guſtus percipitur in ſummitate linguæ, quæ cùm habeat communem quandam tunicam cum ore ventriculi, læſo ventriculo læditur, & guſtus; in appetitu enim læſo lędi ſolet os ventriculi.

Quæres, cur homo quò magis ieiunet, eò minus appetitum habeat.

Reſpondeo, quia in nimio ieiunio ſtomachus, & inteſtina inaniuntur, & vacua remanent: ſed quia natura à vacuo abhorret, ſtudet replere; vndè facit, vt caua inteſtinorum, & ſtomachi coincidant ſimul, & coarctentur, quæ partes ità coarctatæ appetitum tollunt.

Colligitur primo ex dictis, quòd propter læſionem oris ventriculi

triculi à noxijs humoribus, quidam appetant comedere terram, quidam carbones, quidam calcem, vt ſunt præcipuè mulieres grauidæ, & ratio huius eſt; quia in ventriculo abundant noxij humores habentes qualitates ſimiles cibis, & rebus, quæ appetuntur, licet quidam dicant, hoc prouenire à virtute occulta humoris noxij, exiſtentis in ore ventriculi.

Colligitur ſecundò proptèr humores acres in ventriculo exiſtentes, oriri etiàm immoderatam famem, quæ dicitur appetitus Caninus, vel etiàm aliam, quæ dicitur Pica, ſeù Bulimus, illi qui laborant appetitu Canino, ſemper habent deſiderium edendi, & in iſtis reijcitur cibus, vel per vomitum, vel per aluum.

Illi verò, qui laborant Bulimo, ſeù Picâ non habent ſemper appetitum, ſed in iſtis contingit deliquium animi.

Colligitur tertiò, ſi in ventriculo abundent humores billioſi, ſalſi, & ſicci oriri immoderatam ſitim; quia hi humores propter ſuum calorem, humiditatem alimentarem conſumunt, qua conſumpta oritur ſitis. Similiter nix ſuâ frigiditate exprimit à ventriculo, humiditatem alimentarem, quâ expreſſa inducitur ſiccitas in os ventriculi, & conſequentèr oritur ſitis, proptèr eãdem rationẽ, dulcia etiàm ſitim excitare ſolent, cùm bilem ſeù humorem bilioſum augeant, quæ ſua caliditate, & ſiccitate os ventriculi exiccans, ſitim generat.

Quæres; cur quidam ſitiant poſt acceptionem cibi duobus, vel tribus horis? Reſpondeo, quia ſtomachus laborat in coquendo cibum: Vndè calor natiuus cum turbetur, à ſua temperatura recedit, propterea augetur, & auctus, mittit vapores in os ventriculi, qui exſiccando humidum alimentare, ſitim inducunt.

Quæres, an ſapor dulcis, & amarus ſint principia omnium ſaporum? Dico, dulce, & amarum non eſſe principia omnium ſaporum, quia ſi eſſent principia, haberent rationem materiæ, vel formæ, vel cauſæ effecientis, vel finalis; ſed nullum ex his dici poteſt; ergò &c. Non poſſunt habere rationem materiæ, quià alij ſapores non componuntur ex dulce, & amaro, alitèr dulce, & amarũ præcederent naturâ omnes alios ſapores, quod

 eſt

eſt apertè falſum; experimur enim in fructibus, & alijs priùs adeſſe alios ſapores, & poſteà aduenire dulcedinem, vel amaritudinem, neque habent rationem formæ; quià experientiâ patet, dulce non eſt forma alterius ſaporis; neque habent rationem efficientis, quia dulcedo,& amaritudo non ſunt qualitates actiuæ; neque habere poſſunt rationem finis; quia ſapores non ſunt propter dulcedinem, & amaritudinem; ergò non poſſunt eſſe principia aliorum ſaporum. Dulce tamen,& amarum dici poſſunt principia aliorum ſaporum ratione guſtus, quatenùs nimirùm ſunt extremi, & ex iſtis iudicamus alios ſapores, ideòq; alij ſapores medij dici ſolent.

Quæres, an ſapores medij ſint veri, & naturales?

Reſpondeo, ſi ſermo ſit de prouenientibus à natura; ſunt veri, & naturales; Ratio eſt, quia ſunt effectus naturæ, & proueniunt a diuerſa permixtione calidi, & ſicci; ac humidi; ſi verò ſermo ſit de artificialibus,non ſunt veri,cùm fiant ſolum ex permixtione aliorum ſaporum, in qua apparet alius ſapor.

Quæres, cur plantæ non habeant ſaporem ſalſum?

Reſpondeo, quia eadem eſt materia generationis, & nutritionis; plantæ ergò cùm non generentur ex locis ſalſis, neque habent ſaporem ſalſum.

ARTICVLVS II.

De Organo Guſtus.

DIco, organum guſtus eſſe linguam, de qua Ariſtoteles de hiſt. animalium cap. 10. ſecundò de partibus animalium cap. vltimo. Galenus 11. de vſu partium Auerr. in primò, & ſecundò col. multa ſcribunt, quæ nos hic breuitèr afferemus.

Quoad compoſitionem linguæ, ſciendum eſt, linguam conſtare ex carne rarâ, ac molle, & ſpongioſâ, talis quidem compoſitionis oportet eſſe linguam, primò propter agilitatem eius, ſecundò propter perceptionem ſaporum, qui, cùm ſint humidi, exigunt

exigunt linguam capacem humiditatis, & quia eſt rara, mollis, & ſpongioſa, tecta eſt membrana quadam, vt benè conſeruetur.

Lingua eſt ferè figuræ pyramidalis: in ſuo enim fundo, ſeù radice latior eſt; in fine, ſeù anteriori parte, acuminatior, quæ ità facta eſt à natura, propter firmitatem, eiuſq; mobilitatem. Lingua habet duas venas, duaſque arterias, nouem muſculos, quibus inſertum eſt vnum parneruorum ex ſeptima coniugatione, mouens linguam in omnes partes. Adeſt prætereà in ea alterum parneruorum, ex tertia coniugatione perueniens, quod linguæ ſenſum ſaporum præbet; ſed quia motui linguæ, & perceptioni ſaporum ariditas, & ſiccitas plurimùm officiunt, ſolers natura, nè exareſcere, ac exiccari poſſit, ei prouedit continuo humectante: nàm ad radicem linguæ prope palatum iuxtà Laryngem affixit duas glandulas, ſeù tonſillas; quæ ſuâ humiditate continuo linguam irrigant, atque humectant.

Vſus linguæ eſt duplex, vnus principalis, & alter minus principalis. Principalis primò eſt diſcernere ſapores, vt ſi ſint alienæ naturæ reſpuat, ſi cōuenientes retineat. Secundò, ob maſticationem, quæ fit maximè per linguam, vt cibus poſſit benè tranſmitti. Tertio concurrere ad locutionem: vox enim gutture editur; ſermo precipuè lingua fingitur; vſus minus principalis eſt, in quibuſdam animalibus, vt ſunt Canes, inſeruit ad bibendum, in quibuſdam labendo, ad medenda vlcera, in nonnullis inſeruit, vt ea labendo, ſuos fœtus efforment, atque perficiant, vt Vrſus, & Lupus.

Dubitatur; in quanam parte linguæ inſita ſit vis ſentiendi ſapores.

Dico breuiter cùm Ariſtotele in primo de hiſtoria animalium cap. vndecimo, partem præcipuam, in qua maximè viget ſenſus ſaporum, eſſe anteriorē partem linguę, patet experientia, vt enim quis benè percipiat ſaporem alicuius rei, detrahit illam ad anteriorem partem linguæ, quod ſuaptè natura docuit; ergò in anteriori parte linguæ conſiſtit vis ſentiendi ſapores, licèt, vt puto in media parte linguæ, & in palato ſit aliqua vis ſentiendi ſapores, cùm ad iſtas partes diſpergantur multi ramuli

quarti

quarti paris neruorum, ad percipiendum ſenſum guſtus, quemadmodum atiam à quinto pari neruorum diſperguntur multi rami ad palatum, vocem, ſeu ſonum percipiendi gratiâ; quod patet experientia; nam ruſtici, vt melius audiant, ore aperto & hiantè auſcultant, & hoc natura duce faciunt. Præterea patet aliâ experientiâ, nos percipimus ſapores acidos, vel nidrorosos à ventriculo læſo, ideſt non benè coquente alimentum, ſurſum èlatos, qui ſapores tamen non perueniunt ad anteriorem partem linguæ, & ſæpè ſuauiores ſapores diù retinemus ſupra linguam, & palatum, vt maior voluptas adhæreat guſtui; ergò etiam in palato, aliiſq; partibus linguæ adeſt vis ſentiendi ſapores, præcipuè tamen in anteriori parte linguæ.

QVAESTIO III.

De ſenſu Tactus,

ARTICVLVS I.

De Obiecto tactus.

VARIAE ſunt ſententiæ de obiecto tactus. Thomiſtæ cum Sancto Thoma lect. vigeſima ſecunda, in ſecundo de anima dicunt, obiectum tactus eſſe tantum quatuor primæ qualitates. Alexander com. 108. eſſe prætereà, inquit, famem, & ſitim. Cardanus addit, voluptatem, & titillationem; quidam aſperum, & lene, & alij, alias qualitates.

Sciendum eſt, nos hic loqui de obiecto tactus per ſe, & rigorosè accepto, vt eſt illud, quod ita mouet ſenſum tactus, vt ipſum per ſe percipiatur ab ipſo ſenſu tactus.

Dico, obiectum per ſe tactus eſſe primas qualitates; & probatur quatuor primæ qualitates ſolum per ſe ita mouent ſenſũ, vt per ſe ab ipſo ſenſu percipiantur; cætera omnia, vel per ſe non

mouent

moueat ſenſum, vel per ſe non percipiuntur à ſenſu, vt paulò inferiùs patebit: ergo ſolùm primæ qualitates ſunt obiectum per ſe, & proprium ſenſus tactus.

Infertur ex dictis, dolorem, & voluptatem non eſſe obiectum per ſe tactus; cùm enim ſint operationes tactus; non poſſunt eſſe per ſe obiectum ipſius tactus; neque famem, & ſitim eſſe per ſe obiectum; cùm pertineant ad appetitum; neque aſperum, & lene, cùm ſint ſenſibilia communia; neque eſſe duritiem, & mollitem, vt quidam volunt, quia non percipiuntur à tactu, niſi per motum localem, qui eſt ſenſibile commune; molle enim cedit, durum reſiſtit; propter eandem rationē, graue, & leue nō eſſe propriū obiectū ſēſibile tactus, cùm nō percipiantur niſi per motum; tangens enim corpus graue, vel leue, non percipit eſſe graue, vel leue, niſi conetur mouere, tùm quia non ſentimus leuitatem aeris, neque ſub aqua grauitatem aquæ: Grauiſſimum igitur, leuiſſimum, duriſſimum, & molliſſimum dici ſolent ſenſibilia tactus, quia non poſſunt concipi ſine tactu.

Colligitur ex dictis, non omne, quod quomodocunque mouet ſenſum tactus, eſſe ſenſibile proprium, & obiectum per ſe tactus; ſed ſolùm illud, quod per ſe mouet ſenſum tactus, & per ſe percipitur ab eodem ſenſu tactus. quod nullum aliud poteſt aſſignari præter quatuor primas qualitates.

Dices, Ariſtoteles quinto de partibus cap. 10. ait: ex titillatione oriri, vel delectationem, vel moleſtiam, quæ ſunt operationes tactus: ergò titillatio eſt obiectum per ſe.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia titillatio eſt cauſa remota, ex qua proueniunt qualitates improportionatę naturæ in membris, quæ ſunt proprium obiectum tactus.

Dubitari ſolet hic, an tactus ſit vnus ſenſus, an verò plures ſpecie.

Auerroes ſecundo de anima com. 107. & 108. Auic. 6. nat. quæſt. cap. de tactu; Them. in ſecundo de anima 110. & 112. multique alij volunt, tactum non eſſe vnum ſenſum, ſed plures ſpecie; Them. & Auer. ponebant tres, Cardanus 3. alij quinque, & alij plures, alij pauciores. Ratio eorum eſt, quia principia

cipia

cipia diuerſificantur per diuerſa obiecta, quatenus vario modo afficiant potentiam; ſed obiecta tactus ſunt diuerſa, & diuerſo modo afficiunt ſenſum tactus; ergò ſenſus tactus non eſt vnus, ſed multiplex ſpecie diuerſus; maior probatur, quia diuerſo modo afficiunt tactum calor, & frigus, ac humidum, & ſiccum, graue, & leue, dolor, & voluptas, &c. ergò ſenſus tactus non poteſt eſſe vnus, cùm vnus ſenſus non poſſit verſari circa tot cõtrarietates.

Simplicius ſecundo de anima tex. 108. philoph. cap. de tactu: multique alii volunt, ſenſum tactus eſſe vnum tantùm, non plures ſpecie differentes. Ratio eorum eſt, quia Ariſtoteles ſecundo de anima tex. 128. quinque tantum aſſignat ſenſus externos cui conſentiunt omnes alij Philoſophi; ſed ſi ſenſus tactus eſſent plures ſpecie, non eſſent quinque; ergò ſenſus tactus eſt vnus ſpecie, non plures. Secunda ratio eſt, ſi ſenſus tactus eſſent multi, ac diuerſi ſpecie non magis differret tactus à viſu, quàm tactus à tactu, cùm tàm tactus à tactu, quàm viſus a tactu differant ſpecie; ſed hoc eſt falſum; ergò falſum etiam eſt, ſenſum tactus eſſe multiplicem ſpecie.

Dico cum ſecunda ſententia, ſenſum tactus eſſe vnum tantùm ſpecie; & probatur, ideò non ponitur vnus ſenſus ab aduerſarijs ſed plures ſpecie, quia eorum obiecta ſunt plura, & diuerſa; ſed hoc non obſtat vnitati ſenſus; ergò ponendus eſt vnus, & non plures. Probatur paritate aliorum ſenſuum; obiecta cuiuſcumq; ſenſus magis differunt inter ſe, quàm obiecta tactus; nam viſus verſatur circa lumen, & colorem; auditus vocem magnam & paruam; guſtus dulce, & amarum; ſenſus communis verſatur circa obiecta ſenſuum externorum; intellectus, circa verum & falſum; voluntas circa bonum, & malum, & tamèn non multiplicantur, & diuerſificantur ratione diuerſitatis obiectorum; ergò neque ſenſus tactus debet & poni multiplex, & diuerſus, ob diuerſitatem obiecti: prætereà licet obiecta tactus ſint plura, & diuerſa materialiter, conueniunt tamen ſub vna ratione, formali ſub qua percipiuntur à ſenſu tactus, & hoc eſt commune omnibus obiectis omnium potentiarum, & ſcientiarum & confirmatur ex D. Thoma prima parte quæſt. 78. art. 3. ad 3.

in quæſt. de anima art. 19. ad 17. vbi inquit: iam tactum poſſe dici vnum, quatenùs omnes qualitates, quæ ab eo percipiuntur, conueniunt in vno genere innominato, licèt propenſior ſit in contraria ſententia, quod genus, in quo conueniunt, nos appellare poſſumus qualitatem determinatiuam ſenſus tactus; ratione modi tendendi ſenſus etiam eſt vnus; omnes enim ſenſus tactus conueniunt in modo tendendi, qui eſt immutatio temperamenti; vel compoſitionis corporis; omnes enim ſenſus tactus in percipiendo, immutentur, & ſub eadem conditione, ideſt ſine medio, cum omnes ſine medio percipiant ſuum obitum.

ARTICVLVS II.

De Organo tactus.

QVidam putant, organum tactus eſſe cor, ità S. Thomas ſecundo de anima cap. 39. & 40. ſimplicius in tex. 116. Alex. ibi com. 12. multique alij.

Quidam alij dicunt, organum tactus eſſe neruos; carnẽ verò eſſe medium ſentiendi, ità Auer. ſecundo de anima com. 108. & 116. Sanctus Thomas lect. 22. Auic. 6. nat. quæſt. & multi alij Quidam alij volunt, ſenſorium tactus eſſe omnes partes corporis paucis exceptis.

Dico breuiter, principale organum, & per ſe ſenſus tactus eſſe neruos. probatur ſenſus tactus fit per ſpiritus animales; ſed ſpiritus animales ſunt in neruis; ergò organum tactus per ſe ſunt nerui. Confirmatur hoc ex Galeno de vſu pulſuum, vbi ait, expertum eſſe, ſi ligetur neruus partem infra nodum fieri inſenſibilem, & de curatione morborum cap. 6. ſi contingat, inquit, neruum lædi, vbi parum eſt carnis, maximum eſſe periculum conuulſionis, delirij, & vigiliarum, quæ oriuntur ex vehementi dolore; ſed hæc contingere non poſſent, niſi nerui eſſent per ſe organum tactus; ergò &c.

Confirmatur ex Ariſtotele ſecundo de anima, vbi ait: carnem non eſſe organum tactus, ſed quid interius, & in tex. 117. ait:

Digitized by Google

ſenſorium tactus intùs latet, quod neruus eſt; caro autem medium.

Dico ſecundo, carnem eſſe organum tactus, non tamen per ſe, ſed ratione nerui, primo, quia hoc expreſſè docet Ariſtoteles loco ſupra citato, ideſt ſecundo de anima: ſecundò quia obſtructo aliquo neruo alicuius partis, illa pars nullum ſenſum percipere poteſt, vt patet experientia. Tertio neruus denudatus, ſeu ſeparatus ab omni carne, ſi pungatur, ſentit; caro verò ſine neruo non ſentit; ergò neruus eſt per ſe ſenſorium tactus; caro verò eſt ſenſorium per neruos.

Quæres an tactus indigeat medio ad ſentiendum?

Pro reſponſione ſciendum eſt, duplex eſt medium, quantum facit ad rem præſentem, alterum externum, vt eſt aer, & aqua, alterum internum, vt eſt cutis; caro &c. Auer. & communiter Thomiſtæ dicunt, eſſe neceſſarium aliquod medium ſeparatum à corpore animalis tangentis. Scotus multique alij dicunt tactum non indigere medio externo.

Dico breuiter cum Scoto ſecundo de anima, quæſt. nona, Tol. quæſt. 31. & alijs tactum non ſentire per aliquod medium externum, diſtinctum à tangente, probatur primo experientia quia ſentimus qualitates aeris, & aquæ, quibus immediatè tangimur, atque ita communis conceptus hominum eſt, ea ſe tangere, quorum extrema ſunt ſimul; ergò, vt tactus operetur circa aliquod obiectum, non indiget aliquo medio.

Probatur ſecundo, ſi tactus ad ſentiendum indigeret medio externo, daretur proceſſus in infinitum; conſequens eſt falſum; ergò & antecedens; probatur ſequela, quia ad ſentiendum medium indigeret alio medio, & ſic in infinitum; ergò &c.

Probatur preterea, quòd detur tactus immediatus ſecuris ſcindit lignum; ergò lignum immediatè debet tangi à ſecuri; globi exploſi à bombardis eijciunt moenia, ſi parua pila E. G. ſit infecta atramento, inficit pauimentum, vel parietem, cui alliditur, quæ omnia fieri non poſſunt ſine immediato tactu absque vllo medio; ergò tactus non indiget medio externo.

Dico ſecundo, ſenſum tactus, vt tactus eſt, nullo indigere medio interno, hæc concluſio eſt contra Scotum, Tol. & alios in ſupe-

ſuperiori concluſione pro nobis citatos, qui volunt, medium tactus eſſe cutim tàm extimam, quàm infimam. Probatur, primo quia detracta pelle, partes internæ ſentiũt, immò acriùs ſentiunt; ſi enim tangantur, maximo dolore afficiunt, vt experientia conſtat; ergò tactus, vt tactus eſt ad ſentiendum nullo indiget medio.

Probatur ſecundo, vbi eſt anima ſenſitiua, ibi neceſſario eſt, & ſenſus tactus; ſed detracta pelle à carne, & neruis, eſt in illis anima ſenſitiua; ergò adeſt etiam ſenſus tactus; præterea tangere eſt immediatè percipere qualitates obiecti ſine vllo medio; ergò &c.

ARTICVLVS I.

An omnia animalia habeant omnes quinque ſenſus.

ARiſtoteles ſecundo de anima tex. 131. ait: animalia perfecta habere omnes quinque ſenſus; ſed dubitatur primò, quænam ſint animalia perfecta, & quæ imperfecta; ſecundò, an omnia animalia perfecta habeant omnes quinque ſenſus.

Quoad primam dubitationem Ariſtoteles tradit tria ſigna ad ignoſcendum animal perfectum. Primum ſignum, in ſecundo de anima tex. 34. ait, eſſe generare ſibi ſimile; Dupliciter animalia generant ſibi ſimile, immediatè, & mediatè; illud animal dicitur immediatè generare ſibi ſimile, quod ſtatim generat animal viuum, & huiuſmodi animalia ab Ariſtotele vocantur viuipera: & illud animal dicitur generare mediatè ſibi ſimile, quod priùs producit ouum, ex quo deinde educit animal, ſibi ſimile, vt ſunt gallinæ, & alia, & hæc dicuntur ouipera; perfectum igitur animal eſt, quod generat ſibi ſimile immediatè, ſunt alia animalia, quæ generantur à putri materia, vt ranæ, & alia, quæ ſunt imperfectiora animalibus ouiperis. Secundum ſignum tradit in ſecundo de anima tex. 131 quod eſt habere quinque ſenſus; animalia perfecta, inquit, eſſe illa, quæ

habent quinque ſenſus. Tertium ſignum tradit in libro de reſpiratione cap. 13. vbi animalia, quæ habent plus caloris, inquit, eſſe perfectiora. Vnde animalia ſanguinea perfectiora ſunt exanguibus, & reſpirantia, non reſpirantibus, & terreſtria aquatilibus; & quæ mouentur motu progreſſiuo perfectiora illis, quæ non mouentur motu progreſſiuo.

Quoad ſecundam dubitationem, an nimirùm omnia animalia perfecta habeant quinque ſenſus externos; præcipuè dubitatur de Talpa, quæ eſt animal perfectum, quia generatur ex alio animali, habet ſanguinem, & mouetur motu locali; an habeat viſum, de quo eſt controuerſia inter philoſophos. Dico cum Auer. ſecundo de anima tex. 131. Talpam non videre propter duas cauſas. Prima eſt ex parte materiæ, quia materia oculorum in Talpa eſt opaca, & terrea; ſecunda ex parte finis, quia cùm Talpa habitet ſemper in locis ſubterraneis, & tenebroſis, non indiget viſu; Deus enim, & natura nihil faciunt fruſtra.

Vndè infertur, non omnes quinque ſenſus externos eſſe neceſſarios omnibus animalibus, ſed ſolùm guſtum, & tactum. Ratio huius rei eſt, quia iſti duo tantùm ſenſus inditi ſunt à natura ad conſeruationem animalis; per tactum enim animal fugit noxia, & proſequitur vtilia; guſtus verſatur circa ſapores, quibus animal conſeruatur in vita, licèt vterque habeat eundem finem, nempe conſeruationem vitæ animalis; Tactus tamen per ſe, guſtus per accidens, quia guſtus iudicat de saporibus, qui non alunt, ſed ſunt condimentum eius quod alit.

Confirmatur ex Ariſtotele libro de ſenſu,& ſenſili cap. 1. vbi ait: hos duos ſenſus, ideſt guſtum & tactum eſſe neceſſarios cunctis animalibus. Intelligendus tamen eſt Ariſtot. de animalibus perfectioribus.

Dices, Ariſtoteles in ſecundo de anima tex. 27. 31. ait animal, quatenùs animal eſt, non indigere niſi vno ſenſu tactus; ergo ſenſus guſtus non eſt neceſſarius. Reſpondeo, Ariſtotelem ibi loqui de guſtu imperfecto, qui non diſtinguitur à tactu, niſi ratione, vt eſt tactus ille, qui percipit corpora, vt conſentanea, vel aliena nutritioni animalis, & hic conuenit omnibus

ani-

animalibus; guſtus perfectus, qui percipit varia genera ſaporum, non reperitur niſi in animalibus perfectis, habentibus os, & linguam, &c.

ARTICVLVS III.

De Dolore.

QVoniam dolor ſit quidam effectus ſenſus, de eo nobis hic eſt agendum, quantùm ad philoſophiam pertinet, dolor à Platone in Timæo ſic deſcribitur: dolor eſt moleſta paſſio violenter, & præter naturam, abundè, & ſimul nobis illata. Cui deſcriptioni adhærere videtur Galenus, quam vehementer probat in de ratione virtus, in morbis acutis com. ſecundo, primo de cauſis ſympto. cap. ſexto, & primo de elementis in principio, vbi addit; dolorem non poſſe eſſe ſine aliqua diuiſione, & alteratione continui; nec poſſe eſſe in re, quæ caret ſenſu; quod etiam docet de conſtitutione artis medicinæ cap. 8. aliiſq; pluribus locis.

Ariſtoteles ſexto Topico, ait; dolorem eſſe ſeparationem partium naturalium cum violentia. Aetius ait, eſſe paſſionem factam à mala temperie, ſeù diſſolutione continui, quæ allatæ definitiones ſunt omnes cauſales, & non formales. Ex dictis definitionibus colligi poteſt integra, & adæquata definitio, quę eſt hæc. Dolor eſt ſenſus aſper præter naturam, & confeſtim factus à mala temperie, diſſolutione continui, vel vtraque. Dicitur, eſſe ſenſus aſper, quia eſt triſtis, & moleſta actio; quòd verò dolor ſit actio patet, quia eſt mutatio quædam, & alteratio; propterea Galenus de inæquali temperie cap. 4. ait: dolorem non eſſe in facto eſſe, ſed in fieri: ideò de locis affectis, inquit, dolorem eſſe ſenſum rei triſtem; ſenſus autem eſt oparatio ſeu actio in fieri. Dicitur præter naturam, quia illud, quod eſt ſecundùm naturam, nullam moleſtiam fert. Aduertendum tamen eſt aliquando licet aliqua cauſa ſit naturalis, & conue-

nicns

niens ſubiecto;ſi tamen cauſet modo præternaturali moleſtiam affert, vt E. G. habens manus frigidas, ſi eas calefaciat ſubitò ad ignem, percipit magnum dolorem, non ratione caloris, cùm ſit naturalis, & conueniens ſubiecto, ſed ratione celeritatis, quæ eſt modus præternaturalis. Dicitur confeſtim factus, quia dùm mutatio ſenſim fit,ſi ſit naturalis, nulla voluptas ſentitur, ſi præternaturalis; nullus dolor.

Dices, minimus ictus acus, etiam lente tactus, cauſat dolorem; ergò non eſt neceſſarium, vt ſit confeſtim factus.

Reſpondeo, non dicitur confeſtim factus, quia debet eſſe magna mutatio; ſed quia debet eſſe ſubitò facta. Vndè ille ictus acus, ſubitò fit, etiamſi lentè ſubintret carnem; ſemper tamen fit noua, & noua mutatio, quæ ſtatim fit, cùm nullum poſſit aſſignari inſtans,in quo ſicta non ſit diuiſio continui confeſtim; ex quo patet, quod ly confeſtim ſignificat ſubitaneam mutationem; Et particula mala temperies ſignificat magnam mutationem, ideſt ſufficientem ad efficiendum dolorem. Dicitur à mala intemperie, vel diſſolutione continui, vel vtraque vt denotentur cauſæ doloris.

Quoad cauſam doloris. Dico; cauſam doloris eſſe malam temperiem, diſſolutionem continui, & etiam vtramque; quòd mala temperies per ſe ſine diuiſione continui ſit cauſa doloris. Probatur, dùm fit dolor in aliquo membro, E.G. in toto capite, qui diù durat, hic dolor non poteſt prouenire à diuiſione continui, cùm impoſſibile ſit, diuiſionem fieri in omnibus partibus capitis, & toto illo tempore durat diuiſio continui; fit ergò ab alteratione, quia continuò vapores feriunt caput.

Probatur ſecundò, illud cauſat dolorem, quod ſentitur, dùm fit dolor; ſed ſæpè, dùm fit dolor, ſentiuntur primæ qualitates, non diuiſio continui;ergò dolor aliquando fit à mala intemperie ſine diuiſione continui.

Probatur tertio, aliquando in aliqua parte corporis fit diuiſio, & tamen vix ſentitur dolor, deindè dùm ampliùs non fit diuiſio continui, ſed alteratio ex humoribus eò concurrentibus; ſentitur maximus dolor,quo dolore homines ſæpè pereunt ergò dolor cauſatur ab alteratione.

Con-

Confirmatur, Galenus lib. de inæquali temperie cap.quarto, docet, cauſam doloris eſſe alterationem; idem videtur docere de natura hìc cap.quinto; ergo &c.

Quòd diuiſio continui ſóla generet dolôrem, probatur experientiâ, quia quando fit diuiſio partium animalis, magna celeritate ſentitur dolor, & non eſt poſſibile, tam ſubitò fieri tantam alterationem, vt tactus cauſet dolorem; ergò aliquando à diuiſione, & non alteratione fit dolor.

Probatur ſecundo tactus conceſſus eſt animalibus ad euitanda noxia; ſed non minùs aduerſatur naturæ diſſolutio continui; quâm mala temperies, qua cauſatur alteratio; ergò non minùs eſt cauſa doloris diſſolutio continui, quàm mala temperies.

Probatur tertio dolor, qui oritur ex puntura videtur diuerſæ rationis, ab eo, qui oritur ex mala temperie qualitatum; ergò debent habere diuerſas cauſas.

Confirmatur ex Galeno de ſimpl. med. fac.cap.ſecundo, & in eodem libro de inæquali temperie, vbi affert cauſas doloris, quæ ſunt, inquit, primæ qualitates, diſſolutio continui; & in de met. cap. ſeptimo; dolorem, inquit aut ex aliqua alteratione, aut diſſolutione continui oriri.

Quod vtraque, ideſt mala temperies, & ſolutio continui ſimul producant dolorem, ex ſe patet, tùm etiam experientiâ; experimur enim in aliquo dolore percipere vtramque, tùm quia tàm philoſophi, quàm Medici hoc afferunt ſine controuerſia.

Quæres, quæ nam ex iſtis cauſis generet intenſiorem dolorem, diuiſio continui, an alteratio, proueniens à primis qualitatibus? Reſpondeo, diuiſionem generare intenſiorem dolorem; & ratio eſt, quia diuiſio partium animalis magis aduerſatur naturæ animalis; ergo producit intenſiorem dolorem. Probatur antecedens; nam in ardentiſſimis febribus calor ferè æqualiter diffuſus eſt per totum corpus, quia tamen diuiſio continui non fit æqualiter in omnibus partibus, ſed magis fit in lumbis, & renibus, in quos confluunt plures humores, quibus fit diuiſio continui; in Thorace verò etiamſi ſentiatur magnus

gnus

gnus dolor, quia tamen ob capacitatem, ibi humores recipi poſſunt,ſine diuiſione continui, minor ſentitur dolor. In capite verò, quia plures aſcendunt vapores, nec facilè exhalari poſſunt, magis fit dolor. Demum vbicumque includuntur multi humores, qui reliquas partes præter naturam compellunt, magis ſentitur dolor, vt patet in pleuritide, & in inteſtinis, in quibus fiunt dolores colici.

Secundò, quia ſemper cùm primæ qualitates cauſent magnum dolorem, cauſant etiam aliquam diuiſionem continui, vel propter copiam humorum, qui confluunt ad partem læſam, in qua fit dolor, vel quia calor ipſe rarefaciendo humorem, diſſoluit partes viuentis, vt accidit in combuſtione: vnde oritur, vt illa,quæ comburuntur, ſæpè crepitent.

Dices, interdùm dolor durat multum temporis, in quo non poteſt durare alteratio,& diuiſio continui; ergo dolor non fit alteratione, & diuiſione continui.

Reſpondeo, negando antecedens, quia per multum tempus confluere poſſunt humores ad vnam aliquam partem, qui iàm alterant, mordent, atque diuidunt.

Quæres, an omnes quatuor qualitates cauſent dolorem?

Reſpondeo quoad calorem, & frigus, iàm ſuperiùs probauimus,per ſe cauſare poſſe dolorem; quoad verò humiditatem, & ſiccitatem.

Dico primò,per ſe per propriam actionem,neq; humiditatem, neque ſiccitatem cauſare dolorem. Probatur, quia,vt cauſatur dolor requiritur ſubitanea aliqua actio; ſed humiditas, & ſiccitas ſegniter agunt:ergò non poſſunt per ſe, & per propriam actionem cauſare dolorem: & ſi efficiant, præcipuè aliquem dolorem; erit adeò paruus, vt vix ſentiri poſſit: humiditas,cùm hebetet ſenſum, etiamſi efficiat aliquam diuiſionem continui, non tamen ſentitur dolor.

Dico ſecundò,ſiccitatem,& humiditatem,annexas aliis qualitatibus, cauſare poſſe dolorem, vt ſi cum calore,E G.ſiccitas, exſiccet, & cum mordacitate pungat cauſat dolorem, licet hic dolor tribuendus potiùs ſit calori, quàm ſiccitati; idem dicendum de humiditate, quæ ſæpè reperitur in ſubſtantia mordaci,

quæ

quæ pungit, incidit, atque vellicat aliquam partem, &c.

Quæres, an in omnibus ſenſibus ſentiatur dolor? Reſpondeo, ſenſus vel conſiderantur, vt ſunt conexi cum ſenſu tactus, vel conſiderantur in ſe, præſcindendo à ſenſu tactus: ſi conſiderentur primo modò,

Dico, in omnibus ſenſibus eſſe dolorem proprium; & ratio eſt, quia in omnibus ſenſibus fieri poteſt diuiſio continui, & alteratio; ergò in omnibus fieri poteſt dolor proprius; ſi verò conſiderentur ſecundo modo, ideſt ratione ſui, non ratione ſenſus tactus; Dico, in omnibus ſenſibus dolorem proprium eſſe non poſſe. Ratio eſt, quia ſpecies obiecti aliorum ſenſuum non ſunt actiuè actione reali, & læſiua: ergò non poſſunt cauſare proprium dolorem.

Dico, in omnibus ſenſibus ratione ſui eſſe dolorem, improprium tamen, qui eſt moleſtia quædam & non verus dolor; & probatur, quia ſenſus aliquandò recipiũt ſpecies alicuius obiecti, quæ delectant, & aliquandò ſpecies obiecti, quæ afferunt moleſtiam, quod clarè patet: nam viſus delectatur colore viridi, & non nimis albo, vel nigro: guſtus ſapore dulci delectatur. amaro moleſtia afficitur; & ſic de aliis ſenſibus eſt philoſophandum.

DISPVTATIO I.

De ſenſu communi,

ANtequam agemus de ſenſu communi breuiter agendum de ſenſibus internis in communi. Pro quibus eſt Peculiaris articulus.

ARTICVLVS VNICVS.

De Senſibus internis in communi.

SEnſus interni ſunt potentiæ, ſeu facultates, animæ ſenſitiuæ, quæ in cerebro latitantes, circa notitiam rerum corporearum mediantibus ſenſibus externis verſantur. Iſti ſenſus dicuntur interni, & ſupradicti quinque externi; non quia illi etiam non ſint interni, cum intra caput animalis inhæreant;ſed quia illi immediatè recipiunt ſpecies ſui obiecti;iſti verò mediatè ideſt mediantibus ſenſibus externis: ad hoc vt enim ſpecies coloris E. G. recipiatur in ſenſu communi, vel in phantaſia prius recipi debet in potentia viſiua, deinde in ſenſu communi, & alijs ſenſibus internis ideoque illi externi, iſti verò interni dici ſolent.

Quod dentur ſenſus interni, per ſe patet; experientia enim conſtat, dari aliquas operationes ſenſitiuas, quæ ab externis ſenſibus prouenire non poſſunt: nàm animalia recordantur, vbi aliquandò comederint, quieuerint,fœtus reliquerint, imaginantur, aliasq; operationes efficiunt, quæ à ſenſibus externis elici non poſſunt, quod probat Ariſtotiles lib. de ſenſu & ſenſili cap.2.& 25.de Anima tex.136.

Difficultas, & controuerſia eſt de numero horum ſenſuum internorum. Quidam enim putant vnum tantum eſſe ſenſum internum, qui ſecundum varias operationes, quas exercet, varias habet denominationes, ita opinantur communiter omnes illi,qui negant,potentias animæ eſſe realiter diſtinctas, vt Marſil ius diſ.7.q.7.Greg.q 9.& alij.

Quidam alij putant, duos tantum eſſe ſenſus internos, ideſt ſenſum communem, & phantaſiam; ità Conib. 3. de Anima cap. 3.q.1. multique alij. Quidam alij tres, ideſt ſenſum communem, phantaſiam, & memoriam; qui æſtimatiuam non diſtinguunt à phantaſia: ità Toletus 3. de anima, q.96. multiq; alij; quidam verò quatuor, ideſt sensum communem, phantaſiam,

ſiam, æſtimatiuam, & memoriam; Auer. 3. de anima, com. 6. S. Thomas p.p.q.78. ait, eſſe quatuor, multique alij.

Dico cum Auer. & S. Thoma, quatuor tantum eſſe ſenſus internos. Probatur tot ſunt aſſignandi ſenſus interni, quot ſunt actus neceſſarij ad conſeruationem vitæ perfecti animalis: ſed tales actus ſunt quatuor; ergo & quatuor ſunt aſſignandi ſenſus interni. Maior eſt certa, minor probatur. Requiritur primò aliquis actus internus apprehendens obiecta omnium ſenſuum externorum, eorumque operationes percipiens, ac perficiens. Requiritur ſecundò actus apprehendens obiectâ omnium ſenſuum externorum in eorum abſentia; quo ſenſu animal mouetur ad quærendum cibum, & alia neceſſaria ad vitam. Requiritur tertiò actus, qui eliciat à ſpeciebus ſenſatis species non sensatas; quo actu animal diſtinguit ſibi conueniens, & inconueniēs, amicitiam, & inimicitiam, ſic ouis uidens lupum apprehendit inimicitiam inter ſe, & lupum, & fugit. Requiritur quartò actus qui recipiat non sensata in absentia obiecti, illaque conseruet, quo sensu animal reddit ad quærendum ſibi conueniens, & ad fugiendum ſibi inconueniens iàm prænotum; quatuor ergo sūt actus neceſſariò requiſiti ad conſeruationem vitæ perfecti animalis; & conſequenter quatuor sunt aſſignandi sensus interni; quorum Primus dicitur sensus communis; ſecundus phantaſia; tertius dicitur exiſtimatiua qui in homine dicitur cogitatiua, quartus dicitur memoria, qui sensus, eorumq; actus clariùs patebunt in eorum explicatione in particulari.

Dico iſtos quatuor sensus eſſe inter ſe realiter diſtinctos, & eſſentialiter diuerſos.

Quòd iſti sensus, eorumque actus ſint realiter diſtincti. Probatur quotiescunque ablato vno remanent alia, illud eſt ab illis realiter diſtinctum: ſed læso, ſiuè ablato vno aliquo sensu ex iſtis quatuor, alii remanent illæſi; ergò sunt realiter diſtincti. Maior eſt certa, minor probatur primò experientia; quidam homines benè imaginantur, & malè iudicant; quidam malè apprehendunt, & benè iudicant; quidam benè recordantur, & malè iudicant, ac imaginantur; probatur ſecundò ex conſenſu omnium Medicorum, qui dicunt, hos sensus diuerſis affe-

Digitized by Google

ctionibus affici, & diuerſis remedijs curari, vnoque male affecto, alios omnes incolumes manere; ergò ſunt realiter diſtincti.

Quod ſint eſſentialiter diuerſi; probatur, potentia, & actus diuerſificantur eſſentialiter per diuersa obiecta formalia, & diuerſum modum tendendi; ſed iſti ſenſus, eorumque actus habent diuersa obiecta formalia, & tendunt diuerſo modo ad illa, vt fusè probabitur in eorum explicatione in particulari; ergò ſunt eſſentialiter diuerſi.

Obijces; vnus, & idem intellectus eſt ad omnia; obiecta intelligibilia per diuersas operationes, ergò, & vnus ſenſus internus poteſt eſſe circa omnia obiecta ſenſibilia.

Reſpondeo concedo antecedens, & nego conſequentiam; quia omnia intelligibilia exigunt vnum tantùm modum tendendi ad ſe ipsa: at verò ſenſibilia exigunt diuersos modos tēdendi: Prætereà intellectus cùm ſit ſpiritualis, & perfectior, extendi poteſt circa plura, & diuersa, at verò ſenſus cùm ſint materiales, & imperfectiores hoc præſtare nequeunt; ergo, &c.

Obijcies ſecundò: memoria intellectiua non diſtinguitur ab intellectu: ergò neque memoria ſeſitiua diſtinguitur ab imaginatiua.

Reſpondeo concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia ſpecies in intellectu cùm ſint ſpirituales non exigunt diuerſum temperamentum, vt percipiantur, & conſeruentur; at verò memoria ſenſitiua, & imaginatiua requirunt diuersa temperamenta, vt agentes de eorum temperamentis probabimus.

QVAE-

QVAESTIO I.

De natura & eſſentia ſenſus communis.

ARTICVLVS I.

Quid ſit & an detur ſenſus communis.

PRO intelligentia ſensus communis ſciendum eſt, varia eſſe munera ſensus communis.

Primum eſt præbere ſpiritus animales ſenſibus externis, quibus ſpiritibus ſensus externi operantur; & hoc patet, quia læſo ſensu communi læduntur, & ipſi sensus externi, nullamque operationem efficere poſſunt. Secundum munus eſt, vt ſimul cùm ſenſibus externis percipiat eorum ſenſibilia, eorumque differentias, vt E.G. inter album, & dulce, inter ſonum, & odorem, quia licet vnusquisque sensus discernat proprias differentias ſui obiecti E.G. visus, differentiam inter album, & nigrum, guſtus inter dulce, & amarum, &c. non tamen obiectum vnius sensus ab obiecto alterius, E.G. visus non poteſt discernere differentiam inter album, & dulce, sed solus sensus communis.

Tertium munus eſt, aduertere sensus externos, vt in operari percipiant se operari: vndè ſine sensu communi etiamſi animal operetur E.G. videat, non percipit, neque aduertit se videre.

Quartum munus eſt, vt species rerum ſenſibilium à sensibus externis recipiat, illasque phantaſiæ porrigat.

Quintum munus eſt excitare somnum in animali; cum somnus nihil aliud ſit, quam feriatio sensus communis; & sensuum externorum, vt agentes de somno explicabimus.

Colligitur ex dictis neceſſitas ponendi sensum communem, quia sensus externi operari non poſſunt, ſine facultatibus influen-

fluentibus, & ſpiritibus animalibus; quos habent à ſenſu communi, ergò neceſſariò ponendus ſenſus communis, vt foueat, & præbeat vim ſentiendi ſenſibus externis.

Dices, diſcernere differentias ſenſibilium fieri non poſſe ſine comparatione, & diuiſione: ſed comparatio, & diuiſio pertinent ad cogitatiuam; ergò ſenſus communis non poteſt diſcernere differentias ſenſibilium.

Reſpondeo negando maiorem, quia ſenſus communis diſcernit differentias ſenſuum externorum per ſimplicem perceptionem ipſius diuerſitatis, quemadmodum faciunt ſenſus externi, E G. viſus dum diſcernit differentiam albi, & nigri, cum percipit album non eſſe nigrum.

Colligitur ex dictis, obiectum primarium, & adæquatum ſenſus communis eſſe omnia ſenſibilia ſenſuum externorum in communi obiectum ſecundarium eſſe ſingula ſenſibilia in particulari.

Quæres cur hic ſenſus dicatur ſenſus communis.

Reſpondeo primo, quia verſatur circa omnia obiecta ſenſuum externorum, eorumque operationes; ſecundo quia ſubminiſtrando illis vim operandi, ideſt ſpiritus animales, concurrit cum illis ad eorum operationes, quæ operationes, & ſpecies rerum ſenſibilium à ſenſibus externis terminantur ad ſenſum communem, ſicuti multæ lineæ à circumferentia terminantur ad punctum centri.

ARTICVLVS II.

De ſubiecto ſenſus Communis.

Dico, ſenſum communem reſidere in cerebro, & de hoc nulla videtur difficultas, neque controuerſia; tùm quia ferè ab omnibus conceditur; tùm quia nos agentes in prima parte de potentijs animæ hoc probauimus; Difficultas ſolum eſt in quanam parte cerebri reſideat; pro qua Dico, ſenſum communem reſidere in anteriori parte cerebri, & probatur, in

in illa parte cerebri collocandus eſt ſenſus communis, ex qua originem ducunt nerui,per quos ſpiritus animales ſenſibus externis communicat, & per eoſdem ſpecies rerum ſenſibilium a ſenſibus oblatas,ad cerebrum tranſmittit; ſed tales nerui, vt patet ex anatome, originem ducunt ab anteriori parte cerebri; ergò in anteriori parte cerebri collocandus eſt ſenſus communis.

Confirmatur hoc ex Gal. de vſu partium cap.2.& S.Thoma quæſt.78. artic.7. qui expreſsè docent, ſenſorium ſenſus communis eſſe anteriorem partem cerebri.

Difficultas iam eſt, an ſit in ſubſtantia cerebri, an verò in vno ex ventriculis cerebri.

Dico primò, ſenſum communem reſidere in ſiniſtro ventriculo exiſtente in anteriori parte cerebri. Quod reſideat in ventriculo probatur; Deus & natura nihil faciunt fruſtra: ſed natura in cerebro fabricauit quatuor ventriculos; non ad aliũ vſum, niſi ad habitaculum facultatum; cum nulli alteri inſeruiant; ergo ſenſus communis reſidet in ventriculo cerebri. Quod reſideat in ſiniſtro ventriculo anterioris partis cerebri. Probatur, in illo ventriculo cerebri reſidet ſenſus communis, qui eſt propinquior ſenſibus externis: ſed ſiniſter ventriculus eſt propinquior ſenſibus externis: ergò in ſiniſtro ventriculo anterioris partis cerebri reſidet ſenſus communis: minor eſt certa; vt patet ex anatome; maior probatur, quò propinquior eſt ſenſus communis ſenſibus externis, eò meliùs, ac faciliùs communicat illis vim agendi: Ergò natura in ſiniſtro ventriculo, in anteriori parte cerebri, qui propinquior eſt ſenſibus externis, collocauit ſenſum communem.

Obijcies, ventriculi cerebri à natura facti ſunt, propter elaborationem ſpirituum animalium;Ergò non ſunt facti ad vſum facultatum; facultas enim, & elaboratio ſpirituum in eodem loco eſſe non poſſunt, cùm elaboratio ſpirituũ impediat vſum facultatum.

Reſpondeo negando antecedens,quia ſpiritus animales, non elaborantur in ventriculis cerebri, ſed in rete mirabili, in quo eſt magna copia venarum, & arteriarum, quæ propter elaboratio-

rationem ſpirituum à natura ibi inſtitutæ ſunt, vt multoties ſuperiùs dictum eſt.

Quo ad temperamẽtum requiſitum ſenſus communis ad benè, ac perfectè operandum. Dico, eſſe idem temperamentum, ad bonam imaginationem requiſitum: requirit enim eaſdem diſpoſitiones cerebri, quas requirit imaginatio ad benè, ac perfectè operandum, quas agentes de imaginatione fusè explicabimus.

QVAESTIO II.

De ſomno & vigilia.

ARTICVLVS I.

Quid ſit ſomnus.

SOmnus eſt feriatio, ſeù ceſſatio naturalis ſenſus communis, ac ſenſuum externorum, inſtituta ad quietem, & ſalutem animalium.

Dixi, eſſe ceſſationem tàm ſenſus communis, quàm externorum ſenſuum, quia dùm adeſt vigilia ſenſus communis continuò tranſmittit facultates, & ſpiritus influentes ad ſenſus externos, vt operari poſſint, & ipſi sensus externi per eoſdem ſpiritus, & facultates, tranſmittunt ſpecies ad ſenſum communem, cuius tranſmiſſionis ceſſatio ex vtraque parte ſomnus dicitur. Ex hoc oritur, quòd cùm aliquis interdiù dormit, etiamſi oculos apertos habeat, videre non poſſit; quia abſunt facultates, & ſpiritus influentes, per quos ſpecies transferuntur ad ſenſum communem; ſimiliter neque audire poteſt, quia etiamſi aliquis prope dormientem loquatur; atque ſonum edat, ipſeque ſonus perueniat ad auditum, cùm ſpiritus, & facultates influentes, quæ per neruum auditorium ſpecies ſoni transferre ſolent, abſint, ſonum percipere non poteſt; ſimile contingit cæteris alijs omnibus externis ſenſibus.

Dices,

Dices, aliquandò vnus aliquis ſenſus in ſomno operatur, alijs ſenſibus non operantibus; ergò falſum eſt, quòd in ſomno ſenſus externi non mittant ſpeciem ad ſenſum communem. Probatur antecedens; quià ſæpè contingit, quòd dormiens ſurgat, ambulet; & loquatur, aliaſque varias actiones agat, vt experientia patet: ergò in ſomno ſenſus externus operari poteſt.

Reſpondeo negando antecedens; ad eius probationem dico, motum illum non eſſe actionem ſenſuum externorum, ſed internorum, qui ſenſus interni operantur etiàm in ſomno, cùm ſpecies non à ſenſibus externis, ſed a phantaſia ſumant; motus enim localis prouenit ab imperio potentiæ appetitiuæ, & motiuæ, quæ aliquandò moueri poſſunt à ſpeciebus ſumptis à phantaſia etiamſi ſenſus externi actu non operentur, nequè fit motus ille per ſpiritus animales à ſenſu communi ad membra corporis emiſſos, ſed per illos, qui à natura in membris corporis relicti, vt vigiles, ſeù præſidium vt paulò inferiùs explicabimus, quibus ab illo motu abſumptis, corpus langueſcit, propterea experectum animal, illud à ſomno ſentit ſe defatigatum, & debile.

Quæres, cùr iſti non recordentur actiones in tali ſomno actas?

Reſpondeo, quia cùm ſenſus externi non operentur, ſpecies illarum actionum in memoria imprimi non poſſunt.

Dices, dùm quis ſomniat, ſe aliquid efficere ſæpè illius meminit; ergò allata ratio nulla eſt.

Reſpondeo negando conſequentiam: diſparitas eſt, quia ille, qui ſomniat ſe aliquid feciſſe, operatur ad intrà per ſpecies, iàm in memoria, vel in phantaſia exiſtentes; vndè non indiget alijs ſpeciebus: ille verò, qui in ſomno ſurgit ambulat &c. operatur ad extrà, quarum operationum ſpecies ad recordandum neceſſariò a ſenſibus externis transferri debent ad ſenſum communem, ſed quia ſunt impediti, transferri non poſſunt, ideò non recordantur.

Queres, à quonam, tranſitus ſpirituum in ſomno à ſenſu communi ad ſenſus externos impediantur; & quomodo?

Reſpondeo, à tribus rebus impediri ſolet tranſitus ſpirituum à ſenſu communi ad ſenſus externos, & a ſenſibus externis ad

ſenſum communem. Primò a vaporibus ex ventriculo ad cerebrum elatis; ſecundò ab humoribus cerebrum opplentibus, & aggrauantibus, tertiò à vigilijs, & laboribus, qui ſpiritus naturales diſſipant, prò cuius intelligentia.

Sciendum eſt, poſt cibum, & potum calor naturalis ab externis partibus ad ventriculum retrahitur, vt alimentum coquat, atquè perficiat, ex qua concoctione alimenti attolluntur multi vapores, qui per ſeptimum par neruorum; cuius multi rami ad ventriculum, aliaque viſcera corporis diſperguntur, ad cerebrum feruntur; tùm etiam per multas venas, & arterias a ventriculo ad cerebrum aſcendunt, ibiquè ex frigiditate cerebri condenſati, obſtruunt neruos, per quos ſpiritus in cerebro exiſtentes, a ſenſu communi ad ſenſus externos ferri ſolent, & cõſequenter impediunt tranſitum ſpirituum à ſenſu communi ad ſenſus externos, quemadmodùm nubes interpoſita impedit lumen, ſeù radios ſolis ad terram, vndè quò abundantiores, & denſiores ſunt vapores, eò ſomnus longior, ac profundior eſt, & e contrà, quò pauciores, & rariores ſunt, eò ſomnus breuior, ac leuior eſt.

Similitèr humores poſt cibum à calore ad viſcera attracto, nempè ad cor, iecur, aliaſquè partes, a b illis rursùs per venas, & arterias ſursùm aſcendentes; ad cerebrum feruntur, quod applendo, humectando, atquè deprauando, ſomnum inducunt.

Diuturnæ vigiliæ, & labores tranſitum ſpirituum impediunt, & ſomnum inducunt, quia in operando multos ſpiritus animales diſſipant, tùm in ſenſibus externis, tùm in cerebro, ideoquè natura, reliquos ſpiritus in cerebro manentes, retinet, alioſque per corpus ſparſos ad officium ſenſuum præditos, ideſt ad faciendas ſenſationes deſtinatos reuocat, vt iſtis ſpiritibus, caloreque natiuo loco deperditorũ ſpirituum alios ſpiritus animales generet; Ex retentione igitur ſpirituum in cerebro, & reuocatione aliorum á corpore ab externis partibus corporis prouenit feriatio ſenſuum, quæ ſomnus dici ſolet.

Dixi, naturam ſpiritus per corpus ſparſos ad cerebrum reuocare: non tamen omnes, plurimos enim per membra corporis, & organa ſensuum externorum, vt præſidia, ſeù vigiles relin-

quit, quod natura facit, vt Dux Militum E. g. qui milites ad arcem reuocans, relinquit præſidia, ſeù vigiles; vt in aduentu alicuius inimici, denuntient illi, ad hoc vt contrà illum cum exercitu inſurgat. Omninò idem facit natura: vt agentes de modo, quo animal expergiſcitur à ſomno, fusè explicabimus.

Obijces, ſi ſomnus fieret à cibi vaporibus, ad cerebrum aſcendentibus, poſt quamcumque cibi aſſumptionem adueniret ſomnus: ſed hoc eſt falſum, & contra experientiam, cùm poſt prandium non videatur ſempèr contingere ſomnum: ergò non prouenit à vaporibus ad cerebrum allatis.

Reſpondeo, duas eſſe cauſas, ob quas ſomnus poſt omnem cibum non aduenit: prima eſt conſuetudo dormiendi poſt cibum, quæ conſuetudo eſt altera natura; ſi enim aliquis ſit conſuetus poſt omnem cibum dormire, poſt omnem aſſumptionem cibi illi aduenit ſomnus, ſiuè ſit in prandio, ſiuè in cœna, & contra ſi ſit aſſuetus non dormire, illi non aduenit ſomnus.

Secunda cauſa eſt maior, vel minor attentio poſt cibum, qui enim poſt prandium diligentem attentionem patiuntur, poſt prandium ſomnum concipere non poſſunt; Et è contrà ſempèr tamen ſermo eſt de aſſumptione cibi in debita quantitate, vel maiori; non verò de nimis pauca.

Obijces. ſomnus, vt experientia docet, aliquandè inducitur à iucunda cantatione, vt patet in nutricibus; aliquandò à ſuaui, ac delectabili ſono alicuius inſtrumenti muſici; aliquandò à leni fictione pedum, vel capitis, & aliquandò ab alijs ſimilibus: ergò ſomnus non ſemper inducitur à vaporibus, humoribus, & diſſipatione ſpirituum animalium; vt dictum eſt.

Reſpondeo concedo antecedens, & nego conſequentiam; quia iucunda, ac grata cantatio ſuauis, ac dulcis ſonus inſtrumenti muſicalis, dùm auditum lenitèr demulcent, ità facultatem ſenſitiuam ad se alliciunt, vt alij sensus ab operatione ceſsent, cùm eorum ſpiritus retrahantur ad cerebrum. Senſus auditus ſolus remanens, & ille paulatim in aliorum ſenſuum conſensum retrahitur, Vnde fit ceſſatio ſpirituum, & conſequentèr inducitur ſomnus.

Similitèr leni frictione pedum, vel capitis trahitur tota fa-

 cul-

cultas ſenſitiua ad ſenſum tactus;cœteri verò ſenſus,cum à ſuis operationibus ceſſent,eorum ſpiritus ad cerebrum detrahuntur. Senſus tactus ſimul cum alijs ſenſibus facilè, & paulatim otiatur; hoc tamèn faciliùs contingere ſolet ſtomacho pleno, non vacuo, & hac ratione, hæc, & alia ſimilia ſomnum inducere ſolent.

Confirmatur experientia, quòd nimirum ſomnus proueniat ex vaporibus, humoribus in capite elatis, &c. experientiâ, inquàm, eorum, quæ vapores generant, vt ſunt vinum, lac, lactuca, & alia ſimilia; nàm vinum E.g. largitèr sumptum propter magnam copiam decoqui non poteſt; & quia ex ſua natura habet, vt ſit vaporoſum, & ſursùm tendat per vias ſuperiùs dictas in cerebrum rapitur, ibiquè ſuo crudo humore, & vapore à frigiditate cerebri craſſefactum, extinguendo aliquid caloris cerebri, illud refrigerat, atquè humectat, ſpiritusquè animales incraſsat, qui craſſiores redditi, cùm ad ſenſus externos permeari non poſſint, ſomnum inducunt.

Vndè vinum etiamſi natura ſua ſit calidum, cruditate tamen, & copia ſui humoris, ac vaporis extinguendo aliquid caloris cerebri, illud refrigerat, ac humectat; ſomnum inducit; refrigerando igitùr, & humectando, non calefaciendo, vt quidam opinantur, ſomnum inducit: cerebrum enim calefacientia, & exſiccantia potiùs ſomnum impediunt, quàm illum conciliant. Eodem modo philoſophandum eſt de cœteris vaporoſis, ſomnum inducentibus; ſi tamèn iſti vapores ad cerebrum aſcendentes ſint benigni, & mediocritatem non excedant, condenſati, deorsùm feruntur, viſcera refrigerant, & impediunt nè vapores noxij ad caput aſcendant. ſi verò mediocritatem nimis excedant; cùm cerebrum eos regere non poſſit, in pituitam, & conſequentèr catarrhum conuertit; ſicuti etiàm vapores à mala concoctione, ſeù cruditate ad cerebrum peruenientes, cùm eos regere, ac conquerere non poſſit ob eorum cruditatem in pituitam, & catarrhum conuertit.

Hìc vſquè dictus ſomnus prouenit ab humoribus, & vaporibus benignis: aliquando enim ad cerebrum eleuantur quidam humores, & vapores noxij, qui ſpiritus animales quaſi torpidos red-

reddentes, eorum tranſitum impediunt; Vndè oritur ſomnus morboſus, & præternaturalis; vt eſt ille, quem inducunt res frigidæ, E. g. opium, papauer, mandragora, aliaque ſimilia; qui enim ſomnus, dùm quantitatē excedit, aliquandò lethargicus, & aliquando lethalis euadit.

Quæres, quænam ſint ad prouocationem ſomni concurrentia, & quæ ad eius perturbationem?

Reſpondeo, eſſe multa E. G. tenebræ, ſilentium, deambulatio ſub sole, præcipuè tempore æſtiuo, multaque alia, eorumque oppoſita, multaque alia ſomnum perturbant; nàm tenebræ calorem natiuum, & ſpiritus animales ad cerebrum repellendo, tollunt occaſionem ſenſus operandi; lux verò oppoſita tenebrarum, cùm trahat calorem, & ſpiritus animales ad exteriores partes corporis, præbet occaſionem ſenſibus operandi, ſilentium ſimilitèr tollit occaſionem ſenſus operandi; nàm cùm auditus nullam operationem in quiete exercere poſſit, ſpiritus ad cerebrum redeunt, ibiquè retenti ſomnum generant: ſtrepitus verò cùm prebeat occaſionem auditui operandi, facit, vt ſpiritus à cerebro ad ſenſum auditus ferantur, & conſequentèr sensus excitentur.

Aer, & locus mediocritèr frigidus repellunt, ſpiritus, caloremquè natiuum ab exterioribus partibus ad interiores, qui ſpiritus, & calor somnum conciliant. Calor vero externus attrahit calorem, & spiritus ad exteriora, & consequentèr præbens occaſionem ſenſibus operandi, somnum impedit.

Proptèr eandem rationem dolor somnum impedire solet; quia natura proptèr vehementem ſenſationem doloris ad organum sensus, in quo percipitur dolor, mittit magnam copiam spirituum, qui cùm excitent sensus somnum efficere, non permittunt.

Nimiæ curæ somnum impediunt; primò quia ad diuersas conſiderationes animum trahentes, quieſcere non permittunt. Vndè senes nimis vigilant; quia pleni curarum sunt; secundò, quia nimiæ curæ, cùm spiritus, & calorem diſſipent, concoctionem deprauant, vapores disgregant, & conſequentèr somnum impediunt.

Inediæ

Inediæ etiam ſomnum impedire ſolent, quia ob inedias in ventriculo non adeſt materia concoctionis, & conſequenter deſunt etiam vapores & humores ad cerebrum aſcendentes propter ſubminiſtrationem ſomni, ſine quibus ſomnus effici difficile poteſt. Aliquando tamen ſtomacho pleno, & vaporibus in cerebrum elatis, opportuna etiam hora dormiendi ſomnus non capitur; hoc tamen oritur propter aliquod impedimentum, quod in ventriculo eleuationem vaporum impedit, vel in cerebro eorum concoctionem inhibet.

Quæres quomodo ſomnus finiat?

Reſpndeo, ſomnus dupliciter finiri ſolet, ſpontè, & coactè finitur. Spontè ſomnus, dùm materia humoroſa, & vaporoſa ſomnum naturalem cauſantia, à ſpiritibus, caloreque natiuo adſumuntur; & ſufficienter à natura, alij ſpiritus animales in cerebro loco perditorum per vigilias, & motum geniti ſunt.

Expergiſcitur igitur animal ſpontè, ſeu naturaliter, dùm iam in cerebro abſumpti ſunt humores, & vapores, nouique ſpiritus animales geniti ſunt.

Finitur ſomnus coactè pluribus à rebus, dùm nimirùm nimiùs ſonitus auditum ferit, magna lux oculos, percuſſio tactũ, & alia quæ feriendo organum alicuius ſenſus, ſpiritus ibi vt vigiles excitantes excitant, qui excitati, ſtatim naturæ in cerebro inhærenti, aduentum rei moleſtiam afferentis denuntiant, licet confusè, & indiſtinctè, cùm ad diſtinctè referendum non ſint ſufficientes. Natura hanc denuntiationem percipiens, confeſtim à cerebro ſpiritus animales, tanquam obuios ad ſenſus externos mittit; vt ei qualitatem rei aduentitiæ diſtinctè denuntiẽt: quibus ſpiritibus ad organa ſenſuum peruenientibus animal expergiſcitur.

Signa abſumptionis vaporum, ac humorum in cerebro, ſeu ſigna defitionis ſomni ſpontè factæ præcipuè ſunt duo, nempè leuitas capitis, & alacritas membrorum corporis. Si enim ſtatim poſt defitionem ſomni caput percipiatur leue, ſignum eſt quòd vapores, ac humores caput opplentes, ac aggrauantes, abſumpti ſunt, & ſi partes corporis alacriores, & membra quaſi ſaltitare percipiantur, ſignum eſt, ſpiritus animales loco deper-

perditorum genitos, & ad habitū corporis redditos eſſe quorū propriū eſt mēbra corporis viuentis lætificare; & econtra ſigna defitionis ſomni coactè factæ ſunt, ſi poſt deruptionem ſomni caput percipiatur grauè propter materiam humoroſam, ac vaporoſam, quæ in cerebro non abſumpta, illud opplent, atque aggrauant, & membra etiam percipiuntur torpidà propter inopiam ſpirituum in ipſis membris; qua ſpiritus priùs in illis exiſtentes, iam in cerebro attracti ſunt ad diſſipationem vaporum, aliorumque ſpirituum animalium generationem.

ARTICVLVS II.

Propter quid a natura omnibus animalibus ſomnus inditus fuit.

IN hoc articulo quatuor quærimus, primum quis ſit finis ſomni; ſecundum quis bonus, & quis malus; tertium quo tempore fieri debeat; quartum quomodò.

Quoad primum, finis, ſeu cauſa finalis ſomni eſt, ſanitatem corporis viuentis conſulere, eiuſque vires inſtaurare; Vndè Tertullianus in ſuo lib. de Anima: ſomnus, inquit, eſt recreator corporis, ruintegrator virium, probator valitudinum. Fernel. c. 17. lib. de pathol. ſomnus, inquit, eſt requies animi, pars humanæ vitæ melior, ſpirituum labore, & vigilis diſſipatorum, reſtaurator, &c.

Facit hoc natura tempore ſomni, quia calorem natiuum, ſpirituſque omnis generis ab externis partibus ad internas reuocando, quibus ſpiritibus, caloreque natiuo triplicem concoctionem perficit, nempè in ventriculo chilum, in hepate ſanguinificationem in omnibus partibus corporis, aſſimilationem alimenti in ſubſtantiam partium corporis; prætereà in cerebro generat ſpiritus animales in corde vitales, & in iecore naturales, quos ſpiritus deinde omnibus partibus corporis diſtribuens, eas reficit; atque roborat, vires totius corporis inſtaurat,

ſtaurat, membrorum defatigationem tollit, & ſanitatem conſuluit.

Tempore ſomni, vt ait Fernelius lib. de Pathologia cap. 17. eruptio ſanguinis, alui profluuium, vomitus, aliaque ſymptomata ceſſare ſolent præter ſudorem: pro cuius ſudoris intelligentia ſciendum eſt.

Natura ſudorem naturalem in ſomno, & præcipuè in fine ſomni mouet; quia tempore ſomni eleuantur multi vapores ex concoctione materiæ, qui, ſi ſint nimis tenues, & non inueniãt impedimentum, inſenſibiliter euaporant; ſi verò ſint craſſiores, & inueniant aliquod impedimentum, in ſudorem condenſantur, qui ſudor in fine ſomni inueniens poros apertos, foras defluit; antecedenter enim ad finem ſomni pori erant clauſi, & conſtricti propter frigiditatem corporis cùm calor, & ſpiritus ad concoctionem, & elaborationem intus concentrati erant; facta ergo concoctione, & elaboratione ſpirituum, rursùs ad externas partes corporis referuntur; qui partes calefacientes, poros aperiunt, quibus apertis, ſudor aditum inueniens, foras defluit.

Quoad ſecundum, quiſnam ſomnus ſit bonus, & quiſnam malus. Dico, ſomnum bonum eſſe placidum, profundum, & mediocrem; quia iſte vires reſtaurat, calorem natiuum auget, ſpiritus, & facultates recreat. Somnus verò turbulentus, leuis, & immoderatus valetudini magnoperè officit, caput grauat, calorem natiuum hebetat, membra laxat, ſpiritus, vireſque obruit.

Quæres quiſnam ſit ſomnus moderatus, & quiſnam immoderatus?

Reſpondeo, ſomnum moderatum eſſe, qui tandiù durat, quandiù coctio perficitur; concoctio perfici ſolet ſpatio ſeptem horarum circiter, ideoque ſomnus moderatus ſeptem horis circiter perdurare debet.

Dixi ſpatio ſeptem horarum circiter concoctionem confici; quia in quibuſdam citiùs, & in quibuſdam tardiùs efficitur, ſecundum maiorem, vel minorem quantitatem caloris natiui, boni, vel mali temperamenti, maioris, vel minoris copiæ cibi

aſſum-

aſſumpti, facilis, vel difficilis concoctionis; nam benè valentes, boni temperamenti, & plus caloris natiui præditi, citiùs concoctionem conficiunt; non tamen ante spatium sex horarum; habentes verò minus caloris natiui,& non adeò boni têperamenti, tardiùs concoctionem perficiunt; non tamen excedunt spatium nouem horarum; ſicuti igitur somnus moderatus eſt septem horarum; itá immoderatus eſt,qui excedit spatium octo, & nouem horarum.

Factæ concoctionis ſigna sunt leuitas capitis, reſtauratio virium, defluxus sudoris, & alia iàm superiùs dicta. Signa non factæ concoctionis sunt grauitas capitis, ructus saporem acidum, vel nidorosum referens, tenſio, vel pondus ventris,&c. Somnus profundus meliùs conuenit ad concoctionem alimenti; quià in profundo somno cum curæ insomnia,aliæque paſſiones, quæ spiritus, & calorem diſtrahunt, deſinant, facultates, calor natiuus, & spiritus totaliter ad concoctionem alimenti, & cruditates diù contractas diſſipandas incumbunt; in somno verò leuiori, cum adſint curæ insomnia, & aliæ paſſiones, facultatibus calorique natiuo totalem applicationem in coquendo, alimentum non permittunt.

Vndè facultates materiam alimenti, aliosque humores crudos ad iecur trahunt, & ex Iecore in alias partes corporis, vndè oritur, vt generentur multi, & varij morbi.

Confirmatur hoc experientia: nàm serui, nautæ, & alij, aſſiduis laboribus, ac vigilijs vitam ducentes, bona sanitate non fruuntur, propter inopiam somni.

Quæres, vndè proueniat somnus profundus, & vnde leuis?

Reſpondeo, ſomnum profundum prouenire à maiori quantitate caloris naturalis,qui in partibus internis attractus,& collectus, magnam copiam ſpirituum ſecum trahens, ſomnum intenſum ſine perturbatione conciliat; vt conſtat experientia; quia hyeme, & vere ſomnus longus, & profundus eſt, non propter aliam rationem; niſi quia tempore Veris, & Hyemis calor magis viget in partibus internis corporis, propter cuius defectum æſtate, & autumno ſomni ſunt breues, & leues,quod patet ex Hyppoc. lib. I. aphoriſ. 151. vbi ait: ventres hyeme,

& vere calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi.

Somnus verò leuis prouenit ex defectu caloris naturalis malæ concoctionis &c. Vndè ſomnus profundus melior eſt; leuis malus; nimis modicus peſſimus; propter rationes ſuperiùs allatas.

Colligitur ex dictis, quòd plus cibi, & potus aſſumentes, & præcipuè ſi illi cibi ſint difficilis concoctionis, indigent longiori ſomno; qui tamen non debet excedere ſpatium octo, vel ſaltem nouem horarum; & e contrà minus cibi, & potus aſſumentes, breuiori ſomno indigent; non tamèn minori ſpatio ſex horarum.

Quæres, quilnam ſomnus ſit vnicuique ętati, & temperamento conueniens?

Reſpondeo, ſenes propter eorum ſiccitatem, & frigiditatem pauco ſomno indulgere ſolent; licèt indigeant longiori ſomno ad cibum coquendum; ſenes enim cùm paucum caloris natiui poſſideant, concoctionem tardiùs perficiunt; ſomnus tamen eorum non debet excedere ſpatio octo horarū, etiamſi ad coquendam materiam longiori ſomno indigeant; ad diſſipandas tamen ſuperfluitates, vigilijs, & exercitio indigent: nām cùm eorum cutis, & caro ſint ſiccæ ſuperfluitates difficiliùs, & tardiùs ab habitu corporis euaporant.

Pueri propter eorum humiditatem, copiam vaporum, & copioſum cibum, quem ſæpè aſſumere ſolent, longiori ſomno indigent ad perficiendam concoctionem, non tamen semèl intra viginti quatuor horas: ſed ſicuti cibum ſæpè aſſumunt, illumque propter eorum nimium calorem citò coquunt, ità ſōnum intra diē pluribus vicibus iterare debent; Iuuenibus conuenit ſomnus moderatus; regulari tamen debent à quantitate cibi, in cœna aſſumpti: ſi ſit maioris quantitatis, longior ſomnus, ſi minoris, breuior; ſanguineis ſomnus moderatus conuenit, quemadmodùm, & eorum temperamentum moderatum eſt; pituitoſis, tàm ſomnus, quàm vigiliæ moderatæ conueniunt: quia nimiùs ſomnus propter plurimas ſuperfluitates, quas poſſident, in eis diſtillationem generat, & nimiæ vigiliæ concoctionem lædunt.

Me-

Melancholici longiori ſomno indigent, vt membra corporis à melancholico humore exſiccata, ab humiditate ſomni humectentur, ac recreentur; licèt melancholici propter eorum nimiã frigiditatem, & ſiccitatem longo ſomno indulgere nequeant.

Dices, melancholici multum comedunt; ergò multi vapores ad caput aſcendunt, qui longum ſomnum efficere poſſunt.

Reſpondeo, concedo antecedens, & nego conſequentiam; quia ob frigiditatem melancholiæ habent paucum calorem, qui non eſt ſufficiens ad eleuandos vapores, ad ſomnum requiſitos. Certum eſt, quòd melancholici ſint edaces; propter eorum enim frigiditatem multum appetunt; ſed quia ob deprauatum eorum guſtum, qui à frigiditate melancholiæ rigidus, & inſenſatus redditus eſt, comedunt ſine ſapore, ideòque non ſatiantur.

Quò ad tempus dormiendi. Dico tempus opportunum ſomni eſſe nocturnum.

Ratio eſt; quia tempore nocturno adſunt omnes conditiones, quæ concurrunt ad ſomni productionem, eiſque conſeruationem, vt ſunt tenebræ humiditas, frigiditas, ſilentium, & alia ſuperiùs dicta. Confirmatur ex Hypp. 2. præſagiorum, vbi inquit interdiù vigilandum; noctu verò dormiendum.

Aduerte tamen non eſſe dormiendum ſtatim poſt cœnam, ſed duabus, vel ſaltem vna hora poſt cœnam, alioquin caput multis vaporibus oppletur. Vnde oriūntur varia incomoda.

Difficultas eſt, an interdiù dormire liceat, pro qua. Dico, ſomnum meridianum fugiendum eſſe, non tamen ſemper, & ab omnibus, vt paulò inferiùs dicemus. Probatur quia ſomnus meridianus longus nimirùm quatuor, vel quinque horarum eſt cauſa multorum malorum; nam generat multos humores, & vapores crudos, qui à tali ſomno impediti, per vigiliam reſolui non poſſunt; ſi iſti vapores, & humores crudi, in aliqua parte corporis coaceruentur, ibique putreſcant, febrim generant; ſi in habitum corporis diſpergantur, ſcabiem, & apoſtemata producunt; ſi in caput deferantur, cerebrum aggrauando, & vellicando, tumorem oculorum, pallorem faciei, catarrhum, atque dolorem capitis generat. Hoc tamen totum prouenit à ſomno meridiano longo, ſomnus meridianus breuis aliquando

non ſolùm eſt vtilis, ſed etiam neceſſarius, præcipuè illis, qui propter nimium laborem debiles euaſerunt; quia breui ſpatio ſomni meridiani reuocantur, ſpiritus, & vires reſtaurantur, præcipuè tempore æſtiuo.

Tempore æſtiuo ſomnus nocturnus non eſt ſufficiens ad conſumptionem vaporum, & generationem ſpirituum, cùm propter breuitatem noctis, calorem, faſtidium Pulicum, aliorumque plurium ſufficienter dormire non poſſunt, ideòque ad reuocandos ſpiritus, caloremque natiuum ab habitu corporis ad diſſipandos vapores capitis; coquendum chilum in ſtomacho, vires inſtaurandas neceſſariò meridiandum eſt, ſpatio tamen vnius tantùm horæ in cathedra capite erecto, & nullo modo dimiſſo, cùm tantùm temporis ſufficiat ad peragenda ſuperiùs dicta.

Quoad modum dormiendi. Dico ſupinum nunquàm eſſe dormiendum; quia ex tali modo decumbendi renes incaleſcunt, ex quorum incaleſcentia, oriuntur arenulæ, dolores, aliaque mala; Periculum eſt etiam, vt ex tali decubitu contingat apoplexia, paralyſis, alijque ſimiles morbi propter defluxiones, quæ à cerebro, & ſpinali medulla per neruos ad habitum corporis ferri poſſunt.

Neque pronum dormiendum, quia ex tali decubitu multa copia ſanguinis ad oculos defluit, ex quo defluxu ſanguinis oriri poſſunt variæ affectiones oculorum. Dormiendum igitur eſt ad latus, modò dexterum, & modò ſiniſtrum; primò ad dexterum, vt cibus ad fundum ventriculi deſcendat, deindè ad ſiniſtrum, vt Iecori, ventriculo magis incumbente adiuuetur concoctio; poſteà verò ad dexterum, vt Chilus à Piloro per venas meſſaraicas ad Iecur deferatur.

Quæres, an primi Parentes in paradiſo terreſtri ſomno tentabantur?

Reſpondeo, S. Thom. alijque Theol. hoc affirmant, ille tamen ſomnus non contingebat propter laſſitudinem membrorũ, vel conſumptionem ſpirituum, vt ſolet fieri de facto in animalibus; ſed ſolùm propter oblectationem, cùm proueniret ſolùm ab alimenti euaporatione.

Explicato ſomno, explicanda eſt, & vigilia; quia cum ſe habeat,

habeat, vt habitus, & priuatio, & vnum neceſſariò ſequatur ad alterum poſt vnius explicationem ſequi debet explicatio alterius.

ARTICVLVS III.

De Vigilia.

Vigilia cùm ſit ſomno appoſitus, ex dictis de ſomno facilè colligitur, quid ſit vigilia; nam ſomnus cùm, vt ſuperiùs diximus, ſit quies, ſeù ceſſatio operationis ſenſuum externorum, neceſſariò vigilia debet eſſe motus, & operatio ſenſuum externorum.

Senſus enim externi in vigilia recipiũt in ſe facultates influẽtes, & ſpiritus animales à ſenſu communi, quibus operantur, & per eos mittunt ſpecies rerum viſibilium in ſe receptas ad eũdem ſenſum communem; in ſomno verò ceſſant à quacumque functione, & operatione: vndè vigilia eſt motus, & operatio ſenſuum externorum; ſomnus verò eſt quies, ſeu ceſſatio ſenſuum externorum ab omni operatione.

Variæ ſunt cauſæ vigiliæ, quarum prima eſt caliditas, & ſiccitas cerebri, quæ cùm humiditatem cerebri ad ſomnum requiſitam deſtruant, ſomnum impediunt. Secundò ſunt calidi, & ſicci humores, qui cerebri membranas vellicando naturæ quietem non permittunt. Tertia ſunt nimiæ inediæ, ratione quarum adeſt penuria vaporũ, qui requiruntur ad conciliandum ſomnum. Quarta ſunt curæ, & ſollicitudines, quæ per ſuas ſpecies in phantaſia volitantes, ſomnum impediunt. Quinta ſunt tumultus, ac ſtrepitus, qui naturæ inquietem, & ſpiritus per habitum corporis diſperſos retinent. Sexta ſunt omnia alia, quæ ſenſus excitant.

Quoad vtilitatem vigiliæ, ſciendum eſt, Vigilias alias eſſe moderatas, & alias immoderatas; vigiliæ moderatæ & ſuo tempore adhibitæ corpori viuenti magnam vtilitatem conferunt; nam excrementa à concoctione relicta, partim diſſipant, & partim

tim ad euacuationem diſponunt, humores alimētarios per corpus diſtribuunt appetitum prouocant, multaque alia bona afferunt, & ècontra vigiliæ immoderatæ, vel ſuo tempore non addibitæ, concoctionem impediunt, cruditates generant, ſpiritus caloremque natiuum diſſipāt, facultates debilitant,& abſumendo humidum, corpora reſoluunt, ſicciora, ac graciliora efficiunt, multaque alia mala generant.

Remanet explicandum, an ſomnus, & vigilia conueniant omni viuenti; ſed quia duplex eſt viuens aliud animal, & aliud planta, ideo & duplex fieri poteſt dubitatio, altera de animali, ideſt an ſomnus, & vigilia conueniant omni animali; altera de plantis; an ſomnus, & vigilia conueniant plantis.

Quo ad primam dubitationem ſciendum eſt, ſomnum, & vigiliam, non eſſe paſſiones ſolius animæ ſenſitiuæ; quia anima ſenſitiua ſinè organis corporeis ſentire non poteſt neq; eſſe ſolius corporis, quia corpus ſine anima ſenſitiua, neque ſentire, neque operari poteſt ſomnus ergò, & vigilia; ſunt paſſiones ſenſitiui, ideſt illius, quod eſt conflatum ex corpore, & anima ſenſitiua; his adnotatis.

Dico, ſomnum, & vigiliam conuenire omni animali, & probatur primò ad vigiliam. Omne animal ſiue ſit perfectum,ſiue imperfectum ſentit: ſed omne quod ſentit, vigilat; ergò omne animal vigilat; maior eſt certa, quia omne animal habet animam ſenſitiuam, quæ eſt principium ſentiendi: ergò omne animal debet ſentire;aliter fruſtra daretur in animali hoc principiū ſentiendi, fruſtra datur potentia, inquit Ariſt. quæ nunquam reducitur ad actum; Minor patet, quia idem eſt ſentire, ac operari: sed operari sensuum eſt vigilare, vt superiùs dictum eſt, ergò omne quod sentit vigilat.

Probatur altera pars concluſionis, quòd nimirùm omni animali conueniat somnus, omne animal per vigiliam, seu operationem sensuum debilitatur cùm spiritus eius, & calor natiuus in operatione sensuum absumātur; ergò necessè eſt sensus vacare, ac immobilitari, vt spiritus, & calor natiuus reſtaurentur; & vires per vigilias debilitatæ reficiantur,alioquin animal deficeret, & moriretur; ſed vacatio, & immobilitas ſensuum

eſt

eſt ſomnus; ergò omni animali cui conuenit vigilia, conuenit etiam ſomnus. Vigilia quidem, & ſomnus ità ſunt ad inuicem connexa, vt vnum neceſſario ſequi debeat alterum, ſine tamen altero eorum vita animalis longo tempore naturaliter perdurare non poteſt; cùm vtrumque ad vitam neceſſario requiratur, vt patet ex dictis.

Obijcies primò, ſunt multa animalia, quæ capite carent, ergo in iſtis animalibus ſomnus fieri non poteſt, cùm non habeant cerebrum, ad quod aſcendant vapores, à quo refrigerentur, & in quo generentur ſpiritus animales.

Reſpondeo concedo antecedens, & nego conſequentiam licet enim multa animalia capite careant, habent tamen aliquod capiti æquiualens quod fungitur officio, capitis, & cerebri.

Obijces ſecundò multa animalia, vt ſunt lepores, & piſces nunquam oculos claudunt: ergò nunquam dormiunt.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia Ariſt. in tractatu de ſomno, & vigilia ait, iſta animalia ſemper habere oculos apertos, quia palpebras non habent; dormiunt tamen, inquit, & vigilant, tam iſta, quàm inſecta vt ſerpentes, vermes, teſtacea, vt ſunt conchilia, teſtudines, & quodcunque aliud animal quantumque imperfectum, & rationem ait eſſe, quia poſt defatigationem ſenſuum neceſſario requiritur quies, & poſt quietem operatio ſenſuum: ergò omne animal vigilare, ac dormire debet.

Quoad ſecundam dubitationem; an nimirùm plantæ dormiant, & vigilent. Quidam Philoſophi Anaxagoram, & Democritum ſequentes fatentur, plantas ſentire, & conſequenter illis conuenire ſomnum, & vigiliam; hyeme, inquiunt, dormiunt, propterea defrondeſcunt, vere, & æſtate vigilant.

Ratio eorum videtur eſſe, quia plantæ habent guſtum, & tactum; ergo habent ſenſum; ſed omne quod habet ſenſum, dormit, & vigilat; ergò plantæ dormiunt, ac vigilant. Antecedēs probatur, omne, quod nutritur debet habere guſtum, & tactū, vt bonum ſibi conueniens recipiant, & noxium reſpuant: ſed plantæ nutriuntur, ergò habent guſtum, & tactum, & conſequenter ſenſum, & ſomnum, & vigiliam. Ariſt. in de ſomno,

&.

& vigilia cap. 1. expreſsè docet plantas nullum habere ſenſum; quod ſic probat, ſi plantæ haberent ſenſum, haberent aliquem appetitum: ſed nullum habent appetitum: ergò, neque ſenſum maior eſt certa, minorem ſic probat. Si plantæ haberent appetitum haberent dolorem, & voluptatem; ſed nullum dolorem, & voluptatem habent, quia à re dolorifica non contrahuntur, neque ad voluptificam diffunduntur: ergò nullum habent, vt experientia patet, appetitum; & conſequenter neque ſenſum; dicit prætereà vbi non eſt ſenſus, ibi neque ſomnus, neque vigilia eſſe poteſt, plantæ igitur cum ſenſu careant, neque dormiunt, neque vigilant, dicere ergò, plantas vigilare, ac dormire, videtur eſſe poeticum, ſeu metaphoricum; quemadmodum dici ſolet. Deus dormit, quando non punit malos, vigilat quando punit. aquæ fluentes, & argentum viuum dicuntur viuere, &c.

In quantum ad nutrionem plantarum inſtigante natura trahunt ſibi bonum, & conueniens & diſconueniens non trahunt, ſinè vllo dolore, & voluptate ſenſitiua.

DISPVTATIO VII.

De Phantaſia.

Mirabilis eſt hæc potentia, perpetuo vigigilat, die noctuque operatur, alijs omnibus ſenſibus quieſcentibus, vnde mirabiles, & varij ſunt eius effectus de quibus variæ quæſtiones inſtituendæ.

ARTI-

QVAESTIO I.

De Phantaſia ſecundum ſe eiuſque ſubiecto, & temperamento.

ARTICVLVS I.

Quid ſit phantaſia, & quod eius ſubiectum.

QVoad notitiam nominis ſciendum eſt; phantaſiam eſſe nomen Græcum, quod idem ſignificat, ac potentia imaginatiua apud Latinos; vndè omnino eadem eſt potentia imaginatiua; ac phantaſia, quo ad rem ſignificatam; licet quidam cum Ariſtotele ſexto naturalium, ſine vllo fundamento dicant eſſe duas diuersas; & diſtinctas potẽtias, quarum vnã ideſt phantaſiam recipere, ac retinere ſpecies rerum à ſenſu communi oblatas; Alteram ideſt imaginatiuam eas ad inuicem componere quod eſt falſum cùm vtrumque vna eademque facultas efficere poſſit.

Facultas imaginatiua, ſeu Phantaſia, ſic definitur phantaſia eſt potentia, quæ ſpecies rerum ſenſibilium ab externis ſenſibus, & à ſenſu communi oblatas apprehendit, retinet diuerſimodè componit, nouaſque ex iſtis ſpeciebus ſenſatis alias inſenſatas effingit. Phantaſia ſæpè à ſpeciebus à ſenſibus externis, & ſenſu comuni delatis, alias ſpecies effingit, quæ à ſenſibus externis percipi non poſſunt E.G. ex monte, & auro ſenſatis effingit montem aureum; ex leone, & equo ſenſatis effingit Chimeram, aliaq; ſimilia, quæ à ſenſibus externis imperceptibilia sunt, quas ſpecies inſenſatas, aliaque ſua opera phantaſia alijs ſenſibus internis, & intellectui ſubminiſtrat; vndè oritur, vt alij ſenſus interni, & potentiæ in operari ſaltem imperfectè dependant à phantaſia, nam ſi facultas imaginatiua de-

ficiat in aliqua re vix videmus, vel audimus, aut aduertimus, illud quod videmus, aut audimus; ſine ea igitur nihil ſentimus, nihil intelligimus; ex hoc prouenit inquam vt aliæ potentiæ in operari dependant à phantaſia ipſa verò à nullo ſenſu interno, & potentia dependat, niſi à memoria, à qua ſumit ſpecies, quod ex ſe patet; in ſomnis feriante omni alio ſenſu, ipſa ſola phantaſia operatur nunquam quieſcit effingere, ac producere mirabiles effectus de quibus infra fusè agemus.

Quoad ſubiectum phantaſiæ omnes quidem Philoſophi conueniunt in hoc, quod reſideat in capite, diſcrepant enim quia quidam volunt, phantaſiam inhærere in vno ex ventriculis cerebri. Quidam verò in alijs partibus cerebri.

Pro qua difficultate breuiter Dico phantaſiam reſidere in anteriori parte cerebri in dexterò ventriculo, qui eſt ſiniſtro pauló ſuperior, in ſiniſtro enim reſidere ſenſum communem, vt ſupra in tractatu de ſenſu communi probatum eſt. Probatur phantaſia recipit à ſenſu communi ſpecies rerum ſenſibilium; ergò quo propinquior eſt ſenſui communi eò meliùs, & faciliùs recipere poteſt illas; ſed non eſt alius ventriculus propinquior ſenſui communi; ergò dicendum eſt in dextero ventriculo anterioris partis cerebri reſidere phantaſiam. Probatur ſecundò læſa anteriori parte cerebri præcipuè dextra lęditur imaginatio, manentibus alijs facultatibus illæſis, vt quotidiana experientia docet, ergo ſignum infallibile eſt in illo anteriori ventriculo reſidere, quod, etiam probauimus agentes de anima in communi, vbi probauimus ventriculos cerebri inſtitutos à natura, vt ſint habitacula principum facultatum.

ARTICVLVS II.

De temperamento ad phantaſiam requiſitum.

PRo temperamento ad perfectam imaginationem requiſito, ſciendum eſt, ad perfectionem potentiæ ſeu facultatis requiri temperamentum organi, ſeu ſubiecti, cui illa facultas inhæ-

inhæret, proportionatum, & conueniens tali facultati ad bene exercendas ſuas operationes. Vndè principes facultates in cerebro reſidentes cùm ſint diuerſæ, & producant diuerſas operationes, requirunt, diuerſa temperamenta organorum propterea hìc quæritur quod nam ſit temperamentum cerebri requiſitum ad perfectam imaginationem pro quo.

Dico breuiter temperamentum cerebri ad perfectam imaginationem eſſe calidum, & ſiccum. Probatur quia facultas imaginatiua eſt inuentrix; & fictrix: ſed ad hoc requiritur temperamentum calidum, & ſiccum ergò ad perfectam imaginationem requiritur temperamentum calidum, & ſiccum. Maior eſt certa apud omnes; minor. Probatur, quia calor cum ſiccitate excitat figuras, & ſpecies rerum, quæ ſunt neceſſariæ ad inuentionem, ergò ad bonam imaginatiuam requiritur temperamentum calidum, & ſiccum. Confirmatur ex Galeno primo de natura humana com. 10. vbi ait animi dexteritatem prouenire ab humore bilioſo, qui eſt calidus, & ſiccus. Prætereà celeritas prouenit à calore, & ſiccitate: ſed bona imaginatiua celerima eſt, in inuentione ſpecierum, earumque comparatione, ac compoſitione: ergo temperamentum ad bonam imaginatiuam requiſitum eſt calidum, & ſiccum.

Quæres cur temperamentum bonæ imaginatiuæ non poſſit eſſe calidum, & humidum. Reſpondeo; quia temperamentum humidum eſt tardum pigrum, & ad celeritatem ineptum. Bona verò imaginatiua cùm ſit celerima in inuentione, non poteſt habere temperamentum humidum, hoc tamen temperamentum infrà agentes de ſcientijs ad imaginatiuam. Pertinentibus, tùm auctoritatibus, tùm varijs rationibus probabimus.

ARTICVLVS III.

An omnia animalia bruta habeant phantaſiam.

Dicendum eſt omnia animalia bruta habere phantaſiam. Probatur quia Apes ſunt multum artificioſæ, & formicæ prudentes; ſed Prudentia, & artificioſitas prouenit à phantaſia; ergò animalia bruta habent phantaſiam. Præthereà omne quod mouetur per ſe ad opus in abſentia obiecti ob imaginationem mouetur; ſed Apes, formicæ, & alia animalia ex ſe ad aliquod opus mouentur; ergò ſunt imaginatione prædita. Confirmatur ex Ariſtotele, qui primo de Anima cap. ſecundo ait, naturam brutis phantaſiam conceſiſſe, vt per eam ad opus moueantur, & dirigantur.

Obijcies, ſi Apes, & formicæ haberent phantaſiam eſſent animalia diſciplinabilia; ſed non ſunt diſciplinabilia: ergò non habent phantaſiam.

Reſpondeo negando ſequelam, quia ad hoc vt aliquod animal ſit diſciplinabile non ſufficit imaginatio; ſed requiritur etiã vt diſtinctè percipiat diſtinctionem, & diuerſitatem vocis. Pro cuius intelligentia.

Sciendum eſt quædam animalia percipiunt ſolum ſonum vocis vt ſunt Apes, formicæ aliaque ſimilia, & hæc licèt habeant imaginationem, non tamen ſunt diſciplinabilia. Quædam alia animalia non ſolum percipiunt ſonum vocis, ſed etiam eius Armoniam, & delectantur, quemadmodum eſt Delfinus, & Philomela, vt teſtatur Ariſtoteles, & alij Philoſophi, neque iſta animalia ſunt diſciplinabilia. Quædam verò Animalia non ſolum percipiunt vocem, ſed etiam diſtinctionem, & diuerſitatem vocis, vt eſt Elephans, Canis, Equus, & iſta ſunt diſciplinabilia, non tamen diſciplina propria, ſed minus propria, & æquiualente.

Ex dictis oritur dubitatio an ſuperius dicta animalia habeant ali-

aliquem diſcurſum, & ratio dubitandi eſt; quia iſta animalia habent prudentiam, ſunt capacia diſciplinarum ordinant medium ad acquirendum finem, &c. Sed iſta non poſſunt haberi ſine diſcurſu; ergò habent aliquem diſcurſum.

Ad hanc dubitationem. Reſpondeo tribuere animalibus brutis aliquem diſcurſum eſſe omninò erróneum. Ratio eſt quia ſi animalia bruta haberent aliquem diſcurſum haberent etiam voluntatem, liberum arbitrium, & conſequenter meritum, & demeritum in operationibus; ſed hoc dicere eſt erroneum, ergò nullus diſcurſus eſt tribuendus brutis. Præterea ſi illis tribuebueretur aliquis diſcurſus dici deberent magis rationalia pluribus hominibus; cum illis prudentiùs operentur, eorumque opera nimis excedant multis operibus illorum hominum; ſed hoc non eſt dicendum; ergò non habent diſcurſum.

Operantur igitur iſta animalia inſtinctu quodam naturali; inſtinctus naturalis eſt appetitus, qui naturaliter determinat phantaſiam ad ſimiles cognitiones, & operationes; hic inſtinctus, ſeù appetitus, vt plurimum prouenit ex multis aſſuetis actionibus in memoriam impreſſis, vt patet in Cane alijſque [illegible]ribus animalibus, quæ ad Imperium ſui Domini mouentur ad aſſuetas ſaltationes, &c.

Ad rationem dubitandi. Reſpondeo iſta animalia dici prudentia, quia operantur, ac ſi haberent prudentiam, vera tamen prudentia præſupponit cognitionem finis, & electionem mediorum; ſed dicta animalia ſolum ductu quodam naturali adducunt illa media, quæ apta ſunt ad finem; neque ſunt capacia propriæ diſciplinæ cum non operentur per prudentiam, & executionem, ſed ſolum conſuetudine.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO II.

De varijs impreſſionibus vi imaginationis incorporibus impreſſis, eiuſque modo eas imprimendi.

ARTICVLVS I.

De impreſſionibus quas facultas imprimit tum in proprio Corpore tum alieno.

VArij, & mirabiles ſunt effectus imaginationis, quos tùm in corpore proprio, tùm in alieno producere ſolet. Nam ſi homo imaginetur terribilia tremit refrigeratur, & pallet, ſi iucunda & læta rubet, & incaleſcit. Si imaginetur aſpectum hoſtis contremeſcit horret, & in deliquium animæ incidit; multi quidem forti imaginatione mortis, vna nocte cani facti ſunt, vt teſtantur auctores, & etiam ipſa experientia docet; quidam imaginantes cornua habere, eis cornua genita ſunt, hæc & alia ſimilia licet ſint certa, confirmari tamen poſſunt varijs exemplis, & auctoritatibus. Lucianus lib. de ſaltat. refert, iuuenem quendam volentem repræſentare Aiacem furioſum, furioſum factum eſſe; Seneca in declamationibus ait Bibium Gallum Romanum aliquem hominem ſtultum imitare volẽtem forti imaginatione ſtultum factum fuiſſe. |Si aliquis imaginetur aliquo morboſe affectum eſſe, ſtatim illo morbo afficitur, & imaginando peſte laborare in ea corripitur, & è contrà imaginando intenſa imaginatione à morbo liberum eſſe ſanatur; quod confirmatur ex Galeno primò prognoſticorum vbi ait confidentiam ægri de medico plurimum conferre ad ſalutem, quod in ſe inquit expertus eſt, & hæc multaque alia phantaſia efficit in proprio corpore.

In

In corpore alieno propinquo; ideſt in fœtu phantaſia parentum multas impreſiones, ſeù ſignaturas, & mutationes efficere ſolet, vt experientia demoſtrat in multis hominibus, in quibuſdam enim apparent Ceraſa in quibuſdam fragra, in quibuſdam figuræ, & colores aliorum fructuum, & animalium, ſecundum varias imaginationes parentum. Iacobus Horſius lib. de aureo dente ſcribit, ſe vidiſſe carnea fragra, & ceraſa in dorſo, & genis virtute imaginationis producta. Balduinus Ronſæus lib. de primordijs cap. 10. refert mulierem quãdam videntem greges gallinarum indicarum genuit fœtum habentem faciem mulris ex ſuperantijs carnoſis multiformis coloris galli Indici ſimiles Ariſtoteles ſect. 10. prob. 12. quærens cur proles aliorum animalium magis ſimiles ſint ſuis parentibus, quàm proles hominum.

Reſpondet quia homines inquit in coitu ſunt vario animo, quàm cætera animalia; prout autem mater in conceptu fuerit, fœtûs variatur.

Guglielmus Barardinus in hiſtoria Sabaudiæ in Epilogo ad 46. ſcribit neptim Nicolai Tertij Pontificis, qui erat de familia Vrſinorum, peperiſſe prolem totam viloſam vngulis armatam inſtar vrſi: eò quòd in imagines vrſorum in ædibus illius familiæ depictorum intuita fuiſſet.

Propter quod Pontifex ex indè iuſſit, omnes imagines vrſorum in Vrbe Romę exiſtentes aboleri. Lycoſt. in lib. de prodigijs dicit hoc accidiſſe anno primo Pontificatus Martini Quarti.

Langius tom. 2. Epiſ epiſt. 12. ſcribit, mulierem quandam appetitum aquiſiuiſſe mordendi humeros cuiuſdam Piſtoris, quem nudum videbat: maritum induxiſſe pretio Piſtorem, vt pateretur; ipſam bis mormordiſſe, tertium morſum Piſtorem ferre noluiſſe tandem enixam eſſe tres proles, quarum duæ viuæ, tertia mortua erat; propter tertium morſum ei denegatum.

Thomas Eraſtus lib. de occultis pharmacorum proprietatibus cap. 34. afert, quandam mulierem mirabili antipathia à felibus ſolitam perterreri, quia cùm mater eius grauida eſſet ſemel inopinato à fele perterrita fuiſſet.

D. Hye-

D. Hieronymus in tradititionibus hæbraicis ſuper Geneſim, dicit hanc eſſe naturam fœminarum, vt fœtum rei imaginatæ in conceptu ſimilem producere. vbi enarrat mulierem quandã fœtum nigrum peperiſſe, eò quòd fortem de Aethiope imaginationem habuiſſet.

D. Auguſtinus contra Iulianum cap. 9. dicit Soranum medidicum memoriæ tradidiſſe, quod cùm Dionyſius Tyrannus deformis exiſtens iuſſerit pulcram picturam ſuſpendi ante oculos vxoris; vt ipſa illius intuitu prolem picturæ ſimilem ideſt pulchram produceret. Gal. lib de theriaca ad Piſonem cap. 14. ait imaginem picturæ poſſe fœtum ſimilem rei imaginatæ facere, vbi enarrat quendam diuitem cum deformis eſſet iuſſiſſe vxori, vt tempore conceptionis inſpiceret pulchram picturam: & exinde contigiſſe eam pulchram prolem picturæ ſimilem edere.

Eliodorus lib. primo *ſuæ hiſtoriæ* Aethiopicæ, enarrat reginam Perſinam Aetiopem, & ex marito Hydaſpe pariter Aethiope peperiſſe prolem albam ideſt Cariclæam, ex eò quod intuita fuiſſet picturam in quà Perſeus, & Andromeda alba facie depicti erant.

Apud ſacram Scripturam Gen. 30. habetur Patriarcham Iacob, volentem vt oues generent proles diuerſi coloris cœpiſſe virgas virides, & populeas, & amygdalinas eaſque hinc, & inde decorticaſſe, vt eſſent variegati coloris, & poſuiſſe in Canalibus aquarum ad quos oues venturæ erant ad potandum, vt ipſe in congreſſu, imaginatione diuerſitatis, fœtus producerent varigatos. Sanctus Auguſtinus 3. de Trinitate & 12. de Ciuitate Dei illam generationem ouium varij coloris tribuit imaginationi, & lib. 13. cap. 1. eiuſdem operis rationem quærens, quomodo apud Aegyptios numquam deficerit bos quidam cãdidis maculis, quem Apim appellabant, & pro Deo colebant quia inquit coëunti alicui vacæ dæmon propoſuit ſimiles ſpecies, quæ in eius imaginatione impreſſe fecerunt, vt ſemper ſimilem fœtum produceret.

Mutatio fœtus vi imaginationis non ſolum fieri ſolet in hominibus, ſed etiam alijs brutis animalibus. Nam Albertus Magnus q. de animalibus, ſcribit, gallinam ſemèl prodijſſe pullum

lum ceruice accipitrina: eò quòd inter concipiendum valdè territa fuiſſet ab accipite. Michael Medina ſcribit gallinam à Serpente territam non pullum, ſed ſerpentem prodijſſe; idem docet Auicenna multique alij. Multa alia exempla, & autoritates afferri poſſunt; ſed quia nullam video difficultatem, & controuerſiam, ea omitto. Nam non ſolum viri docti, ſed etiam totum vulgus, & mulierculæ videntur phantaſiæ tribuere admirandas virtutes, diuerſas, ac mirabiles effectus producendi; tùm in corpore proprio tùm in alieno. Difficultas ſolum eſt de modo quo illos producit pro qua erit.

ARTICVLVS II.

De modo quo Phantaſia impreſſiones, ſeù effectus efficit in proprio corpore.

QVidam dicunt phantaſiam ſe ipſam agere, illóſque mirificos effectus per ſuam propriam actionem producere. Sed iſti malè dicunt, quia phantaſia per ſuam actionem extrà ſe nihil producere poteſt; Pro cuius intelligentiâ, ſciendum eſt, duplicem eſſe potentiam; quantum facit ad rem præſentem, alteram factiuam, & alteram actiuam. Potentia factiua dicitur illa, cuius actio eſt tranſiens, quæ tranſiens à ſuo principio, ideſt ab agente, recipitur in materia externa; ſeù in paſſo, vt eſt E. G. potentia calefactiuâ ignis, cuius actio tranſiens ab igne recipitur in ligno; E. G. Potentia actiua eſt, cuius actio eſt immanens, quæ non tranſit in extremam materiam, ſed recipitur in ipſa potentia, à qua prouenit; vt eſt potentia viſiua; auditiua, & cæteræ potentiæ cognoſcitiuæ, quæ non ſunt actiuæ niſi ſuarum operationum: vndè à Philoſophis dictæ ſunt paſſiuæ ex eo, quòd afficiantur à ſpeciebus cognoſcibilibus, quas in ſe recipiunt, & extra ſe nihil efficiunt; & ratio, cur extrà ſe nihil efficiant, eſt, quia vbi non recipitur actio, ibi non eſt paſſio, neque eſt mutatio, & conſequenter neque eſt vlla productio effe-

& vigilia cap. 1. expreſsè docet plantas nullum habere ſenſum; quod ſic probat, ſi plantæ haberent ſenſum, haberent aliquem appetitum: ſed nullum habent appetitum: ergò, neque ſenſum maior eſt certa, minorem ſic probat. Si plantæ haberent appetitum haberent dolorem, & voluptatem; ſed nullum dolorem, & voluptatem habent, quia à re dolorifica non contrahuntur, neque ad voluptificam diffunduntur: ergò nullum habent, vt experientia patet, appetitum; & conſequenter neque ſenſum; dicit prætereà vbi non eſt ſenſus, ibi neque ſomnus, neque vigilia eſſe poteſt, plantæ igitur cum ſenſu careant, neque dormiunt, neque vigilant, dicere ergò, plantas vigilare, ac dormire, videtur eſſe poeticum, ſeu metaphoricum; quemadmodum dici ſolet. Deus dormit, quando non punit malos, vigilat quando punit. aquæ fluentes, & argentum viuum dicuntur viuere, &c.

In quantum ad nutrionem plantarum inſtigante natura trahunt ſibi bonum, & conueniens & diſconueniens non trahunt, ſinè vllo dolore, & voluptate ſenſitiua.

DISPVTATIO VII.

De Phantaſia.

Mirabilis eſt hæc potentia, perpetuo vigigilat, die noctuque operatur, alijs omnibus ſenſibus quieſcentibus, vnde mirabiles, & varij ſunt eius effectus de quibus variæ quæſtiones inſtituendæ.

ARTI-

QVAESTIO I.

De Phantaſia ſecundum ſe eiuſque ſubiecto, & temperamento.

ARTICVLVS I.

Quid ſit phantaſia, & quod eius ſubiectum.

QVoad notitiam nominis ſciendum eſt; phantaſiam eſſe nomen Græcum, quod idem ſignificat, ac potentia imaginatiua apud Latinos; vndè omnino eadem eſt potentia imaginatiua; ac phantaſia, quo ad rem ſignificatam; licet quidam cum Ariſtotele ſexto naturalium, ſine vllo fundamento dicant eſſe duas diuersas; & diſtinctas potētias, quarum vnā ideſt phantaſiam recipere, ac retinere ſpecies rerum à ſenſu communi oblatas; Alteram ideſt imaginatiuam eas ad inuicem componere quod eſt falſum cùm vtrumque vna eademque facultas efficere poſſit.

Facultas imaginatiua, ſeu Phantaſia, ſic definitur phantaſia eſt potentia, quæ ſpecies rerum ſenſibilium ab externis ſenſibus, & à ſenſu communi oblatas apprehendit, retinet diuerſimodè componit, nouaſque ex iſtis ſpeciebus ſenſatis alias inſenſatas effingit. Phantaſia ſæpè à ſpeciebus à ſenſibus externis, & ſenſu communi delatis, alias ſpecies effingit, quæ à ſenſibus externis percipi non poſſunt E.G. ex monte, & auro ſenſatis effingit montem aureum; ex leone, & equo ſenſatis effingit Chimeram, aliaq; ſimilia, quæ à ſenſibus externis imperceptibilia ſunt, quas ſpecies inſenſatas, aliaque ſua opera phantaſia alijs ſenſibus internis, & intellectui ſubminiſtrat; vndè oritur, vt alij ſenſus interni, & potentiæ in operari ſaltem imperfectè dependant à phantaſia, nam ſi facultas imaginatiua de-

ficiat in aliqua re vix videmus, vel audimus, aut aduertimus, illud quod videmus, aut audimus: ſine ea igitur nihil ſentimus, nihil intelligimus; ex hoc prouenit inquam vt aliæ potentiæ in operari dependant à phantaſia ipſa verò à nullo ſenſu interno, & potentia dependat, niſi à memoria, à qua ſumit ſpecies, quod ex ſe patet; in ſomnis feriante omni alio ſenſu, ipſa ſola phantaſia operatur nunquam quieſcit effingere, ac producere mirabiles effectus de quibus intra fusè agemus.

Quoad ſubiectum phantaſiæ omnes quidem Philoſophi conueniunt in hoc, quod reſideat in capite, diſcrepant enim quia quidam volunt, phantaſiam inhærere in vno ex ventriculis cerebri. Quidam verò in alijs partibus cerebri.

Pro qua difficultate breuiter Dico phantaſiam reſidere in anteriori parte cerebri in dexterò ventriculo, qui eſt ſiniſtro paulò ſuperior, in ſiniſtro enim reſidere ſenſum communem, vt ſupra in tractatu de ſenſu communi probatum eſt. Probatur phantaſia recipit à ſenſu communi ſpecies rerum ſenſibilium; ergò quo propinquior eſt ſenſui communi eò meliùs, & faciliùs recipere poteſt illas; ſed non eſt alius ventriculus propinquior ſenſui communi; ergò dicendum eſt in dextero ventriculo anterioris partis cerebri reſidere phantaſiam. Probatur ſecundò læſa anteriori parte cerebri præcipuè dextra læditur imaginatio, manentibus alijs facultatibus illæſis, vt quotidiana experientia docet, ergo ſignum infallibile eſt in illo anteriori ventriculo reſidere, quod, etiam probauimus agentes de anima in communi, vbi probauimus ventriculos cerebri inſtitutos à natura, vt ſint habitacula principum facultatum.

ARTICVLVS II.

De temperamento ad phantaſiam requiſitum.

PRo temperamento ad perfectam imaginationem requiſito, ſciendum eſt, ad perfectionem potentiæ ſeu facultatis requiri temperamentum organi, ſeu ſubiecti, cui illa facultas inhæ-

inhæret, proportionatum, & conueniens tali facultati ad bene exercendas ſuas operationes. Vndè principes facultates in cerebro reſidentes cùm ſint diuerſæ, & producant diuerſas operationes, requirunt, diuerſa temperamenta organorum propterea hic quæritur quod nam ſit temperamentum cerebri requiſitum ad perfectam imaginationem pro quo.

Dico breuiter temperamentum cerebri ad perfectam imaginationem eſſe calidum, & ſiccum. Probatur quia facultas imaginatiua eſt inuentrix; & fictrix: ſed ad hoc requiritur temperamentum calidum, & ſiccum ergò ad perfectam imaginationem requiritur temperamentum calidum, & ſiccum. Maior eſt certa apud omnes; minor. Probatur, quia calor cum ſiccitate excitat figuras, & ſpecies rerum, quæ ſunt neceſſariæ ad inuentionem, ergò ad bonam imaginatiuam requiritur temperamentum calidum, & ſiccum. Confirmatur ex Galeno primo de natura humana com. 10. vbi ait animi dexteritatem prouenire ab humore birioſo, qui eſt calidus, & ſiccus. Præterea celeritas prouenit à calore, & ſiccitate: ſed bona imaginatiua celerima eſt, in inuentione ſpecierum, earumque comparatione, ac compoſitione: ergo temperamentum ad bonam imaginatiuam requiſitum eſt calidum, & ſiccum.

Quæres cur temperamentum bonæ imaginatiuæ non poſſit eſſe calidum, & humidum. Reſpondeo; quia temperamentum humidum eſt tardum pigrum, & ad celeritatem ineptum. Bona verò imaginatiua cùm ſit celerima in inuentione, non poteſt habere temperamentum humidum, hoc tamen temperamentum infrà agentes de ſcientijs ad imaginatiuam. Pertinentibus, tùm auctoritatibus, tùm varijs rationibus probabimus.

ARTICVLVS III.

An omnia animalia bruta habeant phantaſiam.

DIcendum eſt omnia animalia bruta habere phantaſiam. Probatur quia Apes ſunt multum artificioſæ, & formicæ prudentes; ſed Prudentia, & artificioſitas prouenit à phantaſia; ergò animalia bruta habent phantaſiam. Prætereà omne quod mouetur per ſe ad opus in abſentia obiecti ob imaginationem mouetur; ſed Apes, formicæ, & alia animalia ex ſe ad aliquod opus mouentur; ergò ſunt imaginatione prædita. Confirmatur ex Ariſtotele, qui primo de Anima cap. ſecundo ait, naturam brutis phantaſiam conceſſiſſe, vt per eam ad opus moueantur, & dirigantur.

Obijcies, ſi Apes,& formicæ haberent phantaſiam eſſent animalia diſciplinabilia; ſed non ſunt diſciplinabilia: ergò non habent phantaſiam.

Reſpondeo negando ſequelam, quia ad hoc vt aliquod animal ſit diſciplinabile non ſufficit imaginatio; ſed requiritur etiã vt diſtinctè percipiat diſtinctionem, & diuerſitatem vocis. Pro cuius intelligentia.

Sciendum eſt quædam animalia percipiunt ſolum ſonum vocis vt ſunt Apes, formicæ aliaque ſimilia, & hæc licèt habeant imaginationem, non tamen ſunt diſciplinabilia. Quædam alia animalia non ſolum percipiunt ſonum vocis,ſed etiam eius Armoniam, & delectantur, quemadmodum eſt Delfinus, & Philomela, vt teſtatur Ariſtoteles, & alij Philoſophi, neque iſta animalia ſunt diſciplinabilia. Quædam verò Animalia non ſolum percipiunt vocem, ſed etiam diſtinctionem,& diuerſitatem vocis, vt eſt Elephans, Canis, Equus, & iſta ſunt diſciplinabilia, non tamen diſciplina propria, ſed minus propria, & æquiualente.

Ex dictis oritur dubitatio an ſuperius dicta animalia habeant ali-

aliquem diſcurſum, & ratio dubitandi eſt; quia iſta animalia habent prudentiam, ſunt capacia diſciplinarum ordinant medium ad acquirendum finem, &c. Sed iſta non poſſunt haberi ſine diſcurſu; ergò habent aliquem diſcurſum.

Ad hanc dubitationem. Reſpondeo tribuere animalibus brutis aliquem diſcurſum eſſe omninò erróneum. Ratio eſt quia ſi animalia bruta haberent aliquem diſcurſum haberent etiam voluntatem, liberum arbitrium, & conſequenter meritum, & demeritum in operationibus; ſed hoc dicere eſt erroneum, ergò nullus diſcurſus eſt tribuendus brutis. Præterea ſi illis tribuebueretur aliquis diſcurſus dici deberent magis rationalia pluribus hominibus; cum illis prudentiùs operentur, eorumque opera nimis excedant multis operibus illorum hominum; ſed hoc non eſt dicendum; ergò non habent diſcurſum.

Operantur igitur iſta animalia inſtinctu quodam, naturali; inſtinctus naturalis eſt appetitus, qui naturaliter determinat phantaſiam ad ſimiles cognitiones, & operationes; hic inſtinctus, ſeù appetitus, vt plurimum prouenit ex multis aſſuetis actionibus in memoriam impreſſis, vt patet in Cane alijſque pluribus animalibus, quæ ad Imperium ſui Domini mouentur ad aſſuetas ſaltationes, &c.

Ad rationem dubitandi. Reſpondeo iſta animalia dici prudentia, quia operantur, ac ſi haberent prudentiam, vera tamen prudentia præſupponit cognitionem finis, & electionem mediorum; ſed dicta animalia ſolum ductu quodam naturali adducunt illa media, quæ apta ſunt ad finem; neque ſunt capacia propriæ diſciplinæ cum non operentur per prudentiam, & executionem, ſed ſolum conſuetudine.

QVAE-

QVAESTIO II.

De varijs impreſſionibus vi imaginationis in corporibus impreſſis, eiuſque modo eas imprimendi.

ARTICVLVS I.

De impreſſionibus quas facultas imprimit tum in proprio Corpore tum alieno.

VArij, & mirabiles ſunt effectus imaginationis, quos tùm in corpore proprio, tùm in alieno producere ſolet. Nam ſi homo imaginetur terribilia tremit refrigeratur, & pallet, ſi iucunda & læta rubet, & incaleſcit. Si imaginetur aſpectum hoſtis contremeſcit horret, & in deliquium animæ incidit; multi quidem forti imaginatione mortis, vna nocte cani facti ſunt, vt teſtantur auctores, & etiam ipſa experientia docet; quidam imaginantes cornua habere, eis cornua genita ſunt, hæc & alia ſimilia licet ſint certa, confirmari tamen poſſunt varijs exemplis, & auctoritatibus. Lucianus lib. de ſaltat. refert, iuuenem quendam volentem repræſentare Aiacem furioſum, furioſum factum eſſe; Seneca in declamationibus ait Bibium Gallum Romanum aliquem hominem ſtultum imitare volẽtem forti imaginatione ſtultum factum fuiſſe. Si aliquis imaginetur aliquo morboſe affectum eſſe, ſtatim illo morbo afficitur, & imaginando peſte laborare in ea corripitur, & è contrà imaginando intenſa imaginatione à morbo liberum eſſe ſanatur; quod confirmatur ex Galeno primò prognoſticorum vbi ait confidentiam ægri de medico plurimum conferre ad ſalutem, quod in ſe inquit expertus eſt, & hæc multaque alia phantaſia efficit in proprio corpore.

In

In corpore alieno propinquo; ideſt in fœtu phantaſia parentum multas impreſiones, ſeù ſignaturas, & mutationes efficere ſolet, vt experientia demoſtrat in multis hominibus, in quibuſdam enim apparent Ceraſa in quibuſdam fragra, in quibuſdam figuræ, & colores aliorum fructuum, & animalium, ſecundum varias imaginationes parentum. Iacobus Horſius lib. de aureo dente ſcribit, ſe vidiſſe carnea fragra, & ceraſa in dorſo, & genis virtute imaginationis producta. Balduinus Ronſæus lib.de primordijs cap.10. refert mulierem quādam videntem greges gallinarum indicarum genuit fœtum habentem faciem multis ex ſuperantijs carnoſis multiformis coloris galli Indici ſimiles Ariſtoteles ſect.10.prob.12.quærens cur proles aliorum animalium magis ſimiles ſint ſuis parentibus, quàm proles hominum.

Reſpondet quia homines inquit in coitu ſunt vario animo, quàm cætera animalia; prout autem mater in conceptu fuerit, fœtus variatur.

Guglielmus Barardinus in hiſtoria Sabaudiæ in Epilogo ad 46. ſcribit neptim Nicolai Tertij Pontificis, qui erat de familia Vrſinorum, peperiſſe prolem totam viloſam vngulis armatam inſtar vrſi: eò quòd in imagines vrſorum in ædibus illius familiæ depictorum intuita fuiſſet.

Propter quod Pontifex ex indè iuſſit, omnes imagines vrſorum in Vrbe Romę exiſtentes aboleri.Lycoſt. in lib. de prodigijs dicit hoc accidiſſe anno primo Pontificatus Martini Quarti.

Langius tom.2. Epiſ epiſt.12. ſcribit, mulierem quandam appetitum aquiſiuiſſe mordendi humeros cuiuſdam Piſtoris, quem nudum videbat: maritum induxiſſe precio Piſtorem, vt pateretur; ipſam bis mormordiſſe, tertium morſum Piſtorem ferre noluiſſe tandem enixam eſſe tres proles, quarum duæ viuæ, tertia mortua erat; propter tertium morſum ei denegatum.

Thomas Eraſtus lib. de ocultis pharmacorum proprietatibus cap.34. afert, quandam mulierem mirabili antipathia à felibus ſolitam perterreri, quia cùm mater eius grauida eſſet ſemel inopinato à fele perterrita fuiſſet.

D. Hye-

D. Hieronymus in tradititionibus hæbraicis ſuper Geneſim, dicit hanc eſſe naturam fœminarum, vt fœtum rei imaginatæ in conceptu ſimilem producere, vbi enarrat mulierem quandã fœtum nigrum peperiſſe, eò quòd fortem de Aethiope imaginationem habuiſſet.

D. Auguſtinus contra Iulianum cap. 9. dicit Soranum medicum memoriæ tradidiſſe, quod cùm Dionyſius Tyrannus deformis exiſtens iuſſerit pulcram picturam ſuſpendi ante oculos vxoris; vt ipſa illius intuitu prolem picturæ ſimilem ideſt pulchram produceret. Gal. lib de theriaca ad Piſonem cap. 14. ait imaginem picturæ poſſe fœtum ſimilem rei imaginatæ facere, vbi enarrat quendam diuitem cum deformis eſſet iuſſiſſe vxori, vt tempore conceptionis inſpiceret pulchram picturam: & exinde contigiſſe eam pulchram prolem picturæ ſimilem edere.

Eliodorus lib. primo ſuæ hiſtoriæ Aethiopicæ, enarrat reginam Perſinam Aetiopem, & ex marito Hydaſpe pariter Aethiope peperiſſe prolem albam ideſt Cariclæam, ex eò quod intuita fuiſſet picturam in quà Perſeus, & Andromeda alba facie depicti erant.

Apud ſacram Scripturam Gen. 30. habetur Patriarcham Iacob, volentem vt oues generent proles diuerſi coloris cœpiſſe virgas virides, & populeas, & amygdalinas eaſque hinc, & inde decorticaſſe, vt eſſent variegati coloris, & poſuiſſe in Canalibus aquarum ad quos oues venturæ erant ad potandum, vt ipſe in congreſſu, imaginatione diuerſitatis, fœtus producerent varigatos. Sanctus Auguſtinus 3. de Trinitate & 12. de Ciuitate Dei illam generationem ouium varij coloris tribuit imaginationi, & lib. 13. cap. 1. eiuſdem operis rationem quærens, quomodo apud Aegyptios numquam deficerit bos quidam cãdidis maculis, quem Apim appellabant, & pro Deo colebant, quia inquit coëunti alicui vacæ dęmon propoſuit ſimiles ſpecies, quæ in eius imaginatione impreſſe fecerunt, vt ſemper ſimilem fœtum produceret.

Mutatio fœtus vi imaginationis non ſolum fieri ſolet in hominibus, ſed etiam alijs brutis animalibus. Nam Albertus Magnus 9. de animalibus, ſcribit, gallinam ſemel prodijſſe pul-

lum

lum ceruice accipitrina: eò quòd inter concipiendum valdè territa fuiſſet ab accipite. Michael Medina ſcribit gallinam à Serpente territam non pullum, ſed ſerpentem prodijſſe; idem docet Auicenna multique alij. Multa alia exempla, & autoritates afferri poſſunt; ſed quia nullam video difficultatem, & controuerſiam, ea omitto. Nam non ſolum viri docti, ſed etiam totum vulgus; & mulierculæ videntur phantaſiæ tribuere admirandas virtutes, diuerſos, ac mirabiles effectus producendi; tùm in corpore proprio tùm in alieno. Difficultas ſolum eſt de modo quo illos producit pro qua erit.

ARTICVLVS II.

De modo quo Phantaſia impreſſiones, ſeu effectus efficit in proprio corpore.

QVidam dicunt phantaſiam ſe ipſam agere, illóſque mirificos effectus per ſuam propriam actionem producere. Sed iſti malè dicunt, quia phantaſia per ſuam actionem extrà ſe nihil producere poteſt; Pro cuius intelligentiâ, ſciendum eſt, duplicem eſſe potentiam, quantum facit ad rem præſentem, alteram factiuam, & alteram actiuam. Potentia factiua dicitur illa, cuius actio eſt tranſiens, quæ tranſiens à ſuo principio, ideſt ab agente, recipitur in materia externa; ſcu in paſſo, vt eſt E. G. potentia calefactiuà ignis, cuius actio tranſiens ab igne recipitur in ligno, E. G. Potentia actiua eſt, cuius actio eſt immanens, quæ non tranſit in extremam materiam, ſed recipitur in ipſa potentia, à qua prouenit; vt eſt potentia viſiua; auditiua, & cæteræ potentiæ cognoſcitiuæ, quæ non ſunt actiuæ niſi ſuarum operationum: vndè à Philoſophis dictæ ſunt paſſiuæ ex eo, quòd afficiantur à ſpeciebus cognoſcibilibus, quas in ſe recipiunt; & extra ſe nihil efficiunt; & ratio, cur extrà ſe nihil efficiant, eſt, quia vbi non recipitur actio, ibi non eſt paſſio, neque eſt mutatio, & conſequenter neque eſt vlla productio effe-

& vigilia cap. 1. expreſsè docet plantas nullum habere ſenſum; quod ſic probat, ſi plantæ haberent ſenſum, haberent aliquem appetitum: ſed nullum habent appetitum: ergò, neque ſenſum maior eſt certa, minorem ſic probat. Si plantæ haberent appetitum haberent dolorem, & voluptatem; ſed nullum dolorem, & voluptatem habent, quia à re dolorifica non contrahuntur, neque ad voluptificam diffunduntur: ergò nullum habent, vt experientia patet, appetitum; & conſequenter neque ſenſum; dicit prætereà vbi non eſt ſenſus, ibi neque ſomnus, neque vigilia eſſe poteſt, plantæ igitur cum ſenſu careant, neque dormiunt, neque vigilant, dicere ergò, plantas vigilare, ac dormire, videtur eſſe poeticum, ſeu metaphoricum; quemadmodum dici ſolet. Deus dormit, quando non punit malos, vigilat quando punit. aquæ fluentes, & argentum viuum dicuntur viuere, &c.

In quantum ad nutrionem plantarum inſtigante natura trahunt ſibi bonum, & conueniens & diſconueniens non trahunt, ſinè vllo dolore, & voluptate ſenſitiua.

DISPVTATIO VII.

De Phantaſia.

Mirabilis eſt hæc potentia, perpetuo vigigilat, die noctuque operatur, alijs omnibus ſenſibus quieſcentibus, vnde mirabiles, & varij ſunt eius effectus de quibus variæ quæſtiones inſtituendæ.

ARTI-

QVAESTIO I.

De Phantaſia ſecundum ſe eiuſque ſubiecto, & temperamento.

ARTICVLVS I.

Quid ſit phantaſia, & quod eius ſubiectum.

QVoad notitiam nominis ſciendum eſt; phantaſiam eſſe nomen Græcum, quod idem ſignificat, ac potentia imaginatiua apud Latinos; vndè omnino eadem eſt potentia imaginatiua; ac phantaſia, quo ad rem ſignificatam; licet quidam cum Ariſtotele ſexto naturalium, ſine vllo fundamento dicant eſſe duas diuersas; & diſtinctas potētias,quarum vnā ideſt phantaſiam recipere,ac retinere ſpecies rerum à ſenſu communi oblatas;Alteram ideſt imaginatiuam eas ad inuicem componere quod eſt falſum cùm vtrumque vna eademque facultas efficere poſſit.

Facultas imaginatiua, ſeu Phantaſia, ſic definitur phantaſia eſt potentia, quæ ſpecies rerum ſenſibilium ab externis ſenſibus, & à ſenſu communi oblatas apprehendit, retinet diuerſimodè componit, nouaſque ex iſtis ſpeciebus ſenſatis alias inſenſatas effingit. Phantaſia ſæpè à ſpeciebus à ſenſibus externis, & ſenſu communi delatis, alias ſpecies effingit, quæ à ſenſibus externis percipi non poſſunt E.G. ex monte, & auro ſenſatis effingit montem aureum; ex leone, & equo ſenſatis effingit Chimeram, aliaq; ſimilia, quæ à ſenſibus externis imperceptibilia ſunt, quas ſpecies inſenſatas, aliaque ſua opera phantaſia alijs ſenſibus internis,& intellectui ſubminiſtrat; vndè oritur, vt alij ſenſus interni, & potentiæ in operari ſaltem imperfectè dependant à phantaſia, nam ſi facultas imaginatiua de-

ficiat in aliqua re vix videmus, vel audimus, aut aduertimus, illud quod videmus, aut audimus: ſine ea igitur nihil ſentimus, nihil intelligimus; ex hoc prouenit inquam vt aliæ potentiæ in operari dependant à phantaſia ipſa verò à nullo ſenſu interno, & potentia dependat, niſi à memoria, à qua ſumit ſpecies, quod ex ſe patet; in ſomnis feriante omni alio ſenſu, ipſa ſola phantaſia operatur nunquam quieſcit effingere, ac producere mirabiles effectus de quibus intra fusè agemus.

Quoad ſubiectum phantaſiæ omnes quidem Philoſophi conueniunt in hoc, quòd reſideat in capite, diſcrepant enim quia quidam volunt, phantaſiam inhærere in vno ex ventriculis cerebri. Quidam verò in alijs partibus cerebri.

Pro qua difficultate breuiter Dico phantaſiam reſidere in anteriori parte cerebri in dexterò ventriculo, qui eſt ſiniſtro paulò ſuperior, in ſiniſtro enim reſidere ſenſum communem, vt ſupra in tractatu de ſenſu communi probatum eſt. Probatur phantaſia recipit à ſenſu communi ſpecies rerum ſenſibilium; ergò quo propinquior eſt ſenſui communi eò meliùs, & faciliùs recipere poteſt illas; ſed non eſt alius ventriculus propinquior ſenſui communi; ergò dicendum eſt in dextero ventriculo anterioris partis cerebri reſidere phantaſiam. Probatur ſecundò læſa anteriori parte cerebri præcipuè dextra læditur imaginatio, manentibus alijs facultatibus illæſis, vt quotidiana experientia docet, ergo ſignum infallibile eſt in illo anteriori ventriculo reſidere, quod, etiam probauimus agentes de anima in communi, vbi probauimus ventriculos cerebri inſtitutos à natura, vt ſint habitacula principum facultatum:

ARTICVLVS II.

De temperamento ad phantaſiam requiſitum.

PRo temperamento ad perfectam imaginationem requiſito, ſciendum eſt, ad perfectionem potentiæ ſeu facultatis requiri temperamentum organi, ſeu ſubiecti, cui illa facultas inhæ-

inhæret, proportionatum, & conueniens tali facultati ad bene exercendas ſuas operationes. Vndè principes facultates in cerebro reſidentes cùm ſint diuerſæ, & producant diuerſas operationes, requirunt, diuerſa temperamenta organorum propterea hìc quæritur quodnam ſit temperamentum cerebri requiſitum ad perfectam imaginationem pro quo.

Dico breuiter temperamentum cerebri ad perfectam imaginationem eſſe calidum, & ſiccum. Probatur quia facultas imaginatiua eſt inuentrix; & fictrix: ſed ad hoc requiritur temperamentum calidum, & ſiccum ergò ad perfectam imaginationem requiritur temperamentum calidum, & ſiccum. Maior eſt certa apud omnes; minor. Probatur, quia calor cum ſiccitate excitat figuras, & ſpecies rerum, quæ ſunt neceſſariæ ad inuentionem, ergò ad bonam imaginatiuam requiritur temperamentum calidum, & ſiccum. Confirmatur ex Galeno primo de natura humana com. 10. vbi ait animi dexteritatem prouenire ab humore biliosò, qui eſt calidus, & ſiccus. Prætereà celeritas prouenit à calore, & ſiccitate: ſed bona imaginatiua celerima eſt, in inuentione ſpecierum, earumque comparatione, ac compoſitione: ergo temperamentum ad bonam imaginatiuam requiſitum eſt calidum, & ſiccum.

Quæres cur temperamentum bonæ imaginatiuæ non poſſit eſſe calidum, & humidum. Reſpondeo; quia temperamentum humidum eſt tardum pigrum, & ad celeritatem ineptum. Bona verò imaginatiua cùm ſit celerima in inuentione, non poteſt habere temperamentum humidum, hoc tamen temperamentum infrà agentes de ſcientijs ad imaginatiuam. Pertinentibus, tùm auctoritatibus, tùm varijs rationibus probabimus.

ARTICVLVS III.

An omnia animalia bruta habeant phantaſiam.

Dicendum eſt omnia animalia bruta habere phantaſiam. Probatur quia Apes ſunt multum artificioſæ, & formicæ prudentes; ſed Prudentia, & artificioſitas prouenit à phantaſia; ergò animalia bruta habent phantaſiam. Præterea omne quod mouetur per ſe ad opus in abſentia obiecti ob imaginationem mouetur; ſed Apes, formicæ, & alia animalia ex ſe ad aliquod opus mouentur; ergò ſunt imaginatione prædita. Confirmatur ex Ariſtotele, qui primo de Anima cap. ſecundo ait, naturam brutis phantaſiam conceſſiſſe, vt per eam ad opus moueantur, & dirigantur.

Obijcies, ſi Apes, & formicæ haberent phantaſiam eſſent animalia diſciplinabilia; ſed non ſunt diſciplinabilia: ergò non habent phantaſiam.

Reſpondeo negando ſequelam, quia ad hoc vt aliquod animal ſit diſciplinabile non ſufficit imaginatio; ſed requiritur etiã vt diſtinctè percipiat diſtinctionem, & diuerſitatem vocis. Pro cuius intelligentia.

Sciendum eſt quædam animalia percipiunt ſolum ſonum vocis vt ſunt Apes, formicæ aliaque ſimilia, & hæc licèt habeant imaginationem, non tamen ſunt diſciplinabilia. Quædam alia animalia non ſolum percipiunt ſonum vocis, ſed etiam eius Armoniam, & delectantur, quemadmodum eſt Delfinus, & Philomela, vt teſtatur Ariſtoteles, & alij Philoſophi, neque iſta animalia ſunt diſciplinabilia. Quædam verò Animalia non ſolum percipiunt vocem, ſed etiam diſtinctionem, & diuerſitatem vocis, vt eſt Elephans, Canis, Equus, & iſta ſunt diſciplinabilia, non tamen diſciplina propria, ſed minus propria, & æquiualente.

Ex dictis oritur dubitatio an ſuperius dicta animalia habeant ali-

aliquem diſcurſum, & ratio dubitandi eſt; quia iſta animalia habent prudentiam, ſunt capacia diſciplinarum ordinant medium ad acquirendum finem, &c. Sed iſta non poſſunt haberi ſine diſcurſu; ergò habent aliquem diſcurſum.

Ad hanc dubitationem. Reſpondeo tribuere animalibus brutis aliquem diſcurſum eſſe omninò errôneum. Ratio eſt quia ſi animalia bruta haberent aliquem diſcurſum haberent etiam voluntatem, liberum arbitrium, & conſequenter meritum, & demeritum in operationibus; ſed hoc dicere eſt erroneum, ergò nullus diſcurſus eſt tribuendus brutis. Prætereà ſi illis tribuebueretur aliquis diſcurſus dici deberent magis rationalia pluribus hominibus; cum illis prudentiùs operentur, eorumque opera nimis excedant multis operibus illorum hominum; ſed hoc non eſt dicendum; ergò non habent diſcurſum.

Operantur igitur iſta animalia inſtinctu quodam, naturali; inſtinctus naturalis eſt appetitus, qui naturaliter determinat phantaſiam ad ſimiles cognitiones, & operationes; hic inſtinctus, ſeù appetitus, vt plurimum prouenit ex multis aſſuetis actionibus in memoriam impreſſis, vt patet in Cane aliiſque pluribus animalibus, quæ ad Imperium ſui Domini mouentur ad aſſuetas ſaltationes, &c.

Ad rationem dubitandi. Reſpondeo iſta animalia dici prudentia, quia operantur, ac ſi haberent prudentiam, vera tamen prudentia præſupponit cognitionem finis, & electionem mediorum; ſed dicta animalia ſolum ductu quodam naturali adducunt illa media, quæ apta ſunt ad finem; neque ſunt capacia propriæ diſciplinæ cum non operentur per prudentiam, & executionem, ſed ſolum conſuetudine.

QVAE-

QVAESTIO II.

De varijs impreſſionibus vi imaginationis incorporibus impreſſis, eiuſque modo eas imprimendi.

ARTICVLVS I.

De impreſſionibus quas facultas imprimit tum in proprio Corpore tum alieno.

VArij, & mirabiles ſunt effectus imaginationis, quos tùm in corpore proprio, tùm in alieno producere ſolet. Nam ſi homo imaginetur terribilia tremit refrigeratur, & pallet, ſi iucunda & læta rubet, & incaleſcit. Si imaginetur aſpectum hoſtis contremeſcit horret, & in deliquium animæ incidit; multi quidem forti imaginatione mortis, vna nocte cani facti ſunt, vt teſtantur auctores, & etiam ipſa experientia docet; quidam imaginantes cornua habere, eis cornua genita ſunt, hæc & alia ſimilia licet ſint certa, confirmari tamen poſſunt varijs exemplis, & auctoritatibus. Lucianus lib. de ſaltat. refert, iuuenem quendam volentem repræſentare Aiacem furioſum, furioſum factum eſſe; Seneca in declamationibus ait Bibium Gallum Romanum aliquem hominem ſtultum imitare volẽtem forti imaginatione ſtultum factum fuiſſe. Si aliquis imaginetur aliquo morboſe affectum eſſe, ſtatim illo morbo afficitur, & imaginando peſte laborare in ea corripitur, & è contrà imaginando intenſa imaginatione à morbo liberum eſſe ſanatur; quod confirmatur ex Galeno primò prognoſticorum vbi ait confidentiam ægri de medico plurimum conferre ad ſalutem, quod in ſe inquit expertus eſt, & hæc multaque alia phantaſia efficit in proprio corpore.

In

In corpore alieno propinquo; ideſt in fœtu phantaſia parentum multas impreſiones, ſeù ſignaturas, & mutationes efficere ſolet, vt experientia demoſtrat in multis hominibus, in quibuſdam enim apparent Ceraſa in quibuſdam fragra, in quibuſdam figuræ, & colores aliorum fructuum, & animalium, ſecundum varias imaginationes parentum. Iacobus Horſius lib. de aureo dente ſcribit, ſe vidiſſe carnea fragra, & ceraſa in dorſo, & genis virtute imaginationis producta. Balduinus Ronſæus lib. de primordijs cap. 10. refert mulierem quādam videntem greges gallinarum indicarum genuit fœtum habentem faciem multis ex ſuperantijs carnoſis multiformis coloris galli Indici ſimiles Ariſtoteles ſect. 10. prob. 12. quærens cur proles aliorum animalium magis ſimiles ſint ſuis parentibus, quàm proles hominum.

Reſpondet quia homines inquit in coitu ſunt vario animo, quàm cætera animalia; prout autem mater in conceptu fuerit, fœtus variatur.

Guglielmus Barardinus in hiſtoria Sabaudiæ in Epilogo ad 46. ſcribit neptim Nicolai Tertij Pontificis, qui erat de familia Vrſinorum, peperiſſe prolem totam viloſam vngulis armatam inſtar vrſi: eò quòd in imagines vrſorum in ædibus illius familiæ depictorum intuita fuiſſet.

Propter quod Pontifex ex indè iuſſit, omnes imagines vrſorum in Vrbe Romę exiſtentes aboleri. Lycoſt. in lib. de prodigijs dicit hoc accidiſſe anno primo Pontificatus Martini Quarti.

Langius tom. 2. Epiſ epiſt. 12. ſcribit, mulierem quandam appetitum aquiſiuiſſe mordendi humeros cuiuſdam Piſtoris, quem nudum videbat: maritum induxiſſe pretio Piſtorem, vt pateretur; ipſam bis mormordiſſe, tertium morſum Piſtorem ferre noluiſſe tandem enixam eſſe tres proles, quarum duæ viuæ, tertia mortua erat; propter tertium morſum ei denegatum.

Thomas Eraſtus lib. de ocultis pharmacorum proprietatibus cap. 34. afert, quandam mulierem mirabili antipathia à felibus ſolitam perterreri, quia cùm mater eius grauida eſſet ſemel inopinato à fele perterrita fuiſſet.

D. Hye-

lum ceruice accipitrina: eò quòd inter concipiendum valdè territa fuiſſet ab accipite. Michael Medina ſcribit gallinam à Serpente territam non pullum, ſed ſerpentem prodijſſe; idem docet Auicenna multique alij. Multa alia exempla, & autoritates afferri poſſunt; ſed quia nullam video difficultatem, & controuerſiam, ea omitto. Nam non ſolum viri docti, ſed etiam totum vulgus, & mulierculæ videntur phantaſiæ tribuere admirandas virtutes, diuerſas, ac mirabiles effectus producendi; tùm in corpore proprio tùm in alieno. Difficultas ſolum eſt de modo quo illos producit pro qua erit.

ARTICVLVS II.

De modo quo Phantaſia impreſſiones, ſeu effectus efficit in proprio corpore.

Qvidam dicunt phantaſiam ſe ipſam agere, illóſque mirificos effectus per ſuam propriam actionem producere. Sed iſti malè dicunt, quia phantaſia per ſuam actionem extrà ſe nihil producere poteſt; Pro cuius intelligentiâ, ſciendum eſt, duplicem eſſe potentiam, quantum facit ad rem præſentem, alteram factiuam, & alteram actiuam. Potentia factiua dicitur illa, cuius actio eſt tranſiens, quæ tranſiens à ſuo principio, ideſt ab agente, recipitur in materia externa; ſeu in paſſo, vt eſt E. G. potentia calefactiua ignis, cuius actio tranſiens ab igne recipitur in ligno, E. G. Potentia actiua eſt, cuius actio eſt immanens, quæ non tranſit in extremam materiam, ſed recipitur in ipſa potentia, à qua prouenit; vt eſt potentia viſiua; auditiua, & cæteræ potentiæ cognoſcitiuæ, quæ non ſunt actiuæ niſi ſuarum operationum: vndè à Philoſophis dictæ ſunt paſſiuæ ex eo, quòd afficiantur à ſpeciebus cognoſcibilibus, quas in ſe recipiunt, & extra ſe nihil efficiunt; & ratio, cur extrà ſe nihil efficiant, eſt, quia vbi non recipitur actio, ibi non eſt paſſio, neque eſt mutatio, & conſequenter neque eſt vlla productio effe-

ctus, actio igitur potentiæ actiuæ, cùm non recipiatur in materia externa, nihil in illa efficere poteſt: quod patet in potentia viſiua E. G. quæ cùm eius actio non recipiatur in obiecto, nihil in eo efficit, imò obiectum in ipſa agit, neque aliquid efficere poteſt in organo, quia ex eo, quod oculus videat album, non fit albus, neque ex eo, quod videat nigrum, fit niger, eodem modo philoſophandum de omnibus alijs potentijs, tùm actiuis, tùm factiuis. His adnotatis.

Dico, phantaſiam per ſuam propriam actionem, extrà ſe nihil producere poſſe; cum non ſit actiua niſi ſuarum operationum.

Ratio eſt, quia eius actio eſt immanens; ſed actio immanens non poteſt recipi in externa materia, ergò phantaſia, cum eius actio recipi non poſſit in externa materia, ideſt in corpore proprio, neque in alieno, nihil in illis efficere poteſt, quia vt ſuperiùs dixi, vbi non recipitur actio, ibi non eſt mutatio, nullaque productio effectus. Quidam alij dicunt, ſpecies phantaſticas effectiuè varios effectus efficere, in corpore, tum proprio, tum alieno, ſeù phantaſiam per ſuas ſpecies phantaſticas effectiuè producere varias impreſſiones tùm in corpore proprio, tùm in alieno.

Sed neq; iſti bene dicunt. Ratio eſt, quia de eſſentia ſpeciei intentionalis eſt, repræſentare, cum ſit imago, & ſimilitudo rei, quæ repræſentatur, ſed repræſentare non eſt efficere, ergò operatio ſpeciei intentionalis eſt repreſentatio, & non effectio. Maior eſt certa. Minor probatur, repræſentare, & efficere ſunt duo eſſentialiter diuerſa; repræſentatio enim dicit abſentiam rei, quā repreſentat, effectio dicit præſentiam rei, quæ efficitur, ergo idem non poteſt repræſentare, & efficere; cum idem non poſſit facere duo diuerſa, & oppoſita. Dico phantaſiam per ſolas ſpecies phantaſticas nihil realiter efficere poſſe. Perfectio eſt actio realis, & phyſica: ſed ſpecies intentionalis non poteſt habere actionem realem, & phyſicam, aliter eſſet qualitas realis, & phyſica, & non intentionalis, ergo nihil realiter efficere poteſt; probatur minor illa, quæ habent actionem realem, ſeu phyſicam, ſunt interſe contraria, ſed ſpecies intentionales, E.G. caloris

caloris, & frigoris inter ſe non ſunt contrariæ cùm ſint in eodem ſubiecto: ergò non habent actiones reales, & phyſicas. Et confirmatur experientiâ, ex eo enim solùm, quod aliquis imaginetur, quod ſit calidus, non calefit; neque ex eo quòd ſit frigidus, frigeſcit; ergò species intentionalis nullam aliam actiuitatem habet præter repræsentare.

38 Dictus lumen intenſum, & etiam albuum diſgregant viſionem, eamque lædunt: ergo species intentionales efficienter concurrunt ad productionem, vel corruptionem rei.

Respondeo, tranſeat antecedens, & nego conſequentiam; lumen enim, cum ſit qualitas realis, & phyſica, poteſt agere, & ſpecies albedinis, cùm ſine lumine in oculo recipi non poſſit, ſi aliquod reale in oculo efficiat, illud efficit ratione luminis; ſpecies verò intentionales in phantaſia ſunt nudæ ſine vlla coniunctione qualitatis realis, & phyſicæ.

Quidam alij dicunt phantaſiam per potentiam appetitiuam, ſeu mediantibus paſſionibus animæ agere, tùm in corpore proprio, tùm in alieno.

Sed neque iſti benè dicunt. Ratio eſt, quia licèt phantaſia per appetitum, & animi paſſiones producat multos effectus in proprio corpore, quos tamen in alieno corpore propinguo; ideſt in fœtu, producere non poteſt; ſed per ſpecies phantaſticas dirigendo, & modificando virtutem conformatricem, vt infra explicabimus, pro intelligentia modi, quo à phantaſia excitantur, & modi quo concurrunt ad alterandum corpus. Sciendum eſt, phantaſia repræſentando potentiæ appetitiuæ ſpeciem alicuius rei illam mouet, atque excitat ob quandam ſubordinationem, & ſympathiam, quam habet cum illa, quæ excitata, imperat potentiæ motiuæ, vt excitet à corde ſpiritus, ſanguinem, alioſque humores, in corpore exiſtentes, qui vi paſſionum animi modò à centro ad circunferentiam, modò à circumferentia ad centrum, modò ſurſum, & modò deorſum per corpus transferuntur ſecundum vim paſſionum animi, quæ paſſiones licèt ſint plures, vt infra agentes de potentia appetitiua explicabimus, præcipuè tamen, quæ concurrunt ad rem præſentem, ſunt duæ, ideſt deſiderium, & timor, ſeù terror. His explicatis.

 Dico,

Dico, phantaſiam mediantibus paſſionibus animi, & motu ſpirituum à corde, & humorum efficere in proprio corpore varios effectus; quod probo, aſſignando rationes, & modos, quibus imaginatio in proprio corpore ſuperiùs dictas alterationes, & effectus efficere ſolet.

Ratio, cur ille, qui forti imaginatione terribilia imaginatur tremat, refrigeretur, & palleat, eſt, quia ſpiritus vitales, & calor natiuus vi illius terroris imaginati ab habitu corporis transferuntur ad cor. Vndè partes corporis ſpiritibus vitalibus, caloreque natiuo denudatæ refrigerantur. Vndè pallor vultus, manuum, & vocis tremor alui excrementorum, & vrinæ, expulſio, multaque alia eueniunt; videmus enim, multos homines imaginatione, & aſpectu præcipitij, hoſtis, & cuiuſuis periculi ſæpè contremiſcere, horrere, & in deliquium animi incidere. In hac, & etiam alijs omnibus dicendis alterationibus, ſuppono, potentiam appetitiuam, & motiuam procedere, quæ animi paſſiones excitant, atque mouent.

Ratio, cur, qui imaginatur iucunda, & læta, incaleſcat, & rubeat, eſt, quia ſpiritus, & calor natiuus à corde diſperguntur per habitum corporis, à quibus corpus incaleſcit, rubet, viuidum, ac lætum redditur.

Ratio, cur multi uehementi imaginatione mortis una nocte cani facti ſint, eſt; quia a vehementi timore, ſeu terrore non ſolùm ſpiritus, & calor natiuus à circunferentia ad centrum detrahuntur, ſed etiam humores à ſupremis, & externis partibus corporis ad inferna detruduntur. Vnde pili, & capilli capitis, & faciei manentes ſine humoribus exſiccantur, & cani euadũt. Quod in vehementi timore, ſeu terrore humores à ſupernis, & extremis partibus ad inferiores detrahantur, patet ex murmure ventris; fluxu alui, eiectione urinæ, &c.

Quòd ab inopia humoris pili, & capilli caneſcant, patet inductione, & experientiâ, folia enim arborum, & herbarum ob omiſſionem humoris areſcunt, atque candeſcunt; ergò etiam pili, & capilli ob illam ſubitaneam deſtructionem humoris, eiuſque amiſſionem ſtatim caneſcunt. Prætereà capilli caneſcere incipiunt in extremis partibus vt patet experientia, propter de-

defectum humoris alentis; ergò ex ſubitanea ablatione humoris, ſubitanea canities aduenire poteſt.

Ratio, cur forti imaginatione imaginanti cornua habere, cornua eueniant, eſt, quia potentia motiua directa ab imaginatiua caput verſus impellit humorem excrementitium, viſcidum, glutinoſum, & ad materiam cornuum idoneum, ex quo cornua enaſcuntur, non tamen omnibus hoc euenire poteſt, ſed ſolum illis, qui habent imaginationem nimis intenſam, & abũdantiam humoris, ad hunc effectum producendum idonei; non tamen vera, ac oſſea cornua, ſed tubercula quædam, cornibus ſimillima. Propter eandem rationem videntes alios comedere fructus acerbos, vel auſteros; vt ſunt limones E.G. & alii ſimiles: percipiunt in ore copiam ſaliuæ ſaporis acris, & aliquandò ſtupore dentium corripiuntur, quia nimirùm potentia motiua excitata ab appetitiua, & directa ab imaginatiua ad os impellit humorem acrem, ſeu auſterum in corpore exiſtentem, qui ſaporem illius fructus poſſidet.

Ratio, cur Aiacem furioſum repræſentare volens iuuenis, furioſus factus eſt, vt enarrat Lucianus, quia ad repræſentandum furioſum cõcurrit ira, cuius proprium eſt vi imaginationis ſpiritibus vitalibus, & humoribus bilioſis à potentia motiua ad caput impulſis, cerebrum calefacere, & mentem turbare: vndè rubor oculorum, & totius faciei, dilatatio palpebrarum, erectio pilorum &c. vndè in repræſentare Aiacem furioſum, iuuenis ille ex nimia illa calefactione ſui cerebri ab ira furioſus, & maniacus factus eſt; idem dicendum de illo alio homine, qui ſtultum imitare volens, ſtultus factus eſt à læſione facultatis cogitatiuæ ob calefactionem ſuperioris, ſeu mediæ partis cerebri, vbi cogitatiua reſidet.

Ratio, cur, dùm aliquis imaginatur, ſe aliquo morbo eſſe affectum, illo morbo afficiatur, eſt, quia in corpore ſæpè reperiũtur humores excrementitij nociui, omnis generis; bilioſi, pituitoſi, & melancholici, qui vi imaginationis à potentia motiua impelluntur ad partem verſus, quæ putatur læſa, in qua humores illi coaceruati: morbum illum, ab imaginante apprehenſum generant; E. G. ſi aliquis fortiter imaginetur in pede habere,

habere,

habere, vel habiturum eryſipelas, vi illius imaginationis, & timoris facultas motiua à partibus corporis humorē biliosum, calorem, & ſpiritus à corde ad pedem verſus impellit, qui humor bilioſus in pede coacreuatus, eryſipelas generat. Eodem modo generantur vlcera, & tumores omnis generis. Similiter ille, qui imaginatur peſte laborare, eâ corripitur, quia imaginatio peſtis inducit magnum timorem, qui timor mouet malignos, putridos, & peſtilentes humores, in corpore imaginatis latentes, qui moti peſtem generant; ſimili modo ex motione ſpirituum, & humorum vi imaginationis fieri poſſunt obſtructiones, & conſequenter apoplexia, ashma, calculi, cœcitas, innumeraque alia mala.

Ratio, cur confidentia ægri de medico maximè conferat ad acquirandam ſanitatem, vt teſtatur Gal. loco ſupracitato, eſt, primò, quia confidentia illa generat in animo ęgrotantis lætitiam; diffidentia verò mœrorē, & timorem: lętitia autem calorem natiuum, & ſpiritus viuificat, ac vias dilatat: vnde morbus faciliùs ſuperatur, & non augetur: triſtitia verò, & timor refrigerant, ſpiritus obnubilant, vias coarctant, cruditates multiplicant, & excrementa inducunt, vndè morbus augetur. Secundò quia confidentia facit ægrum præceptis medici obedientem, & promptum, quælibet medicamenta hilari animo aſſumere; diffidentia verò ea auerſari, & recuſare. Vndè fit, vt per confidentiam morbus ſuperatur, per diffidentiam natura.

Quæres, cur aliqui ægri appetentes aliquem cibum morbo noxium, vt E.G. caſeum, cæpas, aquam vitæ, vel aliquem alium, illum comedendo, ſanatur?

Reſpondeo iſti cibi conferunt partim illius imaginationis, & partim quia aliquando habent aliquam virtutem per ſympathiā quandò natura nobis ignotam, morbum illum tollendi, vel alivel antipathiam irritata conatur cibum illum expèllere, vt ſibi inimicū, quem expellendo expellit etiam cauſam morbi, vt efficit etiam in helleboro, ſcamonea, & alijs naturæ inimicis.

Quæres, cur aliqui audientes ſtridorem ſerræ, rigeant & alij videntes caſeum, vel aliquid aliud, à quo abhorrent? Reſpondeo,

deo, quia imaginantur, iſta eſſe ſibi noxia, vi illius imaginationis facultas motiua excitata mouet humores in corpore, qui moti, & agitati tales effectus efficiunt. Præter ſuperiùs dictas impreſſiones, & alterationes, quas phantaſia in proprium corpus inducit plures alias in animam, ſeu in facultatem æſtimatiuam imprimere ſolet; nam per actus imaginationis ſæpiùs repetitos imprimitur quidam habitus per quem iudicat illud quod non eſt eſſe vel illud quod eſt, aliter ſe habere. Multi melancholici iudicant, & pro certo habent aliquo morbo tentari, nullo tamen morbo effecti ſunt. Multi iudicant & tenent se sapientes eſſe, qui verè ignari ſunt, multi exiſtimant, & fatentur ſe Principes, Reges, ac Imperatores eſſe qui tamen pauperrimi ſunt. Erotomanici rem amatam deformem, pulcherrimam eſſe iudicant, vnde dictum illud: Quidquis amat ranam ranam putat eſſe dianam, multa alia de hac re, agentes de ſomniorum diuinatione, dicemus.

Explicatis impreſſionibus, & alterationibus, quas phantaſia in proprio corpore generare poteſt. Explicandæ iàm ſunt impreſſiones, & paſſiones, quæ in corpore alieno, ideſt in fœtu generari poſſunt.

ARTICVLVS III.

De modo, quo phantaſia impreſſiones, & ſignaturas in foetum inducere ſolet.

IMpreſſiones, ſeu paſſiones, quæ in fœtu gerantur, alia ſunt communes, aliæ particulares, & determinatæ, communes ſunt, quæ non ſolum fieri poſſunt vi imaginationis, ſed etiam à cauſis monſtruoſitatis; vt eſt magnitudo alicuius partis, auctio vel diminutio partis, excreſcentia aliqua carnosa, aborrus, aliqui morbi tàm interni, quàm externi, variæ maculæ indiſtinctę & confuſæ, multæ aliæ. Particulares, & determinatæ ſunt, quæ habent aliquam figuram, vel magnitudinem, vel colorem, vel

aliquod

aliquod ſimile, habens ſimilitudinem cum rebus externis, vt eſt E.G figura repræſentãs faciem Ranæ vel Simiæ, vel Auem, vel Lacertam, vel eſt aliqua macula cum tali colore, repræſentans talem fructum, E.G. verum cerasum, fragra, vel alios fructus, vel alias res ex ſuperiùs in exemplis allatis.

Quòd impreſſiones, ſeu ſignaturæ communes vi imaginationis per animi paſſiones, & motum ſpirituum, & humorum, produci poſſint, non uidetur difficultas.

Ratio eſt, quia proprius effectus paſſionum animi eſt mediante motu cordis humores corporis, & ſpiritus agitare: ſanguis, & ſpiritus materni moti poſſunt, uel impetu, uel nimia quantitate, vel qualitate ad uterum; & fœtum ferri, uel ab eo euocari; per utramque actionem fœtus alteratur, & afficitur uarijs morbis: nam ſi illi humores impetu, & nimia quantitate deorsùm ad uterum, & fœtum ferantur, uel abortus, uel mors, uel morbi fœtus contingere poſſunt, ſi humores illi ſint qualitate peccantes, ſimiliter uarij morbi, uel diuerſæ maculæ indiſtinctæ, & confuſæ in fœtu generari poſſunt. Si ſpiritus calor, & humores ſurſum retrahentur ob inopiam ſpirituum, caloris, & alimenti fœtus refrigeratur, contabeſcit, & moritur.

Difficultas eſt de impreſſionibus, maculis, ſeu ſignaturis determinatis, quæ in fœtu imprimuntur, à quonam, & quomodò fiant?

Quidam dicunt; iſtas impreſſiones fieri vi imaginationis per motum paſſionum animi, ſpirituum, & humorum, quemadmodùm fiunt etiam in corpore proprio, & in fœtu impreſſiones, & alterationes cõmunes. Sed iſti male dicunt. Prima ratio eſt, quia ſi phãtaſia impreſſiones determinatas efficeret per animi paſſiones, motum ſpirituũ, & humorum, ſemper de diuerſis rebus imaginatis eandem impreſſionẽ, ſeu ſignaturã efficere deberet. E.G. dũ mater territa eſſet à Cane, & dũ tenita eſſet à Mure, uel Lacerta, uel à quolibet alio, ſeinper eandem ſignaturã deberet imprimere: ſed hoc eſt falſum: ergò non efficit per paſſiones animi motũ ſpirituũ, & humoris. Probatur ſequela; quia terror in utroq; caſu eodem modo, eoſdem ſpiritus, & humores mouet; ergò non poteſt diuerſas ſignaturas imprimere ſimiliter; dùm mater

appe-

appetit ceraſa, & dùm appetit cæpas, vel aliquid aliud deſiderium eodem modo mouet ſpiritus, & humores in vtroque caſu; ergo in vtroque caſu imprimere deberet eandem ſignaturam: ſed imprimit diuerſam; ergo non per paſſiones animi, motũ ſpirituũ, & humorũ tantùm; ſed etiam per aliquod aliud imprimit.

Secunda ratio eſt, ſi phantaſia particulares, & determinatas ſignaturas per animi paſſiones, ſpirituum, & humorum motum efficere poſſet in fœtu, efficere poſſet etiam in proprio corpore; ſed in proprio corpore efficere non poteſt, cùm mater per terrorem lacertæ E.G. non poteſt in ſe figuram lacertæ imprimere, neque deſiderio ceraſarum, figuram, & colorem veri ceraſi, ergò neque in fœtu.

Dices ideò mater illas ſignaturas inducere poteſt in corpus fœtus, & non in ſuum proprium; quia corpus fœtus eſt tenerum, & molle; & facilè receptiuum impreſſionis humorum, & ſpirituum: corpus verò matris, & aliorum hominum, cùm ſit durum, non eſt receptiuum horum impreſſionum. Sed contrà eſt, quia fortaſsè, putas, quod humores à paſſionibus animi impulſi, ſignaturas imprimunt in corpore fœtus, ſicuti imprimit ſigillum in cera, vel ſicuti pila colorata proiecta in parietem, illum tingit; certè res non ita ſe habet; ſed quatenùs humores ingrediuntur ſubſtantiam partium corporis, & in illum conuertuntur; ſi ergò iſta omnia meliùs fiunt in adultis, & in matre: cur ſignaturæ determinatæ fiunt in fœtu, & non in matre, & alijs adultis? non quidem, propter aliam rationem, niſi quia in fœtu adeſt virtus efformatiua, non verò in matre, & adultis.

Dico phantaſiam particulares ſignaturas, & maculas imaginatas in fœtu efficere, dirigendo, & determinando virtutem efformatiuam membrorum fœtus.

Probatur phantaſia in fœtu producit iſtas ſignaturas; vt ſuperiùs varijs exemplis, & auctoritatibus probatum eſt: ſed non poteſt producere per ſuam propriam actionem, cùm eius actio ſit immanens, neque per ſpecies, cùm ſpecies ſint repreſentatiuæ, non effectiuæ, neque per paſſiones animi, vt probatum eſt: ergò per dirigere, ac determinare virtutem efformatiuam.

Difficultas iam eſt de modo, quo phantaſia dirigit, ac determinat virtutem efformatiuam.

Digitized by Google

Dico phantaſiam determinare, & dirigere virtutem efformatiuam per ſpecies rerum imaginatarum, tanquàm per exemplar, ad quarum ſimilitudinem, virtus efformatiua effectiuè efformat illas notas, ſeù maculas particulares in corpore fœtus.

Probatur, omne, quod operatur, ſeu efficit aliquod opus ad ſimilitudinem alicuius rei, determinatur, & dirigitur ab illa re, ad illud opus efficiendum: ſed virtus efformatiua operatur, ſeù efficit illas notas, & maculas; ad ſimilitudinem rei; ſibi ab illis ſpeciebus repræſentatæ, ergo ab illis determinatur, & dirigitur ad illas efficiendas.

Dices primò, ſpecies rerum, cùm ſint in cerebro, ſunt nimis remotæ; ergò non poſſunt dirigere efformatricem. Reſpondeo negando conſequentiam, quia ſpecies illæ mediantibus paſſionibus animi, à cerebro per neruos ad vterum, & fœtum, vel directè, vt euenit in actu conceptionis vel indirectè, ideſt priùs ad cor, & indè cum ſpiritibus ad vterum, & fœtum, vt euenit poſt conceptionem tempore grauidationis; illã dirigunt.

Dices ſecundò, nulla potentia poteſt operari ſecundum exemplar, niſi cognoſcitiua; ſed virtus efformatiua non eſt cognoſcitiua; ergò non poteſt operari ſecundum exemplar.

Reſpondeo negando maiorem, quia licet virtus efformatiua non habeat veram cognitionem, quam exigunt ſenſus, & intellectus ad operandum per exemplar; habet tamen cognitionem minùs rigoroſam, quæ eſt inſtinctus naturalis, per quem operantur etiam potentiæ vegetatiuæ. Plantæ E G. cognoſcunt, & diſtingunt in terra alimentum ſibi conueniens, quod ad ſe trahunt, & noxium, quod, reſpuunt. Similiter partes corporis cognoſcunt ſibi conueniens, quòd ad ſe trahunt, ideſt vna pars trahit materiam humidam, altera ſiccam; vna biilioſam, altera melancholicam: ergò multo magis virtus efformatiua, quæ, cùm ſit mirabilis, & mirabiles effectus efficiat, poteſt inſtinctu naturali illam cognoſcere, & per exemplar operari.

Dices 3. omne quod operatur ad exẽplar, neceſſariò debet habere præſens illud exẽplar; ſed virtus efformatiua dum operatur non habet præſentẽ ſpeciẽ rei repræſẽtatæ, ergo virtus efformatiua non operatur ad exẽplar. Probatur minor, ſpecies rei in actu con-

conceptionis conceptæ non exiſtunt, dum virtus efformatiua efformat partes externas; ergò non habet ſpecies rei repræſentatæ præſentes. Probatur antecedens, ſignaturæ imprimuntur in poſtremis menſibus;ſed tempore illo iàm ſpecies euanuerunt; ergò, dum imprimit notas; non exiſtunt eorum ſpecies.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, quod operatur ad exemplar, debet illud exemplar ſemper habere præſens, nego maiorem; debet habere illud præſens, dùm ab illo determinatur, & dirigitur ad opus, illi repræſentatum, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: dùm operatur, non habet ſpeciem præſentem actualiter, concedo minorem, virtualiter nego minorem, & conſequentiam; nàm ſufficit quòd ſpecies ſit actualiter præſens, dùm efformatiua ab ea turbatur, & à ſua naturali, rectaque operatione deuiatur, & incipit imitari illud exemplar, ad cuius ſimilitudinem à naturâ ſternitur aliquod rudimẽtum fœtus formandi, quod continuo magis, magiſque exprimit vſque ad vltimum tempus efformationis.

Quæres, an imaginatio ſine animi paſſionibus poſſit fœtum ſignare? Reſpondeo, non poſſe. Si enim ad imaginationem non ſequatur deſiderium, vel terror, vel alia paſſio animi, nulla ſignatura in fœtu imprimi poteſt.

Dices, mulier hora conceptus conſiderans pulchram imaginem, generat pulchrum filium, & conſiderans imaginem, in qua picta eſt vrſus, generat filium ad ſimilitudinem vrſi: ſed in iſtis conſiderationibus nullum adeſt deſiderium, & terror, cùm mulier ſciat illam imaginem non poſſe mordere; ergò ad ſignandum fœtum non requiruntur animi paſſiones.

Reſpondeo negando minorem; quia etiam ſi figura in imagine picta, non inducat deſiderium, aut terrorem; cogitatione tamen rei per illã imaginem repræſentatæ excitantur deſideriũ, & terror: nàm ſi enarratio fructuum delicatorum excitat appetitum mulieris, & enarratio ferocium animalium timorem, multò magis ergò imagines, in quibus clariùs repræſentantur fructus, & animalia excitant deſiderium, & terrorem. Mulier ergò, videns pulchram imaginem, ſæpè deſiderat habere prolem illi ſimilem, & videns imaginem ferocis animalis terretur,

Digitized by Google

neque facta eſſentialiter mutari poſſunt E. G. ſi imaginatio adueniat in conceptione, vel ſtatim poſt, ideſt in principio efformationis membrorum, virtus efformatiua poteſt totum fœtum efformare ad ſimilitudinem animalis, vel picturæ, de quibus fuit imaginatio; quia corporis figura, nec dùm eſt deſcripta; ſi verò imaginatio adueniat ſerò poſt deſcriptionem membrorum ſecundum debitum numerum, ſitum, figuram, &c. illa non poteſt mutare, ſed ſolùm imprimere poteſt excreſcentias carnium, pilos, colores, vngulas, roſtra, caudam, cornua, & alia ſimilia; ſi tamen adſit materia idonea pro eorum efformatione; ſi verò non adſit materia, imprimit maculas, exprimentes illud, quod efformatrici fuit repræſentatum, ſecundum figuram, & colorem, omnium tamen facillimè phantaſia exprimit pilos, maculas, & colores; tùm quia ſunt facilioris productionis; tùm quia omni tempore produci poſſunt; non tamen exprimere poteſt colores omnis generis, ſed ſolùm illos, quos humores in corpore exiſtentes tingere poſſunt. Vndè perfectè viridem, ceruleum, & perfectè flauum exprimere non poteſt.

Sciendum ſecundò, phantaſiam non poſſe facere, vt generetur verum animal efformatrici repræſentatum, E. G. veram ſimiam, lacertam, murem, &c. quia virtus efformatiua non habet talem virtutem, neque talem ordinem naturalem; neque mutare poteſt ſexum, vt agentes de conceptione maris. Probauimus, ſexum pendere à virtute ſeminis, eiuſque temperamento; quod virtus efformatiua neque facere, neque mutare poteſt.

Quæres, cur ſignaturæ, vt plurimum exprimantur in facie fœtus? Reſpondeo, ſignaturæ exprimuntur in parte corporis, quæ fuit in imaginatione; ſed quia mater plerùmque imaginatur faciem fœtus, ideò in eius facie exprimuntur. Præterea natura in efformatione fœtus faciei magis intenta, & diligens eſt; ideò volens aliquam rem imitari, & exprimere, illam in facie exprimit.

Quæres, an etiam imaginatio brutorum animalium ſignare ſoleat? Reſpondeo certum eſt, quòd ſignet, raro tamen; & rationem, cur raro ſignet, affert Ariſtoteles ſect. 10. probl. 12. vbi

 quæ-

quærens, cur proles cæterorum animantium ſint magis ſimiles ſuis parentibus, quàm hominum? Reſpondet, quia, inquit, homines magis vago, & vario in coitu ſunt animo; quàm illa, prout autem mater in conceptu fuerit fœtus variatur. idem docet Plinius lib. 7. hiſtoriarum animalium, Cicero primo quæſtionum Tuſcul. & alij.

QVAESTIO III.

De Somnijs.

ARTICVLVS I.

Quid ſit Somnium, eiuſque cauſa.

SOmnium eſt phantaſma, ſeu apparitio in dormiente, à phãtaſia ortum, leui agitatione ſpirituum. Dicitur leui agitatione ſpirituum, quia omnimoda ſpirituum ceſſatio ſomnus eſt; vehemensque illorum motus vigilia eſt: leui igitur motu ſpirituum ſomnia generantur.

Dubitatur cuius potentiæ operationes ſint ſomnia.

Dico primò, ſomnia non eſſe operationes ſenſuum externorum, & ratio eſt, quia dùm fiunt ſomnia, ſenſus externi ſunt ligati, & non poſſunt operari; tùm quia ſenſus externi verſantur circa præſentia: ſomnia verò ſunt rerum abſentium; ergò ſomnia non poſſunt eſſe operationes ſenſuum externorum.

Dico ſecundò, ſomnia non eſſe operationes intellectus. Ratio eſt, quia ſomnia ſunt etiam in brutis animalibus, quæ intellectu carent; tùm quia ſomniantes, videntur ſibi videre, audire, &c. quæ non ſunt operationes intellectus; ergò ſomnia non ſunt operationes intellectus, licet aliquandò concurrat intellectus; vt dùm aliquis in ſomno diſcurrit, argumentatur, ſoluit argumenta, &c.

Dico

Dico tertiò, ſomnia eſſe propriè operationes phantaſiæ. Ratio eſt; quia ſomnia ſunt phantaſmata, quæ apparent in dormiente; ſed phantaſmata ſunt propria phantaſiæ; ergò ſomnia ſunt propria, & fiunt à phantaſia, ſicut autem auditio ab auditu, ità phantaſma à phantaſia.

Dico quartò, animalia; quæ ſenſus inter nos habent, ſomnia habere poſſunt. Ratio eſt, quia illa habere poſſunt ſomnia, quæ phantaſmata conſeruare poſſunt, abſente obiecto; ſed ſenſus internos habentia conſeruare poſſunt phantaſmata, abſente obiecto; ergo omnia animalia ſenſus internos habentia, ſomnia habere poſſunt.

Dico quinto, ad generationem ſomniorum concurrere etiam ſenſum communem. Ratio eſt, quia in ſomnijs percipimus ſenſationes ſenſuum externorum, eorumque differentias, percipimus res tanquam præſentes: videmur enim nos videre, audire, &c. quod eſt proprium ſenſus communis: prætereà phantaſmata, quæ à phantaſia defluunt, recipiuntur in organo ſenſus communis; ergò, & ipſe ſimùl cum phantaſia ad generationem ſomniorũ operatur: vndè ſenſus communis eſt ligatus verſus ſenſus externos, nè ad illos mittat ſpiritus, & ab illis recipiat ſpecies rerum ſenſibilium, non verò phantaſiam verſus, cum illius operationes recipiat, illaſque repræſentet.

Quoad materiam, ex qua ſomnia fiunt. Dico, eſſe imagines, & ſpecies rerum ſenſibilium in phantaſia, & memoria inhærentes, quas ſpecies Ariſtoteles ſimulacra appellat. Vndè oritur, quòd nihil videri poſſit in ſomnijs, quod priùs ab aliquo ſenſu externo non ſit perceptum, vel ſecundum ſe totum, vel ſecundum aliquam eius partem, & dùm alicui in ſomno apparet chimera, illam ante, vel audiuit, vel aliquod pictum chimeræ ſimile ei viſum fuit.

Quoadmodum, quo fiunt ſomnia; ſciendum eſt ſpecies rerum ſenſibilium recipiuntur in organis ſenſuum externorum, & indè transferuntur ad ſenſum communem, & à ſenſu communi ad phantaſiam; vt ſæpè diximus, in ſomnijs verò ſpecies rerum ſenſibilium, ſeu ſimulacra transferuntur per oppoſitum motum, à phantaſia nimirùm ad ſenſum communem. Vndè propter ſpe-

cies illa in ſenſu cõmuni inhærentes videtur homini dormiẽti, quod videat ſenſibilia ad extra, & præſentia; etiãſi ſint absẽtia; videtur enim illi, quod ambulet, loquatur cum alio, quod clarè patet in homine exiſtente in vehementi paſſione concupiſcibili, ideſt, in amore, vel deſiderio fruendi re amata; ſpecies enim rei, cũ impetu à phantaſia transferũtur ad ſenſum cõmunem, quapropter homini illi vigilanti videtur habere ante oculum dilectum, & audire loquentem, illumque tangere, &c. ſimile videtur contingere homini exiſtenti in paſſione iraſcibili, ideſt, in timore: Timidus enim, qui imaginatur periculum, ſemper illi videtur habere hoſtem præſentem, ob vehementem recurſum ſpeciei hoſtilis, in ſenſu communi exiſtentis.

Quæres, an iſta ſpecies, ſeu ſimulacra, quæ tranſeunt à phantaſia ad sensum communem, ſemper generent deceptionem? Reſpondeo, non omnes ſpecies, ſed aliquæ, & illæ non ſemper: pro quorum intelligentia. Sciendum eſt, ſpecies ſeu ſimulacra à phantaſia ad ſenſum communem transferri ſolent, & in vigilia, & in ſomno & rursùs in vigilia tranferuntur in hominem animi quietum, & in hominem aliqua paſſione animi affectum, dùm vertuntur in hominem vigilantem animi quietum, vt E.G. cum aliquis cogitet de aliqua re abſente, vel præſente à ſe geſta, vel à se viſa, uel audita, nulla interuenit deceptio; quia conſiderat rem illam, ſicuti fuit, & ſi remoueatur ab occupatione ſensuum externorum, intenſiùs, & clariùs cogitat: ſenſus enim externi propter motionem ſenſibilium exſteriorum debilitant, ac impediunt operationes ſenſuum internorum. Dum verò ſpecies vertuntur in hominem aliqua paſſione animi affectum, vt E. G. amore, vel timore, deceptionem generant, nam in amore, vel deſiderio fruendi re amata fit impetuoſa reuerſio ſimulacri, ſeu ſpeciei rei amatæ ad ſenſum communem, quæ ità commouet facultatem cogitatiuam, vt videatur vigilanti habere ante oculos dilectum illud pulchrum, audire loquentem, &c. decipitur, inquam, in iudicio circa dilectum, quia iudicat pulchrum quod pulchrum non eſt & eſſe præſens, quod eſt remotũ. Vnde orta eſt ſententia ſapientũm amor, & odium peruertunt iudicium.

Simi-

Similiter timore affectus per reuerſionem ſpeciei hoſtis, à phantaſia ad ſenſum communẽ, ſtimulãte paſſione timoris, videtur illi ſemper habere hoſtem inſequentem. Omninò idem contingit in febricitãtibus, in quibus ex intenſiuo calore inordinato aſcendente ad cerebrum tali modo commouetur imaginatiua, & perturbatur cogitatiua, vt febricitantes loquãtur inordinatè: dicunt enim ſe vidiſſe mortuos, aut armatos, aut placida, provt eis dominatur humor melancholicus, vel alius humor, neque poteſt eis aliter ſuaderi propter ligamentum rationis: decipiuntur itaquè, quia vno modo concipiunt, & iudicant, quod alio modo ſe habet.

In alto ſomno, ſeù in totaliter dormiente, cùm ſenſus externi, & intellectus ab omni opere vacent; phantaſia remanens maximè libera, & incontinuo motu verſatur, modò componẽdo ſimulacra inter ſe, modò diuidendo, modò ea mittendo ad ſenſum communem, (quæ ſimulacra licèt euertantur ad ſenſum communem, tàm in ſomno, quàm in vigilia, non tamen dicuntur ſomnia, niſi in ſomno, ſeù in dormiente; ideò enim ſomnia dicuntur, quia ſomnum ſequuntur,) quæ ſimulacra etiam ſi in ſomno continuo à phantaſia euertãtur ad ſenſum communem, non tamen ſemper ſomnia generantur, ob defectum vaporum, vel humorum ad caput aſcendentium; Aliquando enim vapores à ventriculo, vel alijs partibus corporis ad caput aſcendentes ſunt multi, & craſſi, qui adeò turbant ſpiritus deſcendentes cum ſimulacris à phantaſia ad ſenſum communem, vt nullum repræſentetur inſomnium, quod communiter euenire ſolet dormienti, ſtatim poſt aſſumptionem cibi prima horà dormitionis, & præcipuè lautè cęnantibus, qui in primo ſomno, vel nihil, vel ſaltem nimis parùm ſomniant. Idem euenit ebrijs, qui ob multam euaporationem vini, cum profundiſſimè dormiant, nihil ſomniant. Omninò idem contingit pueris, qui ob nimiam humiditatem, & euaporationem opplentem cauitates cerebri, & turbantem ſpiritus, profundè dormiunt. Propter eandem rationem multi in toto curſu ſuæ vitæ ſomniari non fuerunt; quia propter nimiam humiditatem cerebri, & redundantiam vaporum, ſpiritus torpidi redduntur; vndè profundè dormiunt, &

nihil ſomniare poſſunt; quandò verò euaporatio incipit remitti, cauſantur ſomnia, confuſa tamen, & in ordinata; quod patet in ebrio, in quo, cum ebullitio, vini ceſſare cęperit, & in febricitante febris, & etiam communiter in omni dormiente, benè cęnantes in ſecunda dormitione, ideſt dùm vapores remitti cęperint, ſomnia confuſa, & in ordinata generantur. Quando verò euaporatio ceſſat, fiunt ſomnia clara, & ordinata, & aliquandò ità clara, quòd videtur ſomnianti ſe non ſomniare, ſed ſic eſſe in rei veritate: & hoc euenire ſolet manè, cùm iam quieuerunt euaporationes. Ex hoc prouenit, quòd viri ſobrij in dormitione habeant ſomnia adeò clara per totum tempus dormitionis, vt videantur ſibi non ſomnia, ſed apertæ viſiones. Hoc totum clariùs percipi poteſt exemplo Ariſtotelis de aqua, ſi aliquis aſpiciat in vaſe aqua pleno, quæ continuò agitatur, ac mouetur, nulla imago aſpicientis repræſentatur, dùm incipit quieſcere, repræſentatur quidem illius imago, ſed confuſa, & inordinata, diſtorta nimirum ſecundùm partes eminentes, & depreſſas; quandò verò totaliter quieſcit, repræſentatur imago aſpicientis clarè, ac diſtinctè; ità dùm multi vapores in cerebrum eleuantur, ac agitantur, nullum ſomnium apparet; dùm remitti incipiunt, apparent ſomnia confuſa, & inordinata; dùm verò totaliter ſunt remiſſi, apparent ſomnia clara, ac diſtincta: his explicatis, explicandæ ſunt cauſæ ſomniorum pro quibus. Sciendum eſt, omne ſomnium originem habere à ſpeciebus, in memoria reſeruatis, quæ ſpecies excitantur, & multiplicantur à varijs rebus, quæ cauſæ ſomniorum dici ſolent, quorũ aliæ ſunt intrinſecæ, & aliæ extrinſecæ; intrinſecæ ſunt, quæ in corpore viuente exiſtunt; Extrinſecæ ſunt, quæ extrinſecùs adueniunt. Cauſæ intrinſecæ rurſus ſunt duplicis generis, aliæ naturales, & aliæ animales. Naturales ſunt in corpore inhærentes; vt ſunt humores, ſanguis nimirũm, bilis, pituita, & melancholia, & etiam paſſiones animi, vt ſunt amor, timor, & aliæ: aliquandò enim ſpecies, ſeù ſimulacra excitantur ab humoribus, & aliquandò à paſſionibus animi, vt paulò inferius videbimus.

Animales ſunt ad animã pertinentes; vt habitus, ideſt ſcientiæ, & artes, quæ excitant phantaſmata, quibus dormienti videtur

detur, e. g. Philoſopho diſputare, venatori videtur feras venari laquea tendere &c.

Cauſæ ſomniorum ab extrinſeco aduenientes ſunt, quæ vel imprimunt ſpecies in phantaſia, vel in ea exiſtentes excitant,& ſunt duplicis generis; aliæ materiales, & aliæ ſpirituales; materialis eſt cœlum,ſpiritualis eſt triplex,nempè Deus,Angelus,& Dęmon. Deus ſępè per ſomnia reuelat hominibus multa futura bona, vel mala. Angelus ſimiliter, vt miniſter Dei excitando ſpecies, & inducendo ſomnia, reuelat multa euentura. Dęmon commouendo humores,vel paſſiones excitat ſimulacra in phantaſia, quibus efformantur diuerſa ſomnia.

Quòd cœlum excitet ſimulacra,& producat diuerſa ſomnia, patet: nàm corpora cœleſtia poſſunt commouere humores, & inducere ſanitatem, & ægritudinem; propterea medici obſeruant dies criticos, & aſpectum lunæ in eorum operationibus. Similiter cõmouendo paſſiones animi mouet hunc ad amorem, illum ad iram &c. ſic poteſt commouere ſimulacra in phantaſia coagente, & cauſare ſomnia.

Pręter iſtas cauſas,inquit Ariſtotoles, dantur aliæ cauſæ extrinſecæ, & omninò caſuales,quemadmodùm,inquit, loquenti de aliquo amico,vel eius virtute, illi amicus aduenit,vndè prouerbium originem duxit, lupus eſt in fabula,qui aduentus amici eſt omninò caſualis,ità nobis ſomniantibus multa eueniunt, vt ſomniauimus,quæ tamen ſunt omninò caſualia,vt e. g. ſomnianti pluere; euenit pluuia, aduentus pluuiæ eſt omninò caſualis, quia niſi ſomniaret, adhùc eueniret pluuia ſomnium igitur de pluuia, neque eſt cauſa pluuiæ, neque ſignum, ſed caſualis, vel fortuita cauſa.

Quæres, cur ſomnia potiùs excitẽtur noctu,& in ſomno, quã die,& in vigilia? Reſp.ſomnia excitari,tã in ſomno,quàm in vigilia,tã noctu,quàm die; ſed quia in vigilia operationes ſẽſuũ externorũ, cùm ſint maiores,& vehemẽtiores operationibus ſenſuũ internorũ, illas obtenebrant, & in perceptibiles reddunt,ſicuti maius lumen obſcurat minus, & maior dolor facit vt minor non percipiatur: in ſomno verò vacantibus ſenſibus externis operationes ſenſuum internorum clariùs, ac faciliùs per-

cipiuntur: nàm pauca bilis aucta, & defluxa per vias memoriæ excitat ſpecies calidorum ad cauſanda phantaſmata rerum ignearum, ſic ſomniantibus apparent, fulgura, cadere, flammas, & ignes excitari, ſi pauca bilis defluat in muſculos, vel alia inſtrumenta motus ſomniantes arbitrantur ambulare per ignem, calefieri &c. Si pauca pituita defluat in linguam, ſomniantes arbitrantur dulcibus ſaporibus perfrui; in vigilia verò non apparent magna, ſed ſicuti ſunt in ſe.

Quæres, cur non omnibus hominibus eadem ſomnia eueniant, cùm omnes habeant eadem ſenſibilia? Reſpondeo, quia licèt ſenſibilia ſint eadem, non tamen phantaſmata, & imaginationes ſunt eædem, cum circa eadem ſenſibilia ſint diuerſæ ſenſationes, & imaginationes. Ratio eſt, quia affectiones, ex quibus ſomnia excitantur, non omnibus eædem ſunt, non omnibus idem habitus, eademque diſpoſitio, ijdemque humores, ex quibus ſomnia educuntur: interdùm tamen in diuerſis hominibus accidunt eadem ſomnia, quia eorum diſpoſitiones, vel habitus, vel affectus, vel humores ſunt ijdem.

Quæres, cur potiùs hominibus ignaris, quàm ſapientibus ſomnia contingant?

Reſpondeo, quia homines ignari habent mentem quietam, & omni cogitatione vacuam, ſapientes verò habent animum cogitationibus plenum, & continuæ ſpeculationi ſunt dediti, ideòque animus eorum non otiatur, vt ſomnia videant.

Dices, ſi ſomnia hominibus immitterentur à Deo, maximè immitterentur ſapientibus, bonis, & prudentibus; quibus, vt ſibi ſimilibus, Deus gaudet; ſed ſomnia potius immittuntur fatuis; melancholicis, & eſtaticis; ergò non immittuntur à Deo.

Reſpondeo negando ſequelam, quia licet ſomnia immittantur à Deo, tàm bonis, quàm malis, tàm ſapientibus, quàm ignaris, non tamen eſt neceſſarium, vt immittantur ſemper ſapientibus: aliquando enim immittuntur etiam viris peſſimis, in quibus indicant exterminationem eorum. Vt legitur de Nabuchodonoſor, Baltaſare Rege Babiloniæ, multiſque alijs. Fatui autem, & eſtatici rectè ſomniant, & futura prædicunt; quia eorum mens, inquit Ariſtoteles, eſt ſilentia, & diſerta, ac

cogi-

cogitationibus proprijs vacua; vndè cùm proprij motus non inſeſtent eorum ſenſus extraneos, maximè ſentiunt, & eos, qui extrinſecus generantur, facilè percipiunt; atque prædicunt.

Melancholici, vt inquit Ariſtoteles, ſunt rectè ſomniantes, & ad diuinandum, & coniecturandum aptiſſimi, non ſolùm in ſomno, ſed etiam in vigilia, propter multas cauſas. Primò, quia habent imaginationem firmam, & non celeriter perturbabilem. Secundò propter vehementem impreſſionem phantaſmatum non facile repellitur motus illorum à motu ſenſibilium. Tertio propter multitudinem, & rectum ordinem phantaſmatum non diſtrahuntur à motu ſenſuum externorum; Ariſtotiles melancholicos comparat cum venatoribus, ſicuti venatores, inquit, habentes telum, vt illud in feram, proijciant, de longè benè coniecturant: viſa enim fera etiam procul propter bonum ordinem teli, & aliorum, quæ pro capienda fera ordinata ſunt, quaſi poſſident feram, ac manu tollunt: ita melancholici efficacia animi rapida quaſi anticipant futura, & propter permutationem facilem, quàm habent ad omnia conſequentia vno ſigno apprehenſo, citò illi imaginantur, quod illi ſigno eſt adhærens, & conſequens.

Quæres; an ſomniantes exercere poſſint operationes vigilantium?

Reſpondeo, non omnes, ſed multas operationes exercere poſſunt, vt eſt locutio, ambulatio, multæque aliæ, quod docet Ariſtoteles de ſomnijs cap. tertio, & demoſtrat quotidiana experientia in ſomnijs quoſdam homines loqui, moueri, ſurgere, & induere ſe veſtibus, aperire ianuam, ambulare, aliaſque multas operationes videntur efficere. Sed difficultas eſt de modo, quo iſtæ operationes fiant; prò qua. Sciendum eſt, phantaſiam, efficaciter repræſentando cogitatiuæ ſpeciem alicuius rei faciendæ, E.G. rei iraſcibilis; vt certare contra inimicum, illam mouere, quæ cogitatiua iudicat eſſe faciendum id, quod ſibi propoſitum à phantaſia, quo iudicio excitatur virtus motiua ad operandum, mouendo inſtrumento motus; Vndè ſurgit ſomnians, ambulat, currit ad certandum cum inimico, eo-

dem

dem modo philoſophandum de quocumque alio caſu, & operatione à ſomniantibus facta.

Quæres, cur non omnes ſomniantes ita moueantur? Reſpondeo, quia non omnes habent adeò vehementem imaginationem, quæ primò requiritur ad tales operationes. Secundò requiritur fortis imaginatio rei ante ſomnum habita. Tertio crebra meditatio illius rei, quæ omnia non reperiuntur in omnibus hominibus.

Quæres, cur huiuſmodi homines recordantur ſomniorum, & non operationum?

Reſpondeo, rationem eſſe; quia ad hoc, vt aliquis alicuius rei recordetur, debet habere ſpeciem illius rei in memoria; quæ ſpecies, vt recipiatur in memoria, priùs tranſire debet per ſenſus externos, & ſenſum communem, ſed quia in ſomno ſenſus externi ſunt ligati, operationes illæ per eos tranſire non poſſunt, neque in memoria recipi; ideò earum non recordantur.

Dices cum Card.8. de variet. cap 43. taliter ſomniantes ſunt ſemiuigilantes; ergò ſpecies illarum operationum per ſenſus externos tranſire poſſunt, & in memoria recipi.

Reſpondeo tranſeat antecedens, (licèt ſit falſum, quia à tanto rumore, & actione, quàm exercent, excitarentur à ſomno;) taliter enim ſomniantes, cum eſſent ſemiuigilantes, & eorum ſenſus externi ſemiligati, ſpecies illarum operationum, vel percipere non poſſent; vel ſi perciperent adeò debiles, vt à ſequenti ſomno facilè deleri poſſent, ideò illarum operationum non recordantur. Recordantur autem ſomniorum; quia, cùm ſomnia ſint operationes ſenſuum internorum, poſſunt relinquere ſuas ſpecies in memoria ſine ſenſibus externis.

† †
†

ARTI-

ARTICVLVS II.

De diuinatione ſomniorum.

SOmnium propriè dicitur illud, quod figuris tegitur, & ambigijs velatur, quod ſine interpretatione intelligi non poteſt, quæ interpretatio diuinatio dici ſolet.

Diuinatio ſomniorum maximè viguit apud antiquos tàm Ethnicos, quàm viros ſapientiſſimos, quorum ſomniorum multa exempla hiſtorici inſcriptis reliquerunt, vt fuerunt ſomnium matris Neronis, quæ vtero gerens vidit in ſomnijs ſe parere Draconem, qui conuerſus ad eam, mordens ipſam, euiſcerabat; cui interpres dixit ſomnium præſagire eam fore parituram magnum virum, qui eam eſſet perneccaturus. Matris Priami, quæ cùm de Paride grauida eſſet vidit, in ſomno parere ſe ardentem facem. Somnium matris Dionyſij Siracuſanorum tyranni. Tarquinij Superbi. Ciri Perſarum regis: Ciceronis de eius exilio; Socratis de eius morte; Alexandri regis Macedoniæ, innumeraque alia, quæ Gentiles hiſtorici ſcribunt. Ex ſacris literis etiam habetur: ſomnium Pharaonis à Ioſeph, & Baldaſaris regis Babylonis à Daniele interpretata ſunt. Iob vir vita, & ſanctitate præcipuus ità de ſomnijs inquit; per ſomnium in viſione quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc Deus aperit aures virorum, & erudiens eos, inſtruit diſciplinam; omnium etiam gentium conſenſus videtur ſomnijs fauere; ſed quia varia ſunt, eorumque modi interpretandi variæ oriuntur dubitationes.

Dubitatur, quæ ſomnia ſint interpretanda, & quibus liceat ea interpretare. Prò reſponſione ad primam dubitationem: Sciendum eſt, ſomnia per Ariſtotelem ſunt triplicis generis, alia inquit, ſunt ſigna, alia cauſæ, & alia accidentia, ſeù caſualia. Somnia, quæ ſunt ſigna; alia inducunt ad cognitionem eorum, quæ animæ accidunt; vt ſunt ſomnia, quibus E. G. philoſophis videtur diſputare, vel aliam functionem philoſophicam efficere.

cere. Alia eorum, quæ corpori accidunt; vt cùm quis ſomniat comedere mel, ſomnium ſignificat influxum ſanguinis, vel pituitæ ad organum guſtus. Somnia, quæ cauſæ dicuntur, ſunt illa, quibus in agendo dirigimur, vt cùm alicui Oratori, vel Poetæ E. G. noctu dormienti in ſomnijs videtur tali, vel tali modo conſtruere ſuum Poema, manè ex petrectus, recordatur illlus ſomnij, & ſecundum illam methodum conſtruit ſuum poema, in quo ſenſu ſomnium dicitur cauſa poematis. Similiter ſi aliquis faber murarius ſomniat tali modo conſtruendam eſſe domum; manè ſurgens ædificat domum iuxtà repræſentationem ſomnij; ſomnium dicitur cauſa ædificationis. Somnia, quæ ſunt accidentia, ſeù caſualia dicuntur illa, quæ ſignificant aliquod contingenter, euenire poteſt, vt, cum aliquis ſomniat pluere, ſi pluuia adueniat, erit omninò caſu, & per accidens.

Sciendum ſecundò, cauſam per ſe habere conexionem cum ſuo effectu, & effectus cum ſua cauſa; cauſas verò, & effectus caſuales, & per accidens nullam habere connexionem. Vndè in cauſis, & effectibus per ſe ex cognitione vnius poteſt ferri cognitio alterius; in cauſis verò, & effectibus caſualibus ex cognitione vnius duci non poteſt ad cognitionem alterius; his adnotatis,

Dico, interpræetationem ſomniorum, quorum cauſæ ſunt naturales, vel animales in nobis exiſtentes, non ſolùm eſſe vtilem, ſed etiam neceſſariam.

Probatur, quia ſomnia indicant bonum, vel malum euenturum à cauſis in nobis exiſtentibus; ergò neceſſaria eſt cognitio euenturi, quod ſi ſit bonum aſſequatur, ſi malum euitetur: ſed non poteſt haberi cognitio euenturi ſine interpretatione ſomniorum; ergò interpretatio ſomniorum à cauſis in nobis exiſtentibus, non ſolùm eſt vtilis, ſed etiam neceſſaria. Antecedens patet, quia omne ſignum inducit ad cognitionem illius, cuius eſt ſignum; Conſequentia eſt certa, ſubſumptum probatur, quia ſomnium (vt ſuperiùs dictum eſt) figuris tegitur, & ambigijs velatur; ergò indiget interpretatione, vt eius ſignificatum percipiatur. De alijs ſomniis paulò inferiùs dicemus.

Quæres

Quæres quales eſſe debeant ſomniorum interpretes?

Reſpondeo, philoſophi communiter dicunt, quòd, vt aliquis ſit ſomniorum interpres, tres conditiones habere debeat. Prima eſt, vt ſit temperamenti melancholici, & abſtractus à negotijs exterioribus, diffugiens comercia vulgaria.

Ratio eſt, quia ſolitudo vitat diſtractiones mentis, melancholia ſua frigiditate, & ſiccitate cogitationes firmas reddit. Secunda conditio eſt; vt ſit temperati, & ſobrij victus, & mundus à ſalacitate.

Ratio eſt, quia gula, & luxuria hominem beſtiæ aſſimilant. Tertia conditio eſt, vt ſit verax, & non aſſuetus mendacijs. Ratio eſt, quia conſuetus mentiri, rariſſimè ſomnia vera ſomniat, licet iſtæ conditiones requirantur ad ſomniorum interpretem; non tamen ſufficiunt ad interpretandum quodcumq; ſomnium propterea.

Dico, interpretem ſomniorum, qui à cauſis in nobis exiſtentibus excitantur, debere eſſe etiam philoſophum, & peritiſſimũ Medicum. Probatur, ſomnia pertinent ad artem medicam præſeruatiuam; ergò eorum interpres debet eſſe Medicus. Probatur antecedens, ſomnia inducũt ad cognitionem humoris quãtitate, vel qualitate peccantis, ex quo prouenire poſſunt diuerſi morbi, niſi corpus ſomniantis præſeruetur; quod expreſsè docet Hippo. lib. de ſomnijs; vbi non ſolùm explicat diuinationem ſomniorum, ſed etiam aſſignat modum, corpus ſomniantis varijs exemplis, atq; remedijs præſeruandi; ergò ſomnia à cauſa naturali, vel animali in nobis exiſtentibus peruenientia, pertinent ad artem medicam præſeruatiuam, eorumq; interpres debet eſſe Medicus.

Dices, ſomnia non eſſe vera ſigna, cùm aliquandò non eueniãt res per ſomnium ſignificatæ: nam aliquandò aliquis videt ſe poſitum in fornace, & tamen non euenit febris, quæ eſt ſignificatum huius ſomnij; ergò ſomnia non ſunt vera ſigna.

Reſpondeo negando antecedens, quia neq; cætera ſigna ſempèr infallibiliter ſignificant; aliquando enim vrina eſt ſignum mortis, & tamen non ſequitur mors; corona circa lunam ventum, & pluuiam ſignificat, & tamen ſemper non ità euenit; quia

ſi aduenìat aliud ſignum fortius, primum deletur: præterea ex vno ſolo ſigno, infallibiliter rem ſignificatã affirmare non poſſumus, niſi in neceſſarijs; ſed ex pluribus eiuſdem rationis, ſicuti ex vna hirundine ver fieri non poteſt, vt dicit prouerbium.

Quoad regulas, & modos ſomnia interpretandi, multi tùm ex antiquis tùm ex recẽtioribus philoſ. ac Medicis longam tractationem fecerunt. Inter antiquos Hyp. Ariſt. Auer. multiq; alij: Inter recentiores Arnaldus, Raſes, Niphus, Card. multiq; alij; nos verò iuxtà noſtrum breuè inſtitutum quantum ad tyronum introductionem in artem medicam attinet, breuitèr agemus.

Sciendum eſt, quatuor humores in noſtris corporibus exiſtentes, nempè ſanguinem, bilem, pituitam, & melancholiam habere ſimilitudinem cum quatuor elementis, eorumq; proprietatibus gaudere; ſanguis enim habet ſimilitudinem cum aere, eſt leuis, calidus, & humidus, vt aer. Bilis eſt leuiſſima, calida, & ſicca, ad inſtar ignis. Pituita eſt grauis, frigida, & humida adinſtar aquæ. Melancholia eſt pituitâ grauior, frigida, & ſicca ad ſimilitudinem terræ. Vndè ſanguis dici ſolet aereus, bilis ignea, pituita aquea, melancholia terrea.

Pro cognitione ſomniorum, quæ ſanguinis ſunt propria, eorumq; interpretatione. Sciendum eſt, quòd ſanguis ſecundum ſubſtantiam eſt aereus, ſecundũ quantitatem medius inter craſſum, & tenuè, ſecundum qualitatem, calidus, & humidus, ſaporis dulcis, ſuauis; coloris ruber, ſecundum motum celer potius ad regionem mediam. Somnia ſanguinem indicantia proportionari debent cum proprietatibus ſanguinis. Vndè ſomnia ſanguini conuenientia ſunt aſcendere, ſuperuolare, deguſtare dulcia, vel ſuauia, deambulare per loca amœna, videre nuptias, rubra, ſanguinẽ vel ſanguinea, vel alia ſecundũ proprietates ſanguinis, quę ſomnia, niſi ſomnians bono regimine regatur, aut aliquod pollentius interueniat morbos ſanguineos prænuntiant: præterea ſi illud, quod ſomnians videt, tangat totum eius corpus, morbum vniuerſalem, ideſt totius corporis prænuntiat, vt eſt febris, & alij morbi, ſi aliquam eius partem, particularem, vt eſt phlegmone, &c.

Arnal-

Arnaldus enarrat, vidiſſe hominem, qui in ſomnijs videbat quendam iuuenem, qui eius maxillam ſub aure lapide pungenti pungebat, hoc cùm ſæpè vidiſſet, demùm poſt aurem apoſtema illi genitum fuit.

Pro cognitione ſomniorum, quæ humori bilioſo propria sũt, eorumq; interpretatione. Sciendũ eſt, bilis ſecundum ſubſtantiam eſt ignea, ſecundum quantitatem rara, ſecundum qualitatem calida, & ſicca, ſaporis amara, leuis, celerrima, volatilis, coloris citrina. Vndè ſomnia bili propria ſunt, videre ignem, vel ignea, prunas, calefieri, comburi, bella, rixas, effuſionem ſanguinis, uolare ad ſublimem locum, ſimilitèr aſcendere, cæteraq; omnia, quę bilis proprietatibus proportionatur. Si aliquis videat vnum aliquod ex ſupradictis ſomnijs, illudq; frequentauerit videre, niſi præſeruetur, in morbum bilioſum incidit; & ſi videat rem viſam totum eius corpus tangere, morbus erit uniuerſalis, ideſt totius corporis; ſi aliquam tantum eius partem, erit particularis. Narrat Niphus lib. de ſomn. interp. ſuum ſocium vidiſſe in ſomnijs ambulare per prunas, totumq; calefieri, quem paulo poſt febris cauſon accepit. Idem dicit vidiſſe hominem, qui omni ferè nocte videbat faciem ſuam vrticibus moleſtari, qui demùm hereſipelate laborauit.

Pro cognitione ſomniorum, quæ pituitæ propria ſunt, eorumque interpretatione. Sciendum eſt; pituita ſecundum ſubſtantiam aquea eſt, ſecundum quantitatem craſſa, ſecundum qualitatem frigida, & humida, coloris alba, ſaporis ſipida, & alia dulcis, aliaque ſalſa; ſecundum motum ſegnis, pigra, deorſùm tendens, &c. Somnia pituitam indicantia ſunt videre pluuias, niuem, grandinem, glaciem, lac, comedere dulcia, ſipida, vel ſalſa: madefieri, natare in aqua fluminis, maris, vel cuiuſcũque alterius, volare deorſùm, deſcendere cæteraque omnia, quæ proprietatibus pituitæ proportionantur: quæ ſomnia ſi perſeuerauerint, & ſomnians non præſeruetur, morbum pituitoſum prænuntiant, qui erit vniuerſalis totius corporis, ſi ſomnians videat rem viſam totum ſe tangere, ſi verò aliquam tantùm partem, particularis erit. Quidam vidit, (narrat Niphus loco ſupra citato,) ſibi humeros à pluuia madefieri, experrectus reperit ad

nia bona, ac fœlicia, prauorum praua, & in fœlicia, ſtudioſorum ſtudioſa, & ſic interpres coniecturare poteſt ſignificatum ſomnij ex ſcientia, vel arte; virtute, vel vitio ſomniantis.

Somnia ab extrinſeco prouenientia ſunt cognitu difficillima; an ſint Diuina, an verò Dœmoniaca; vndè eorum interpretatio magno periculo errandi non vacat: dœmon enim aliquandò ad decipiendos homines immittit aliquod ſomniũ, quod apparet euidẽns, eſt tamen fallacijs plenum: propterea ad fugiendam deceptionem, recurrendum ad ſententiam theologorum, qui dicunt, ſomniorum interpretationem eſſe reuelationem, & donum diuinum, quod non vnicuique, ſed uiris ſanctis, & diuina ſapientia ſapientibus conceſſum, ut fuit Ioſeph apud Pharaonem, & Daniel apud Regem Caldeorum, qui diuina ſapientia afflati, somnia interpretabantur. Somnia ab intrinſeco prounientia philoſophi, & medici periti, ac benè ſcientes interpretare poſſunt, eorumque euentum prognoſticare ſine periculo, ſi ſint verè periti, ac benè ſcientes.

DISPVTATIO VIII.

De facultate aſtimatiua, & memoria, & ſcientijs ad eas pertinentibus.

FAcultas æſtimatiua eſt tertius ſenſus internus, qui ad phantaſiam ſequitur, ſicuti, & memoria ad æſtimatiuam, ideò poſt phantaſiam de æſtimatiua, deinde de memoria agendum.

QVAE-

QVAESTIO I.

De facultate æſtimatiua.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex ſit facultas Aeſtimatiua.

FAcultas æſtimatiua eſt potentia, quæ ex ſpeciebus ſenſatis intentiones non ſenſatas eliciens, decernit conuenientia à non conuenientibus; ut Ouis oculis videns lupum, & per ſensum communem eum cognoſcens, per imaginatiuam apprehendit, & per æſtimatiuam diſcernit eum eſſe inimicum.

Duplex eſt potentia æſtimatiua, vna quæ reperitur in brutis animalibus, & hæc dicitur æſtimatiua. Altera, quæ reperitur in homine, & hæc dicitur cogitatiua. Differunt iſtæ duæ potentiæ inter ſe; quia exiſtimatiua, quæ eſt in brutis, cognoſcit illas intentiones non ſensatas inſtinctu quodam naturali, ſibi à natura indito ſine vllo diſcurſu, ſic ouis E. G. inſtinctu naturali cognoſcit inimicitiam lupi, hunc cibum eſſe bonum, & ſibi conuenientem, illum malum, & ſibi inconuenientem. Auis cognoſcit hanc paleam eſſe ſibi conuenientem ad conſtruendum nidum, &c.

Cogitatiua in homine cognoſcit intentiones non senſatas, cum aliquo diſcurſu syllogiſtico; ita enim diſcurit; hic eſt mihi inimicus; hic eſt lupus; ergò lupus eſt mihi inimicus. hic homo eſt mihi amicus; hic homo eſt doctus; ergò hic doctus eſt mihi amicus; unde iſta potentia eſt nobilior alijs omnibus ſenſibus, undè dicta eſt ratio, particularis tamen, ſicuti intellectus dicitur ratio uniuerſalis, vt agentes de anima rationali explicabimus.

Ex dictis colligitur neceſſitas huius ſenſus, ſeu potentiæ: elicit

cit enim intentiones non ſenſatas, quæ à nullo alio ſenſu percipi poſſunt, quæ intentiones ſunt amicitia, & inimicitia. Sine hoc ſenſu animalia vtilia perſequi non poſſunt, neque noxia fugere: nam ouis non fugeret lupum, non lactaret agnum vt filium; peruerteretur totus ordo naturæ, periret omnis ſocietas, tàm inter bruta animalia, quàm inter homines.

Quoad ſubiectum, in quo reſidet cogitatiua in homine, & exiſtimatiua in Brutis. Dico, eſſe cellulam illam, ſeù ventriculum in ſummitate cerebri in medio capitis. Ratio eſt primò; quatuor ſunt ventriculi cerebri, in duobus anterioribus reſident ſenſus communis, & phantaſia, vt ſuperiùs probatum eſt; in poſteriori reſidet memoria; ergò remanet, vt reſideat in tertio ventriculo in medio capitis. Secundò, quia rectus ordo naturæ poſtulat, vt exiſtat in ſummitate capitis, nàm ſpecies rerum à ſenſibus externis feruntur ad ſenſum communem, & indè ad phantaſiam, & à phantaſia ad æſtimatiuam ſeù cogitatiuam; ergò iuxtà rectum ordinem naturæ in altiori loco, & phantaſiæ proximo collocanda, vt ſpecies rerum à phantaſia faciliùs recipiat. Tertiò cogitatiua eſt alijs ſenſibus nobilior, vt ſuperiùs probatum eſt; ergò in ſublimiori loco collocanda. Nequè dicas quòd ventriculi cerebri à natura inſtituti ſunt ad elaborationē ſpirituum, quia ſpiritus elaborantur in rete mirabili, vt ſuperiùs fusè probatum eſt.

Quæres, vulgus, & etiam ſapientes nomine ingenij, quamnam ex iſtis tribus facultatibus, phantaſiam ne, an cogitatiuam, an verò memoriam intelligant?

Reſpondeo, quidam dicunt, illum habere bonum ingenium, qui habet bonam imaginationem, ſeù phantaſiam. Quidam alij dicunt, illum habere bonum ingenium, qui habet ſimul bonam cogitatiuam, & ſimul bonam imaginationem. Quidam alij dicunt, habentes bonam memoriam habere bonum ingenium. Sed nulla ex iſtis ſententijs eſt vera, vt infra fusè probabimus. Dico igitur nomine ingenij intelligi facultatem cogitatiuam illuminatam lumine intellectus, & ſempèr nos loquentes de ingenio intelligimus ipſam, & ſolam facultatem cogitatiuam.

ARTI-

ARTICVLVS II.

De temperamento, ad bonum ingenium requiſito.

SCiendum eſt, ad bonum ingenium requiri primò, quòd ſubſtantia cerebri ſit ſubtilis, ac tenuis; quod patet ex Galeno lib. Artis paruæ cap. 12. vbi ait: ingenium ſubſtantiam cerebri tenuem, & ſubtilem indicat; tarditas verò ingenij craſſam. Ratio huius rei eſt; quia ſubſtantia tenuis cerebri, tenues generat ſpiritus; Craſſa verò craſſos. Spiritus quidem craſſi tardi, & obſcuri ſunt, & conſequenter ad ingenium inepti: quò enim ſpiritus ſubtiliores ſunt, eò perſpicacius eſt ingenium, nàm ſpiritus ſubtiles per tenuem ſubſtantiam cerebri facilè, & citò ab vno ſenſu ad alium tranſeunt, & conſequenter facultates citò, & benè operantur. Quoad temperamentum cerebri, ingenio conueniens, ac proportionatum magna controuerſia eſt, cùm quidam volunt, quòd ſit calidum, quidam frigidum, & quidam calidum, & ſiccum, & quidam humidum, prò qua difficultate, & controuerſia.

Dico primò, temperamentum humidum cerebri ad bonum ingenium non eſſe idoneum. Probatur, quia cerebrum humidum reddit hominem ſtupidum, & inſenſatum, quod patet in pueris, qui propter nimiam humiditatem cerebri, ferè ſtupidi, & inſenſati ſunt. Sues, cùm ſint omnibus animalibus humidiores, omnibus etiam animalibus inſenſati, & ſtupidiores ſunt: quod patet in omnibus alijs cerebrum humidum habentibus.

Dico ſecundò, temperamentum cerebri ſiccum, maximè conferre ad ingenium. Probatur ex Iſaia Propheta, qui hoc demonſtrare volens, inquit, vexationem præſtare ingenium, quia per vexationem abſumitur humiditas, non ſolùm cerebri, ſed etiam totius corporis & introducitur ſiccitas, quæ hominem ingenioſum reddit. Proptereà crapulis, ludis, & lætitijs dediti,

diti, propter nimiam humiditatem ab illis acquiſitam, ignari inſenſati, & ſtupidi redduntur: vndè multi, vt quotidiana experientia docet, poſt laborem, & vexationem, ob diuitias, vel dignitatem acquiſitam, otio, & delitijs dediti, ex ingenioſis ignari, & ſtupidi redduntur, & è contrà multi ex diuitijs ad paupertatem, ex otio ad laborem dediti, ex ignaris ingenioſi redditi ſunt.

Quoniam ſiccitas ſemper reperiatur coniuncta cum frigore, vel cum calore, videndum eſt, an temperamentum ad bonum ingenium requiſitum, ſit calidum, & ſiccum, an verò frigidum, & ſiccum.

Dico, temperamentum calidum, & ſiccum cerebri non eſſe aptum ad bonum ingenium. Probatur quia calor, & ſiccitas abſumunt ſubtiliores partes cerebri, & remanent craſſiores, ſed ſubtilitas ſubſtantiæ cerebri, vt ſuprà probauimus, confert ad bonum ingenium, & craſſitudo impedit; ergò temperamentum calidum, & ſiccum ad bonum ingenium ineptum eſt. Remanet igitur temperamentum frigidum, & ſiccum; ſed quia temperamentum frigidum, & ſiccum eſt temperamentum melancholicum, dicendum temperamentum melancholicum conferre ad ingenium.

Dico, temperamentum melancholicum eſſe neceſſarium ad bonum ingenium. Probatur ex Ariſtotele qui ſect. 3. prob. primò ait: omnes homines vniuerſi, magno ingenio præditos fuiſſe melancholicos.

Quoniam melancholia ſit multiplex, dubitatur, quænam ſit illa, quæ eſt ad bonum ingenium neceſſaria; Prò qua dubitatione ſciendum eſt, duplicem eſſe melancholiam, vnam naturalem, & alteram præternaturalem. Naturalis, alia eſt alimentaria, quæ eſt nigrior, & frigidior pars maſſæ ſanguineæ; altera excrementitia, quæ à chimo in jecore ſegregata transfertur ad lienem. Melancholia preternaturalis propriè eſt atrabilis, quæ aliquandò à bile excrementitia, ideſt à porracea, vitellina, vel eruginoſa genita eſt, & hæc eſt nimis acris, frigida, & ſicca, pernitioſa, & ita maligna, vt partem, cui ad hæret erodat, atque vlceret. Aliquando generatur ex melancholia alimenta-

ria, vel ab excrementitia vtili; ſed hæc etiam eſt frigida, & ſicca, nimis tamen praua, & perniitioſa, quàm ſuperior: neutra earum eſt ad ingenium idonea, immò aliquando, faciunt hominem ſtupidum, aliquandò furioſum; & aliquandò delirantem, ſecundùm maiorem, vel minorem eius quantitatem, atque malam qualitatem. Aliquandò atrabilis generatur ex ſubtiliori ſanguine à calore naturali, & aliquando præternaturali, quæ atrabilis, ſeù melancholia eſt alijs tenuior, magis lucida, & minus frigida, & hæc melancholia eſt ad ingenium neceſſariò requiſita.

Sciendum tamen eſt; quando iſta melancholia in qualitate, vel in quantitate mediocritatem excedit, facit eam poſſidentes delirantes, ac maniacos: propterea Seneca lib. de animi tranquillitate propè finem ait: nullum magnum ingenium ſinè admixtione dementiæ. Et ratio eſt, quia per nimiam, & continuam ſpeculationem abſumuntur ſpiritus, & ſubtiliores partes cerebri, & etiam partes ſubtiliores, dictæ atrabilis ad ingenium neceſſariæ, manentibus craſſioribus, & frigidioribus, quæ perniitioſæ euadunt, & maniam producunt.

QVAESTIO II.

De Memoria, & Reminiſcentia.

ARTICVLVS I.

Quid ſit memoria, eiuſque temperamentum.

DVplex eſt memoria, alia ſenſitiua, & alia intellectiua: ſenſitiua eſt materialis, & reperitur in homine, & animalibus brutis. Intellectiua eſt ſpiritualis, quæ reperitur ſolùm in animalibus rationalibus: relicta memoria intellectiua, quam explicabimus agentes de anima rationali, hic ſolùm agemus de ſenſitiua; quæ ſic definiri ſolet: Memoria eſt, quæ rerum ſpecies,

ſpecies, & notiones, vel conſeruat, vel ex præterito reuocat, hæc definitio comprehendit, tàm memoriam ſtrictè ſumptam, quàm reminiſcentiam. Memoria ſola ſtrictè ſumpta ſic definiri poteſt. Memoria eſt potentia quæ ſpecies rerum in ſe impreſſas conſeruat, & de hac ſolùm hic eſt ſermo.

Ex hac definitione infertur, memoriam non eſſe potentiam actiuam, ſed merè paſſiuam, cùm eius munus nihil aliud ſit, quàm recipere in ſe ſpecies rerum, eaſque conſeruare, excitare enim ſpecies à memoria non eſt actus, ſeù operatio memoriæ, ſed imaginationis, vel intellectus elicientis ſpecies à memoria, in qua conſeruantur. Obiectum memoriæ ſunt omnia illa, quæ priùs à phantaſia ſunt percepta, aut ficta, deindè in memoria impreſſa: propterea obiectum memoriæ non eſt aliquod præſens, neque futurum, ſed præteritum; præſentium enim eſt ſenſus, futurorum ſpes, præteritorum memoria.

Quoad ſubiectum, in quo memoria reſidet, eſt quartus ventriculus in poſteriori parte cerebri collocatus, vt ſæpè diximus. Sciendum eſt, bonam memoriam ſpecies rerum in ſe receptas cum quadam diſtinctione, & mirabili ordine conſeruare, ita vt eas exigitas ſtatim refert, de talem memoriam habentibus, mirabilia enarrant hiſtorici. Cirrus, inquiunt, milites omnes ſui exercitus proprio nomine vocabat; Cæſar legebat, & ſimul militum quærelas audiebat, & tres, aut quatuor litteras dictare conſueuerit, Seneca duo millia verſuum ſemel auditos recitauit; Mitridates callebat duodecim linguas; Muretus teſtatur, quendam iuuenem Corſum tria millia nomina Græca, Latina, Gallica, & Barbara, ſignificata, & non ſignificata, ſemel audita eodem planè ordine, quo dicta fuerunt, recitauiſſe.

Prò intelligentia bonæ memoriæ. Sciendum eſt, triplicem eſſe gradum bonæ memoriæ. Primus eſt, quo memoria facile ſpecies rerum percipit, illaſque benè conſeruat. Secundus eſt, quo memoria difficilè percipit ſpecies rerum, illaſque firmiter conſeruat. Tertius eſt, quo memoria faciliùs, & citiùs in ſe ſpecies rerum concipit, eaſque fideliter conſeruat.

Sciendum præterea eſt, duplicem eſſe humiditatem, vnam aqueam, & alteram aeream, humiditas aerea eſt pinguis, vi-

ſcoſa, & firmior, quæ difficiliùs abſumitur à calore: humiditas aquea debilis, & facilè corruptibilis eſt, vt diximus agentes de vita. Habentes cerebrum humidum humiditate aquea facilè percipiunt, & citò obliuiſcuntur; habentes verò cerebrum humidum humiditate aerea citius percipiunt, & apprehensa diù, & fideliter conſeruant; illi verò qui difficiliùs percipiunt, & tamen benè retinent, habent temperamentum cerebri paulo ſiccius, non tamen ſicciſſimum, quia nihil perciperent, ideoque difficiliùs ſpecies rerum imprimuntur in memoria; & totum hoc patet in cera, & alijs materijs, quæ rerum ſpecies in ſe recipere ſolent; dùm enim cera eſt nimis ſicca, species a ſigillo, vel imprimi non poteſt, vel ſi imprimatur, difficilè imprimitur, & obscurè repræsentatur; ſi cera ſit nimis humida, ſimiliter, vel non recipit in se speciem, vel ſi recipiat, illam non repræsentat: itaque cerebrum eſſe debet mediocriter humidum humiditate aerea, ad hoc vt habeatur bona memoria.

Colligitur ex dictis, temperamentum, ad bonam memoriam requiſitum eſſe humidum humiditate aerea non in exceſſu, sed mediocre. Probatur, quia quò magis ad ſiccitatem vergit homo, eò minus memor, & magis ingeniosus eſt; sed quò magis ad senectutem vergit, minuitur humiditas, & crescit ſiccitas; ergò memoria humiditate, & ingenium ſiccitate fouentur.

Confirmatur hoc ex Ariſtotele lib. de memoria, & reminiscentia vbi ait: in paruulo, & ſene memoriam prauam, & fragilem eſſe, in adolescentibus, & iuuenibus firmiorem; quia in paruulo, inquit, phantasmata manere non poſſunt, & in sene imprimi nequeunt.

Sigillum suam figuram influidi materia imprimere non poteſt, neque in ſicca; ergò in mediocri humiditate aerea conſiſtit bona memoria.

Probatur prætereà exemplo habitantium frigidas Regiones, vt sunt Germani, Britani, Poloni, & alij, qui habent magnam memoriam, & nullum ingenium. Quòd nullum habeant ingenium; Probatur ex Ariſtotele sec. 14. Probl. 15. vbi ait habitantes Regiones frigidas non valere ingenio, sed eſſe ad-

modùm

modum ſimiles vinolentis, cuius rationem reddit, quia ex nimio externo frigore, inquit, nimis calidi, & humidi euadunt; nimia enim frigiditas concentrat calorem, qui concentratus plus iuſto cerebrum humectat. Prætereà, quòd ſint calidi, & humidi. Probatur, quia in habitudine corporis ſunt magni, in colore albicantes, carnem mollem, & capillos coloris aurei habent; ſed iſta omnia ſunt effectus temperamenti humidi; ergò ſunt temperamenti humidi. Probatur minor; quia vt alibi probauimus, membra corporis humidiora faciliùs extenduntur à calore. Color albus, & capilli flaui ſunt ſigna temperamenti humidi, ſimilitèr & mollities carnium, ac capillorum; pueri enim & fœminæ propter pituitam, nempè humiditatem, habent mollitiem carnium; vt agentes de temperamentis probauimus. Remanet ſolùm probandum, quòd habeant bonam memoriam, licet ex ſupradictis hoc pateat; tamen probatur, illi qui ſunt boni grammatici, & linguam latinam perfectiſſimè callent, habẽt bonam memoriam: ſed iſti ſunt optimi grammatici, & linguam latinam perfectiſſimè callent; ergò habent bonam memoriam; grammatica enim, & lingua latina pertinent ad memoriam, vt infra fusè probabimus.

ARTICVLVS II.

De Reminiſcentia.

Reminiſcentia eſt potentia, quæ rerum notiones ex præterito cum aliquo diſcurſu reuocat, ſeu reminiſcentia eſt potentia veſtigans id, quod à memoria receſſit, vt ad memoriã reducat, quod fieri non poteſt ſine aliquo diſcurſu. Ad hoc enim, vt reminiſcentia reducat ad memoriam illud, quod ab ea receſſit, tranſire debet ex aliquo noto in memoria exiſtente, ad inueniendum ignotum; quemadmodum intellectus ex præmiſſis certis, & vniuerſalibus tranſit ad concluſionem.

Pro intelligentia reminiſcentiæ. Sciendum eſt, ad reminiſcendum concurrere phantaſiam, cogitatiuam & memoriam; phan-

phantaſia concurrit repræſentando plures imagines, memoria repræſentando plures notiones ordinatas; cogitatiua componendo intentiones cum imaginibus, à quibus deindè tanquàm ab aliquo noto diſcurrit ad inueniendum illud,quod à memoria receſſit per propoſitiones ſingulares, ſicuti intellectus per propoſitiones uniuerſales. Vndè reminiſcentia eſt de memorabilibus difficilioribus, & in obliuionem mandatis, quæ ſine diſcurſu ad memoriam reduci non poſſunt, de facilioribus verò eſt ſufficiens ſola memoria,ſine vllo diſcursu; vt cùm aliquis eſt memor ſui patris defuncti, vel memor cibi, quem hodiè manè guſtauit. Vndè meminiſſe;& rememiniſſe differunt inter ſe; memiſſe enim eſt memoriæ ſine vllo diſcurſu; rememiniſſe reminiſcentiæ cum aliquo diſcursu.

Sciendum eſt ſecundò, res, quæ educuntur à memoria, vel à reminiscentia habere aliquam conexionem inter se, quæ conexio,aliquando eſt naturalis; vt cùm mater recordatur filij. Aliquandò eſt ex consuetudine vt E. G. quotieſcumque Petrus venit ad me, ſolet ridere. Aliquando eſt accidentalis; vt E.G.mihi ſemper accidit poſt cœnam incidere in febrim.

Dubitatur primò,an omnia animalia habeant memoriam,& reminiſcentiam, pro qua dubitatione.

Dico, omnia animalia perfecta phantaſiam habentia,habere memoriam. Probatur, quia niſi haberent memoriam, seu niſi recordarentur priùs sensatorum, non mouerentur ad loca diſtantia, vt quærant ſibi conuenientia, & diffugiant noxia; Canis non diſtingueret ſuum dominum ab alio homine, neque eſſent diſciplinabilia, ſed multa animalia, vt Canis, Elephans, multaque alia, vt experientia docet, sunt disciplinabilia;ergò habent memoriam,& recordantur.

Dico secundò,animalia bruta non habere reminiscentiam. Probatur, reminiscentia inuoluit discursum; sed bruta animalia discursum habere non poſſunt; ergò neque reminiscentiam.

Quæres an memoria,& reminiscentia ſint potentiæ realiter diſtinctæ? Reſpondeo, ſecundũ id,quod dicunt in recto,nõ diſtinguntur, ſecundũ verò id,quod dicunt in obliquo,diſtingũtur:nã

eadem

eadem memoria quatenùs inuoluit diſcurſum, dicitur reminiſcentia; quatenùs verò nullum inuoluit diſcurſum dicitur memoria. Memoria, & reminiſcentia ſe habent ſicuti exiſtimatiua, quæ reperitur in brutis, & cogitatiua, quæ reperitur in hominibus.

Colligitur ex dictis, habentes bonum ingenium habere bonam reminiscentiam; habentes verò bonam memoriam, habent malam reminiſcentiam. Ratio eſt, quia ad reminiſcendum requiritur cogitatiua, (vt ſuperiùs dixi), quæ eſt ipſum ingenium; ergò quò perfectior eſt cogitatiua, eò perfectior erit reminiſcentia; & è contra, quia ex vno memorabili in memoria exiſtente, tanquàm ab aliquo principio diſcurens facile inuenit illud, quod in obliuionem erat mandatum: habentes verò bonam memoriam non habent bonum ingenium, ideſt bonam cogitatiuam; ergò neque bonam reminiſcentiam.

QVAESTIO III.

De ſcientijs ad imaginatiuam, æſtimatiuam, & memoriam pertinentibus.

AD ſingulas iſtas facultates diuerſæ ſcientiæ pertinent iuxtà diuerſa earum temperamenta, cùm ab vno, eodemq; temperamento diuerſæ ſcientiæ prouenire non poſſint, ideòque ſingulis facultatibus proprias ſcientias aſſignabimus.

ARTI.

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

De Scientijs, ad bonam imaginationem pertinentibus.

AD imaginatiuam pertinet Poetica, Oratoria, Muſica, Architectura, aliæque omnes facultates, quæ conſiſtunt in figura, & harmonia de ſingulis ſeorſim probabimus.

Probatur primò, de Poetica, ad illam facultatem pertinet poetica, quæ requirit temperamentum calidum, & ſiccum; ſed phantaſia, ſeu imaginatiua requirit temperamentum calidum, & ſiccum; ergò ad imaginatiuam pertinet poetica. Maior probatur ex Ariſtotele ſec. 3. probl. 1. qui ait: Marcus Ciuis Syracuſanus, poeta præſtantior erat, dùm mente alienaretur, ob nimium calorem cerebri. Probatur ſecundò experientia, eadem maior; multi ob temperamẽtum humidum cerebri ſunt rudes, ac ignari; amore verò capti ſtatim poetizare incipiunt, politi, atque concinni euadunt, non propter aliam cauſam, niſi quia in amore cerebrum eorum caleſcit: ni enim paſſionis animi, nempè amoris, ſpiritus vitales aſcendunt ad cerebrum, ibique retenti, illud calefaciunt, quo calefacto excitantur figuræ, & materia ad poetizandum neceſſaria.

Probatur quoad oratoriam. Ad perfectum oratorem requiritur primò bona inuentio, vt amplies ſuam orationem, & varia exempla ad rem afferat. Secundò requiritur amplitudo pectoris, magnitudo vocis, celeritas linguæ, & gratia quædam dicendi; ſed iſta omnia prouenniunt à calore: vt agentes de vocibus probauimus, & etiam infrà iterùm explicabimus; ergò Oratoria pertinet ad facultatem, cuius temperamentum eſt calidum, & ſiccum, ideſt ad imaginatiuam, cuius temperamentum eſt calidum, & ſiccum.

Dices, Cicero fuit Orator perfectiſſimus, & tamen fuit ineptus ad poeticam; vt patet ex auctorum teſtimonio, & carmini-

bus ab eo ſcriptis: volens enim ſcribere heroicas ſui conſulatus actiones methodo poetica, ſcripſit adeò diſſonè; ò fortunatam natam me conſule Romam, &c. vt Iuuenalis in Satyra decima ferè cachinnãdo eũm derideat, dicens ſi tali ſuauitate ſuam orationem contra Marc. Anton. recitaſſet Romam non perdidiſſet; ergò vel poetica, vel oratoria non pertinet ad bonam imaginationem.

Reſpondeo, oratores eſſe duplicis generis; quidam enim habent perfectiſſimam linguam, Latinam, Græcam, vel quampiã aliam, optimam grammaticam, bonas, ac abundantes ſententias, non tamen inuentas, ſed collectas, & iſti habent optimam memoriam, vt in ſuo loco probabimus, & malam imaginationem, qualis fuit Cicero. Quidam verò alij non habent adeò perfectam linguam, neque optimam grãmaticam; habent tamen magnam inuentionem conceptuum, & ſententiarum; & iſti habent bonam imaginationem, euadunt boni oratores, & optimi poetæ.

Colligitur ex dictis, quòd magnopere decipiũtur illi, qui audientes vnum aliquẽ prædicatorem, magna cũ eloquentia, gratia, & ornatu dicendi, putant illum eſſe ſapientem, cùm certè ſit ignarus; talis enim homo ingenio caret, præditus ſolumodò eſt imaginatione cum mediocri memoria, quod ex infrà dicendis clariùs patebit.

Confirmatur hoc ex ſacra Scriptura, quæ ait, vbi verba plurima ſunt, ibi frequenter egeſtas.

Probatur, quoad Muſicam, quòd nimirùm pertineat ad bonam imaginationem: muſici enim non habent bonum ingeniũ, neque bonam memoriam; ergò remanet, quòd habeant bonã imaginationem. Probatur antecedens; nullus perfectus muſicus, ſiuè ex antiquis, ſiuè ex recẽſioribus bonus philoſophus euadere potuit, cùm non poſſit afferri exẽplum talis monſtruoſitatis: philoſophia enim pertinet ad ingenium, vt infrà probabimus, neque bonus grammaticus; quià muſici omnes in arte muſica peritiſſimi non ſolùm linguam latinam, & græcam acquirere nequeunt, ſed, vt experientia demonſtrat, vix benè legere ſciunt, & quò in muſica perfectiores ſunt, eò in quacum-

que alia ſcientia ignari ſunt; ergò muſica pertinet ad ſolam imaginationem: Præterea muſica conſiſtit in figura, & harmonia, quæ pertinent ad imaginatiuam; ergò, & ipſa conſiſtit in bona imaginatiua. Simili modo philoſophandum de architectura, arte horologiorum, alijſque facultatibus, quarum perfectio conſiſtit in inuentione.

Peritia benè legendi, ac ſcribendi pertinent ad potentiam imaginatiuam, & ſi aliquis ſit in vna ex iſtis facultatibus optimus, ac peritiſſimus, inferre debemus, eum ingenio omninò carere; ideoque ad ſtudium philoſophiæ ineptum fore. Similes ſunt etiam illi, qui in ludis habent magnam aptitudinem, agilitatem, ac peritiam, quæ ex infrà dicendis clarè patebunt.

Quæres, quæ ſint ſigna cognoſcendi habentes bonam imaginationem? Reſpondeo, primùm eſt, bona imaginatione prædIti non facile rident de qualibet re noua, & admirabili, neque dum ſuas facetias enarrant, ad riſum mouentur; cùm enim illæ facetię ſint illis notæ, non apparent nouę, neq; admirandę, quòd requiritur ad excitandum aliquem ad riſum, vt infrà agentes de affectionibus animi, fusè probabimus; Et è contra illi, qui non habent perfectam imaginationem facillimè ad riſum mouentur à facetijs quantumuis ſipidis, & præcipuè ſanguinei propter humiditatem facilè ad riſum mouentur: quomodò fiat riſus, quæ ſint requiſita, multaque alia ad eum pertinentia, infra loco ſupra citato explicabimus.

Secundum ſignum eſt. Illi, qui perfectè alios immittantur in geſtibus, iocis, vultu, multiſque iocis abundant, habent magnam imaginationem: iſti tamen nulla ſcientia, vel arte proficere poſſunt niſi in agibilibus.

Tertium ſignum eſt, habentes bonam imaginationem, ſunt ornati, venuſti, concinni, ciuiltati ſtudent, veſtimenta, pileum, calceamenta, cæteraque vſui corporis ſeruientia, polita, & ſine vlla prorsùs macula tenent.

Sciendum eſt, bona imaginatione præditi in agilibus optimi ſunt, regulariter loquendo, ferè omnes diuites ſunt; vitioſi tamen, & fraudolenti ſunt. Ratio vndè in iſtis dicta vitia (hiſce temporibus pro virtutibus habita) proueniant, eſt, quia in agibilibus,

bilibus, inquam, optimi ſunt, propter varietatem ſpecierum, quæ in phantaſia à calore illis ſubminiſtrantur; ſunt vitioſi, ob varias inuentiones, & figuras, quæ continuò illis repræſentantur, & quia caliditate abundant, quæ eſt cauſa inſtabilitatis, cùm excitent varias ſpecies vitiorum, eos inſtabiles,& vitioſos reddit. Diuites ſunt; primò, quia in rebus agibilibus optimi ſunt; secundò quia rarò decipiuntur, immò ferè semper ob ſuas eloquentias, & ſimulationes alios decipere ſolent; maximè dediti ſunt acquiſitioni ſubſtantiæ, & honoris.

ARTICVLVS II.

De ſcientijs; ad bonum ingenium pertinentibus.

AD ingenium pertinent Logica, Phyſica, Metaphyſica, aliæque partes philoſophiæ naturalis, Theologia ſcholaſtica, Theorica Medicinæ, multæque aliæ.

Probatur ad illam facultatem pertinent iſtæ ſcientiæ, quæ diſtinguit, diuidit, vnum ex alio infert, demonſtrat paſſiones de ſuo obiecto, reddit rationes de ſuis operationibus, &c. Sed iſta facultas eſt ingenium: ergò pertinent ad ingenium. Minor eſt certa, & etiam patet ex dictis de imaginatione, & ex dicendis de memoria. Maior probatur, iſtæ facultates conſiſtunt in cognitione veritatis, quæ haberi non poteſt ſine diſtinctione, diuiſione, illatione, &c. ergò pertinent ad illam facultatem, quæ eſt principium harum operationum; ſed hæc eſt ingenium; ergò pertinent ad ingenium.

Ad cognoſcendas proprietates habentium bonum ingenium, ſciendum eſt. Bono ingenio pręditi primò non habent bonam vocem, ideſt magnam, & ſonoram. Ratio eſt, quia magnitudo vocis prouenit à temperamento calido, & humido; vt agentes de differentijs vocum, fusè explicauimus: ingenium verò prouenit à temperamento frigido, & ſicco. Secundò non habent celeritatem linguæ. Ratio eſt, quia melancholici abundant magna copia ſaliuæ, vt patet ex eorum frequenti ſpuitione, ex qua

 ſali-

ſaliu: lingua nimis humecta ur, qua humectatione prouenit tarditas linguæ.

Confirmatur hoc ex Ariſtotele, qui ſec. 11. probl. 38. ait: tarditatem linguæ prouenire à temperamento melancholico, & ſec. 1. probl. 53. ait: impedimentum linguæ prouenit à frigiditate, & humiditate in ore exiſtente, cuius remedium affert; paucum vinum bibitum, inquit, & vociferatio, cum linguam calefaciant, frigiditatem, & humiditatem eius abſumant, eam in celeritatem inducunt, & ſec. 11. probl. 35. ait: tarditatem linguæ habentes voce ſummiſſa loqui nequeunt; cùm enim linguæ eorum ob nimiam humiditatem inhæreſcat palato, motu adeò leui facilè ſeparari non poteſt, ideoque maiori vi conantur euellere, & conſequenter altiori voce ſemper loquuntur.

Propter eandem humiditatem linguę pituitoſi loqui neſciũt, & difficilè verba proferunt, ac vocem edunt; irati verò, cùm incaleſcat eorum lingua, & abſumatur eius humiditas, verba benè proferunt, & ſententioſè loquuntur; & è contra billoſi irati loqui nequeunt, quia per iram cerebrum magis incaleſcens, imaginatiuam deprauat, vndè ordo imaginum in phantaſia confunditur, ideòque aliquandò non ſolùm loqui neſciũt; ſed ferè muti remanent; tranſacta verò ira, benè loquuntur.

Sciendum eſt ſecundò, Bono ingenio præditi, ſunt recti, iuſti, non fraudolenti, non vitioſi, ſed omni more, & virtute procliues: ſunt tamen timidi, pauperes, & breuioris vitæ; ſunt timidi, quia ſunt melancholici: timiditas enim eſt effectus melancholiæ; ſunt pauperes, quia in agibilibus non ſunt boni, perpetuò virtutibus incumbunt, & res mundanas, & aliquandò etiam diuinas parui faciunt. Sunt breuioris vitæ primò ob temperamentum melancholicum, ideſt frigidum, & ſiccum, quod eſt oppoſitum vitæ, quæ conſiſtit in calido, & humido: quantò magis enim temperamentum accedit ad frigidum, & ſiccum, eò magis ad mortem appropinquatur; ſecundò, quia ob continuum ſtudium, & ſpeculationem abſumuntur ſpiritus vitales, & animales, & cerebrum ipſum debilitatur. Vndè breuitas vitæ,

Sciendum eſt tertio, aliquandò in iſtis melancholicis boni ingenij

genii atrabilis, ſeù melancholia ad bonum ingenium requiſita incaleſcit, ac inflammatur, quæ calefacta reddit, illam poſſidentes ſuperbos, luxurioſos, malitioſos, ſimulatores, multaque alia vitia illis tribuit; quia inflammata illa melancholia euadit ferè bilis, & temperamentum melancholicum redditur quaſi bilioſum, cui allata vitia conueniunt: quandò verò iſta atrabilis refrigeſcit iterum euadunt viri probi, & omnia vitia in virtutes conuertuntur.

Colligitur ex dictis magno ingenio præditi eleganter, neque loqui, neque ſcribere ſciunt, ſed obſcurè, breuique tali quadam methodo, vt vix ipſi, eorumque ſcripta, ac libri percipi poſſunt, quod patet exemplo virorum maximum ingenium habentium, vt fuit Hip. Plato, Socrates, Ariſtoteles, Scotus, multique alij, quorum opera, ſeù ſcripta eorum ingenium demonſtrant: ſummiſſa quadam, breuique methodo ſine ornamento, & elegantijs ſcripta ſunt, & hoc manifeſtat litera, quã Hypp. regi Perſarum ſcribit. Artaxerſes rex Perſarum accerſiuit Hippocratem, ſi in Perſiam ſe transferre velit polliciens, eum diuitem magnum efficere, & inter primatos ſui Imperii collocare. Cui Hyppocrates tali methodo reſpondet. Perſarum rex accerſiuit ignarus, quod apud me maior eſt ſapientiæ ratio, quàm auri, vale.

Colligitur ſecundò ex dictis, difficilè eſſe, & ferè impoſſibilè habere ſimùl bonam imaginationem, & bonum ingenium, vel bonam memoriam; illi enim, qui habent bonum ingenium, bona memoria, & imaginatione carent. Similiter habentes bonam memoriam, bono ingenio, & bona imaginatione carent: ita & habentes bonam imaginationem, bono ingenio, & bona memoria carent. Ratio huius rei eſt euidens, nam ſicuti eſt impoſſibilè, quòd in eodem ſubiecto reperiantur iſta tria temperamenta, nempè calidum, & ſiccum, quod eſt neceſſarium ad bonam imaginationem; frigidum, & ſiccum ad bonum ingeniũ; calidum, & humidum ad bonam memoriam; ita impoſſibilè eſt, quòd iſtæ tres facultates perfectè reperiantur in eodem homine. Confirmatur ex Ariſtotele; qui lib. 1. de memoria & reminiſcentia ait: qui memoria valent, iudicio, ideſt ingenio carent.

Scien-

Sciendum eſt, licet duæ qualitates, vt eſt E.G. calor, & frigus, humiditas, & ſiccitas in ſummo eſſe non poſſint in eodem ſubiecto; poſſunt tamen eſſe in gradu remiſſo, vt in aqua tepida, calor, & frigus E. G.ità impoſſibilè eſt, quòd ingenium momoria, & imaginatio dentur in ſummo, ſeù perfectè in eodē homine; dari tamen poſſunt in gradu remiſſo, ſeu imperfectè; quò enim magis excedit vna harum facultatum, eò minus altera valet.

Vndè habentes talem miſcellam ingenij ad plures ſcientias incumbunt, modò poeticam, modò oratoriam, & modo philoſophiam, ac theologiam profitentur; nullam tamen perfectè callent; cum perfecta notitia alicuius ſcientiæ, facultatem ſuam à qua prouenit, perfectam requirat.

Prætereà multi plus imaginationis, vel memoriç quàm ingenij habentium. Ariſtotelem, Hypocratem, S.Thomā, vel alios auctores interpratari aggrediuntur, qui ob penuriam ſui ingenij, cùm verū ſenſum, ac intentionem auctoris attingere non poſſint, alienum, ac diuerſum ſenſum inferunt, ab eo, quem interpretes magno ingenio præditi inferunt. Viri ingenioſi legentes interpretes agnoſcunt interpretationem attingentem verū ſenſum auctoris; bona verò imaginatione, vel memoria præditi, ſinè bono ingenio, agnoſcere non poſſunt. Propterea literarum ſtudio incumbentes, alij ad vnam, & veram, alij ad alteram, ac falſam interpretationem vergunt; vndè orta fuit lis, & diſputationes in literarum ſtudijs: ingenioſi enim verum, ignari falſum, licèt pro vero habeant conantur defendere; ſed quia bona memoria præditi, magnitudine vocis, profluuio, ac ornamento verborum; bona imaginatione præditi, varijs ſuis inuentionibus, & cauillationibus in diſputatione videntur ingenioſorum veram opinionem, qui ſubmiſſa, ac humili voce diſcurrunt, opprimere; vnde ignarus vulgò illos ſapientes, iſtos ingenioſos ignaros exiſtimat.

Colligitur ex dictis regula cognoſcendi bonum ingenium habentes; Bono ingenio præditi vocem ſubmiſſam; linguam tardam habent, eloquentiâ carent, eorum ſcripta breui, ac ſummiſſa methodo ſinè elegantijs ſunt, ciuilitati non ſtudent compoſi-

poſiti, ac ornati non ſunt, timidi, & ferè ſemper cogitabundi viuunt.

Quæres, an quemadmodum dantur regulæ ad generandum filium marem, non fœminam; dentur etiam regulæ ad generandum filium boni ingenij, vel bonæ memoriæ, vel bonæ phantaſiæ?

Reſpondeo, nullam puto eſſe difficultatem; poſita enim doctrina Ariſtotelis, Platonis, Hippocratis, & Galeni, aliorumque ſapientum, tanquam certa, nulla remanet dubitatio. Qualis enim eſt cibus, & potus, talis eſt ſanguis; qualis eſt ſanguis, tale eſt ſemen & ſanguis maternus, à natura ad conſtitutionem fœtus inſtitutus, (quia, vt Ariſt. & alij philoſophi docent, ſemen eſt perfectiſſima pars ſanguinis alimentarij, quæ ſupereſt ex conuerſione ſanguinis in ſubſtantiam corporis.) Quale ergò eſt ſemen, & ſanguis maternus, talis eſt conſtitutio ſubſtantiæ cerebri. Si igitur ſanguis maternus; & ſemen ſint calida, & ſicca, temperamentum cerebri ſimiliter erit calidum, & ſiccum, & bona imaginatione præditum; ſi ſint calida, & humida, & cerebri temperamentum erit calidum, & humidum, bonaque memoria præditum; Si ſint frigida, & ſicca, & temperamentũ cerebri erit frigidum, & ſiccum, & ad bonum ingenium aptiſſimum. Hùc vſque nullam video difficultatem: remanet ſolùm explicandum quiſnam cibus, & potus conferant ad generationem ſanguinis, & ſeminis, quæ requiruntur ad productionem cerebri, idonei ad bonum ingenium, vel bonam memoriam, aut ad bonam phantaſiam.

Prò requiſitis ad generationem boni ingenij. Dico, ſi mas, & fœmina decem diebus circiter ante coniunctionem prò victu vtantur carne Perdicis, vel Starnæ, vel Caponis, veruicina, vel gallina, pane candido, & cum ſale ſubacto: & pro potu vino albo optimo oligophoro, & aromatico, ſine dubio generant ſanguinem, & ſemen frigidum, & ſiccum, ad cerebri temperamentum frigidum, & ſiccum producendum maximè idoneum ad bonum ingenium aptiſſimum.

Prò requiſitis ad generationem bonæ memoriæ.

Dico, ſi tàm mas, quàm fœmina decem diebus circiter antè coniun-

Digitized by Google

coniunctionem. Pro victu vtantur pane ſine ſale, (cum ſal ſua tenuitate, & ſiccitate, humiditatem panis exſiccet) carne agnina, ex piſcibus præcipuè anguillis, trutis, ſardis, & etiam alijs piſcibus, vel aliquo alio cibo calidæ, & humidæ naturæ, vt sũt multæ herbæ, borago, ſparagi, lactuca, &c. Pro potu vino oligophoro, cùm iſta producant ſanguinem, & ſemen humidum, generant temperamentum cerebri humidum, & ad bonam memoriam idoneum.

Pro requiſitis ad generationem bonæ phantaſiæ, ſeu imaginatiuæ. Dico, ſi tàm mas, quàm fœmina pro victu vtantur decem diebus circiter ante coniunctionem pane candido cum ſale ſubacto, carne columbina, vel paſſerum, vel cępis, alijs; cinamomo, vel pipere, nuce myriſtica, vel quolibet alio habente virtutem producendi ſanguinem, & ſemen calidum, & ſiccũ; pro potu vino vetuſto trium, vel quatuor annorum; quæ ſine dubio generant cerebri temperamentum calidum, & ſiccum, & ad bonam phantaſiam maximè idoneum.

Pro requiſitis ad generationem filij robuſti, ac fortis.

Dico, ſi mas, & fœmina ſuperiùs dicto tempore, pro uictu vtantur carne ſuilla, vel vacina, vel caſeo, oleo, pro potu vino rubro, generant ſanguinem, & ſemen craſſum, ex quo generari ſolet puer robuſtus, fortis, magnus, non tamen adeò boni ingenij: robur enim conſiſtit in caliditate, inquit Ariſtoteles, ingenium in frigiditate, & ſiccitate.

Pro generatione filij prudentis, & boni moris.

Dico, ſi mas, & fœmina, ſuperiùs dicto tempore pro victu vtantur lacte, cum melle, vel butyro, pro potu vino albo optimo, cùm ex tali alimento generetur ſanguis, & ſemen temperatum, ex quibus temperamentum cerebri temperatum, generatur filius prudens, & boni moris; mediocris tamen ingenij, & memoriæ. Huc vſque dicta conferunt ad conceptionem fœtus, boni ingenij, vel bonæ imaginationis, aut bonæ memoriæ, quæ temperamenta ad iſtas facultates neceſſaria allatis alimentis iam acquiſita, niſi conſeruentur, nihil efficitur; pro quorum igitur conſeruatione. Sciendum eſt, fœmina poſt conceptionem tempore grauidationis, vti debet iiſdem cibis, &

potu;

potu; quibus vtebatur ante conceptionem, uel alijs æquiualentibus, & poſt fœtum in lucem editum mater alere debet lacte proueniente ab alimentis tali temperamento conuenientibus; vndè mater, vel nutrix cibari debet cibis illi temperamēto proportionatis, ſi nimirùm ſit temperamentum ingenij; cibi, & potus debent eſſe illi conuenientes, de quibus iàm ſuperiùs dictum eſt. Eodem modo procedendum eſt in temperamentis memoriæ, & imaginationis, fortitudinis, & prudentiæ his diligentijs adhibitis ſine vlla dubitatione filius generari, & conſeruari poteſt boni ingenij memoriæ, vel imaginationis.

ARTICVLVS III.

De Scientijs ad bonam memoriam pertinentibus.

AD bonam memoriam pertinet Grammatica, Iuriſperitia Theologia moralis, ideſt à vulgo communiter caſus conſcientiæ dicta, Arithmetica, multæque aliæ.

Quoad Grammaticam probatur, bona Grammatica, & lingua Latina conſiſtunt in regulis, & dictis Ciceronis, aliorumq; diuerſorum auctorum, ſine vllo diſcurſu, & diſputatione; ſed ſolūmodò auditu, & memoria; adhoc vt enim ſit bonus, ac perfectus grammaticus, & linguam latinam perfectè poſſideat, ſufficit, vt memoria teneat regulas, & dicta illorum auctorum, atque ſignificata illarum vocum, cùm nulla ratio neceſſe ſit; ergò grammatica ad ſolam memoriam pertinet. Vndè infertur bona memoria præditos perfectiſſimos grammaticos, & linquę latinæ, vel alterius linguæ, cuius grammaticam callent, euadere poſſe, ſine vlla imaginatione, & ingenio: quod confirmat experientia; ſi aliquis enim perfectiſſimus grammaticus interrogetur, cur res ità ſe habeant? Reſpondet, quia ſic voluerunt priores, neſciens vllam aliam affere rationem, neque debet aſſignare, cùm grammatica ex ſola libera inſtitutione hominum conſtituta ſit.

Bbb Scien-

Digitized by Google

Sciendum eſt, quòd iſti perfectiſſimi grammatici, & aliarũ linguarum perfectè periti eſſe ſoleant, arrogantes, temerarij, inſolentes, & intollerabiles: præſumunt enim omnia ſcire, & nihil ſciunt præter illa vocabula, & elegantias aliquorum verborum, quas à Cicerone, alijſque auctoribus carpunt. Ratio illius arrogantiæ, & inſolentiæ eſt, quia cùm nihil ingenij, & imaginationis habeant putant præter illud, quod ſciunt, non dari aliud ſcibile, ſeù aliud ſcire, ideoque ſe ſapientes exiſtimant, & ex hoc ortum duxit dictum illud, nempè grammatica eſt ipſa arrogantia, & quia id, quod ſciunt eſt parui momenti, ortum fuit hoc aliud dictum. purus grammaticus purus aſinus.

Sciendum eſt ſecundò, ſignum infallibilis ignorãtiæ in quocumque literarum ſtudio profitenti eſſe ipſam arrogantiam, ambitionem, & temeritatem; humilitatem verò ſignum virtutis, & ſapientiæ; patet hoc in Socrate, qui fuit homo magni ingenij, & in litterarum ſtudio perfectiſſimus, & in omni ſcientia excellens, cognoſcens illud, quod ſciret reſpectu illorum, quorum ſcientia careret, eſſe nimis paucum, dixit, vnum ſcio, quod nihil ſcio.

Quoad Iuris peritiam; probatur, ad acquirendam iuris peritiam nullus diſcurſus, nulla diſputatio, nullaque ratio neceſſaria eſt; ſed ſolùm auditus, & memoria, cùm iuris peritia conſiſtat in ſolis auctoritatibus legislatorum, & caſibus particularibus, vnicuique legi à legislatoribus poſitis; non habet principia vniuerſalia, neque demoſtrationes, ad quæ ingenium ſit neceſſarium, quòd componat, diſtinguat, atque inferat vnum ex alio; ergò Iuris peritiam acquirere, eſt opus ſolius memoriæ, & non ingenij, & imaginationis. Vndè bonâ memoriâ præditus etiãſi ingenio, & imaginatione careat, optimus iuris peritus, Theoricus euadere poteſt; cùm optimus iuris peritus dici ſoleat ille, qui in memoria facile conſeruat numerum legum, auctoritatum legislatorum, atque peculiares caſus.

Aduertendum tamen eſt, quòd tales iuris periti boni iudices euadere nequeunt: bonus enim Iudex componere debet vnam legem cum alia, reſtringere illas, ac ampliare, earumque conuenientias, & differentias cognoſcens, vnam ex alia inferre;

quia

quia cùm tot leges dari non poſſint, quot caſus poſſibiles, iudex igitur vnam ex pluribus, vel vnam ex altera diſtinguendo, ac diuidendo, deducere debet, quod eſt proprium ingenij, non memoriæ.

Ex dictis infertur; meliùs eſſe iuris peritis bonum ingenium, & mediocrem memoriam habere, quàm bonam memoriam, & mediocre ingenium. Ratio eſt, quia habentes bonam memoriam, illud, quod habent in intentione, cùm non poſſint ponere in executione, eſt potiùs fruſtratorium, & ſi iudices conſtituantur in pronuntiando ſententias, ferè ſemper errant: habentes verò bonum ingenium, etiamſi legem, & diſpoſitionem promptam non habeant, bonam tamen, & iuſtam ſententiam ferunt; cùm ſemper erit deciſioni, & legi conformis.

Quoad Theologiam moralem. Probatur, quia Theologia moralis conſiſtit in meris præceptis, & auctoritatibus; ſicuti grammatica; ergò pertinet ad memoriam. Confirmatur experientia Religioſorũ, qui in ſcholis videntes aliquem ſuum diſcipulum eiuſdem religionis ingenio carere, & ad philoſophiam ineptum, faciunt, vt incumbat theologiæ morali, illumque inſtituunt propter confeſſionem; ergò ex communi conſenſu omnium theologia moralis pertinet ad memoriam.

Aduertendum tamen eſt; tales theologos morales bona memoria præditos ſine ingenio non eſſe bonos confeſſarios, cùm deficiant in requiſitis ad iudicium: Idem enim eſt officium Iudicis, ac confeſſarii. Vndè in hac profeſſione meliùs eſt habere bonum ingenium, quàm bonam memoriam.

Quoad Arithmeticam patet: conſiſtit enim in regulis, & præceptis, quæ haberi non poſſunt niſi à ſola memoria; ergò pertinet ad memoriam. Omninò eodem modo philoſophandum eſt de cæteris omnibus; quæ conſiſtunt in regulis, & præceptis particularibus.

Quæres, an habentes bonam, ac perfectam memoriam lectores in Cathedra docendi idonei euadere poſſint?

Reſpondeo in iuris peritia, & arte medica euadere poſſunt. Ratio huius rei eſt, quia habentes bonam memoriam ſunt boni grammatici, & linguam latinam bonam, vocemque magnam

ac ſonoram habent, multaſque leges, deciſiones, & præcepta prompta poſſident, in occaſione ferenda; ſed iſta ſunt neceſſaria ad bonum lectorem; ergò boni lectores euadere poſſunt, quod tamen clariùs patebit ex infra dicendis.

Ad cognoſcendum puerum, in quo litterarum ſtudio, & ſciētia euaſurus ſit. Sciendum eſt; ſi aliquis puer facilè literas cognoſcat, & citò legere addiſcat, deindè grammaticam ſinè labore percipiat, & ſuum dictamen eleganter efficiat, erit bonæ memoriæ, & linguam latinam perfectiſſimè acquiret, ſi puer hic ſtudio Logicæ, vel Philoſophiæ incumbet, nihil percipere poterit; in iuris verò peritia erit bonus Theoricus, in docendo ſupra cathedram: licèt docenti neceſſarium ſit diſtinguere vnum ab alio, & vnum ex alio inferre; hoc tamen propriè pertinet ad philoſophum: iuris enim peritus ſuo modo, & libito proponere poteſt dubia, & difficultates exagitare, eaſque ſuo modo ſoluere, cùm non habeat principia vniuerſalia, quæ illi obſtent, & è contra. Si puer aliquis modum legendi difficulter acquiret, & etiam grammaticam, & linguam latinam; logicam, & totam philoſophiam facilè, & benè percipiet; licèt aliquando de quibuſdam pueris certum iudicium afferri non poſſit, niſi perueniant ad logicam: logica enim eſt index ingenij cùm in ea cognoſcantur ingenio prædicti.

Quæres, vndè prouenit, vt homines manè faciliùs addiſcant, & citiùs percipiant, ſerò verò difficiliùs?

Reſpondeo, Ariſtoteles rationem huius rei reddit, quia manè, inquit, in cerebro non adſunt ſpecies rerum, ſerò verò cerebrum eſt plenum, ſpeciebus rerum omnium, quæ die cognitæ fuerunt; & propter hanc rationem, inquit, pueri faciliùs recordantur, quàm ſenes; quia cerebrum puerorum caret multitudine ſpecierum, cerebrum verò ſenum, cùm ſpeciebus plenum ſit, difficilè in eo aliæ ſpecies imprimuntur. Sed iſta ratio Ariſtotelis mihi non videtur probabilis; primò quia ſpecies cùm ſint immateriales non poſſunt occupare locum, & conſequenter non poteſt dici cerebrum vacuum, vel plenum ſpeciebus. Secundò hæc ratio Ariſtotelis videtur contra experientiam, quia cùm magis memoria exercetur, eò magis perficitur, & ad

reci-

Digitized by Google

recipiendas ſpecies aptiór redditur; multitudo igitur ſpecierũ non ſolùm non impedit, ſed potiùs iuuat; & ratio huius rei eſt, quemadmodùm cera quo magis contractatur, eò melior euadit, & ad recipiendas figuras ſigilli magis idonea redditur: ita memoria propter continuum exercitium eius ſubiectum, ideſt cerebrum, melius, & aptiùs redditur ad impreſſionem ſpecierum.

Vera ratio, cur manè faciliùs, ſerò verò difficiliùs res percipiantur, eſt; quia manè ob nocturnum ſomnum cerebrum humectatur, ſerò verò, ſeù veſperè ob diuerſas vigilias cerebrum exiccatur, propterea manè faciliùs, ſerò difficiliùs percipiuntur res, & pueri ideò faciliùs, ſenes difficiliùs addiſcunt; quia puerorum cerebrum eſt humidum, ſenum verò ſiccum.

Quoad medicinam dico theoricam pertinere ad ingenium; practicam ad imaginationem; Hiſtoricam ad memoriam. Medicina theorica conſiſtit in ratione, veſtigatione cauſarum, & effectuum omnium pertinentium ad artem medicam, demonſtrando, ac reddendo rationem cuiuſcumque eorum.

Practica conſiſtit in continua, & longa exercitatione circa affectiones corporis, & medicamenta, ac alia requiſita, quæ ad ſanitatem conferunt.

Hiſtorica conſiſtit in principijs, axiomatibus medicinæ, præceptis Hippoc. Gal. aliorumque auctorum. Vndè triplicis generis inueniuntur medici, theorici, practici, & hiſtorici. Medici theorici ſunt bono ingenio præditi, ſciunt reddere rationem cuiuslibet rei ad medicinam pertinentis, benè percipiunt, & diſtingunt, diuidunt atque demonſtrant; non tamen memoriter habent tot auctoritates Hip. Gal. & aliorum, neque ſciunt eleganter loqui ob defectum memoriæ, neque habere poſſunt magnam practicam ob defectum imaginationis, quæ verſatur circa particularia.

Medici, hiſtorici ſunt bona memoria præditi habent bonam linguam latinam, vocem ſonoram, eleganter loquuntur, & memoriter addiſcunt omnia præcepta Hippoc. Galen. & aliorum; vndè in qualibet etiam leui occaſione afferunt tot auctoritates Hippoc. & Galeni, & aliorum (licèt nihil ad rem) vt appareant

reant illus ſcientiæ ſapientiſſimi; iſti tamen in medēdo inexpertiſſimi ſunt; ob penuriam enim ingenij non percipiunt res; ob paupertatem imaginationis bonam, Practicam adipiſci non poſſunt.

Medici practici bona imaginatione præditi ſunt, qui ex vno intuitu, ſeu aſpectu ægrotantis, ſimplici tactu pulſus, & interrogatione percipiunt ſtatum naturæ, & morbi, omniaque illa, quę ad illius ſanitatem conferunt: ſi interrogentur iſti medici vndè habetis iſtam certam notitiam ſtatus naturę, morbi, & mediorum, quæ ad acquirendam ſanitatem ſunt maximè proportionata: ob penuriam ingenii reddere rationem neſciunt, nequè ſpuere poſſunt tot auctoritates Hip. Galeni, & aliorum ob defectuum memoriæ, iſti tamen medici aliis meliùs, & tutiùs medentur.

Ex dictis infertur nullum inueniri medicum perfectum in theorica, & ſimul in practica; quia ſi quis ob præſtantiam ſui ingenii ſit bonus theoricus, ob defectum ſuę imaginationis erit ignarus in practica.

Colligitur ex dictis regula cognoſcendi bona memoria præditos. Bona memoria præditi habent vocem magnam ſonoram, eleganter loquuntur, & ſcribunt, ſcripta eorum elegantiis, auctoritatibus, & ſententiis plena, longaque methodo, ſine vllo bono ordine, & connexione, reſpuunt ſententias, ſunt arrogantes, & ſuperbi, prçſumunt, atque dicunt ſe plura ſcire, licèt nihil ſciant, præter voces, regulas grammaticæ, vel alterius facultatis, vi memoriæ acquiſitas, & elegantias, quas ab auctoribus furati ſunt.

Quæres, quod eſt melius, habere bonum ingenium, an bonam memoriam, an verò bonam imaginationem? Reſpondeo, bonum eſt habere bonam memoriam, meliùs habere bonam imaginationem, peſſimum habere bonum ingenium. Ratio eſt, quià bonam memoriam habentes, licèt ſint ignari, cùm hoc non cognoſcant, lætantur, gaudent ſua ſcientia, ſeu inſcitia multum lucrantur, à vulgo honorati, boni aulici euadunt.

Bonam imaginationem habentes ferè omnes diuites ſunt, licèt vitioſi, & fraudolenti in agibilibus optimi, non facilè deci-

cipiuntur; boni aulici ob eorum ſimulationem euadũt ferè ſemper læti, ſinè mœſtitia vitam ducũt. Bonum ingenium habentes ſemper melancholici, timidi, pauperes, & breuioris vitæ, ſola ſpeculatione gaudent, nihil aliud boni poſſident.

DISPVTATIO IX.

De potentia Appetitiua, & loco Motiua.

POtentia loco motiua præſupponit potentiam appetitiuam, à qua etiam dependet in operãdo; niſi enim excitetur à potentia appetitiua, motum efficere non poteſt, vt infrà probabimus, iuxtà hunc igitur ordinem priùs de appetitiua, deinde de loco motiua agemus.

QVAESTIO I.

De potentia Appetitiua.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex ſit potentia appetitiua.

POtentia appetitiua eſt Procliuitas, aut inclinatio quædam, per quam res inclinat ad aliquod ſibi conueniens. Triplex eſt Appetitus, nẽpè naturalis, ſenſitiuus, & rationalis.

Appetitus naturalis eſt, per quem res inclinat ad aliquid bonum ſibi conueniens, nulla procedente notitia illius boni, qui appetitus conuenit etiam omnibus inanimatis; ſic lapis per talem appetitum tendit deorſum, ignis ſurſum, partes ad ſe trahunt alimentum ſibi conueniens; herbæ, & plantæ æſtate pluuias appetunt, &c.

Appe-

Appetitus ſenſitiuus eſt per quem res inclinat ad aliquod ſibi conueniens, vel auerſatur malum ſibi inconueniẽs, præcedente cognitione illius boni conuenientis, & mali inconuenientis; & hic Appetitus reperitur in omnibus animalibus; ſic equus per hunc appetitum hordeum appetit; laborem fugit &c.

Appetitus rationalis eſt, per quem res inclinat ad aliquod ſibi conueniens; & auerſatur malum ſibi inconueniens, præeunte cognitione, diſcurſu, atque iudicio, qui appetitus eſt voluntas, quæ nõ reperitur, niſi in animalibus rationalibus, quẽ appetitum nos explicabimus agentes de anima rationali, cùm hìc ſolummodò agamus de appetitu ſenſitiuo.

Duplex eſt appetitus ſenſitiuus, alter concupiſcibilis, & alter iraſcibilis.

Concupiſcibilis eſt ille, per quem animal inclinat ad bonum, ſibi conueniens, à ſe perceptum, vel auerſatur malum, ſibi inconueniens præſcindendo ab eo quòd bonum ſit facile, vel difficile acquiſibile, & malum facilè, vel difficile euitabile.

Appetitus Iraſcibilis eſt ille, per quem animal inclinat ad bonum arduum, vt arduum eſt, ideſt ad bonum, vt difficillimè acquiſibile, vel auerſatur malum arduum, vt arduum eſt, ideſt difficiliter euitabile.

Differunt iſtæ duæ potentiæ, ſeù iſti appetitus inter ſe, quia concupiſcibilis tendit ad bonum, vel malum, vt ſic præſcindendo ab omni facilitate illud acquirendi, & dificultate malum fugiendi: iraſcibilis verò tendit ad bonum apprehenſum, vt difficilè acquiſibile, vel ad malum, vt difficilè euitabile; Iraſcibilis igitur nititur ad tollendam, vel ſuperandam difficultatem ſubmouendo impedimenta.

Difficultas eſt, an appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis ſint duæ potentiæ diuerſæ, & realiter diſtinctæ, pro qua; Dico eſſe potentias diuerſas, & realiter diſtinctas. Probatur: potentiæ diuerſificantur, & realiter diſtinguntur per diuerſitatem obiectorum, & diuerſum modum tendendi ad earum obiecta: ſed obiecta concupiſcibilis, & iraſcibilis ſunt diuerſa, earumque modi tenendi diuerſi: ergò & iſtæ duæ potentiæ, ſunt diuerſæ, & realiter diſtinctæ, maiorem fusè probauimus agentes de

po-

potentijs animæ in communi minor ex ſe patet, &c.

Difficultas ſolum eſt, in quanam parte corporis reſideant iſtæ potentiæ,

Dico breuiter, appetitum ſenſitiuum, ſeu concupiſcibilem & iraſcibilem reſidere in cerebro. Probatur, concupiſcibilis, & iraſcibilis ſunt potentiæ, & miniſtri animæ ſenſitiuæ, qui eius mandata exquntur; ergò ibi reſidere debent, vbi reſidet anima ſenſitiua; ſed anima ſenſitiua reſidet in cerebro, vt fusè probauimus agentes de anima in communi; ergò, & iſte potentiæ reſident in cerebro.

Sciendum eſt, ſicuti voluntas in operando dependet ab intellectu, quia cùm voluntas ſit Potentia Cæca, non poteſt aſſentiri, neq; diſsẽtiri niſi illud, quod ab intellectu illi proponitur, vt patet communi illo axiomate, nihil volitum, quin præcognitũ; ita appetitum ſenſitiuum dependere à potentia imaginatiua, & æſtimatiua; Nam, vt dicemus de modo, quo fit motus localis; appetitus operari non poteſt, quin illi aliquid proponatur à potentia æſtimatiua, vt excitetur ab illa ad amorem, vel iram, E.G. Potentia æſtimatiua, ſeù iudicatiua, repræſentans appetitui ſpeciem obiecti ſibi à phantaſia repræſentatum, excitat illum ad illud amandum, ſi ſit bonum conueniens, ſiue ſit verè bonum, ſiue apparens, vel repugnandum ſi ſit malum inconueniens; ſi verò hoc contingat in homine appetitus ſenſitiuus non operatur, quin habeat cõſenſum voluntatis; ſi tamen voluntas præſtet appetitui conſenſum ſuum, ſtatim operatur; ſi verò propter aliquam turpitudinem, vel malitiam obiecti præſtare nolit, oritur inter voluntatem, & appetitum ſenſitiuum diſſentio, & lis & illa, quæ alteram ſuperat, dicitur operari, ſeu eſſe principium operationis: in animalibus verò brutis ſine vlla mora ſtatim, eò quòd ab æſtimatiua appetitus excitatur, ſeù ſtimulatur, operatur.

Variæ ſunt operationes vtriuſque potentiæ, nempè appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis, quæ operationes dici ſolent animi Pathemata, ideſt paſſiones animi, dicuntur enim paſſiones animi, primò, quia appetitus in operando cùm trahatur ab obiecto patitur, ſecundò, quia ab iſtis operationibus. Cor nimis

coniunctionem. Pro victu vtantur pane ſine ſale, (cum ſal ſua tenuitate,& ſiccitate, humiditatem panis exſiccet).carne agnina, ex piſcibus præcipuè anguillis, trutis, ſardis, & etiam alijs piſcibus, vel aliquo alio cibo calidæ, & humidæ naturæ,vt sũt multæ herbæ, borago, ſparagi, lactuca, &c. Pro potu vino oligophoro, cùm iſta producant sanguinem, & ſemen humidum, generant temperamentum cerebri humidum, & ad bonam memoriam idoneum.

Pro requiſitis ad generationem bonæ phantaſiæ, ſeu imaginatiuæ. Dico, ſi tàm mas, quàm fœmina pro victu vtantur decem diebus circiter ante coniunctionem pane candido cum ſale ſubacto, carne columbina, vel paſſerum, vel cępis, alijs; cinamomo, vel pipere, nuce myriſtica,vel quolibet alio habente virtutem producendi sanguinem, & ſemen calidum, & ſiccũ; pro potu vino vetuſto trium, vel quatuor annorum; quæ ſine dubio generant cerebri temperamentum calidum, & ſiccum,& ad bonam phantaſiam maximè idoneum.

Pro requiſitis ad generationem filij robuſti, ac fortis.

Dico, ſi mas, & fœmina ſuperiùs dicto tempore, pro uictu vtantur carne ſuilla, vel vacina, vel caſeo, oleo, pro potu vino rubro, generant ſanguinem, & ſemen craſſum, ex quo generari ſolet puer robuſtus, fortis, magnus, non tamen adeò boni ingenij: robur enim conſiſtit in caliditate, inquit Ariſtoteles, ingenium in frigiditate, & ſiccitate.

Pro generatione filij prudentis, & boni moris.

Dico, ſi mas, & fœmina, ſuperiùs dicto tempore pro victu vtantur lacte, cum melle, vel butyro, pro potu vino albo optimo, cùm ex tali alimento generetur ſanguis, & ſemen temperatum, ex quibus temperamentum cerebri temperatum,generatur filius prudens, & boni moris; mediocris tamen ingenij, & memoriæ. Huc vſque dicta conferunt ad conceptionem fœtus, boni ingenij, vel bonæ imaginationis, aut bonæ memoriæ, quæ temperamenta ad iſtas facultates neceſſaria allatis alimentis iam acquiſita, niſi conſeruentur, nihil efficitur; pro quorum igitur conſeruatione. Sciendum eſt, fœmina poſt conceptionem tempore grauidationis,vti debet iiſdem cibis, &

potu;

Digitized by Google

potu; quibus vtebatur ante conceptionem, uel alijs æquiualentibus, & poſt fœtum in lucem editum mater alere debet lacte proueniente ab alimentis tali temperamento conuenientibus; vndè mater, vel nutrix cibari debet cibis illi temperamẽto proportionatis, ſi nimirùm ſit temperamentum ingenij; cibi, & potus debent eſſe illi conuenientes, de quibus iam ſuperiùs dictum eſt. Eodem modo procedendum eſt in temperamentis memoriæ, & imaginationis, fortitudinis, & prudentiæ his diligentijs adhibitis ſine vlla dubitatione filius generari, & conſeruari poteſt boni ingenij memoriæ, vel imaginationis.

ARTICVLVS III.

De Scientijs ad bonam memoriam pertinentibus.

AD bonam memoriam pertinet Grammatica, Iuriſperitia Theologia moralis, ideſt à vulgo communiter caſus conſcientiæ dicta, Arithmetica, multæque aliæ.

Quoad Grammaticam probatur, bona Grammatica, & lingua Latina conſiſtunt in regulis, & dictis Ciceronis, aliorumq; diuerſorum auctorum, ſine vllo diſcurſu, & diſputatione; ſed ſolũmodò auditu, & memoria; adhoc vt enim ſit bonus, ac perfectus grammaticus, & linguam latinam perfectè poſſideat, ſufficit, vt memoria teneat regulas, & dicta illorum auctorum, atque ſignificata illarum vocum, cùm nulla ratio neceſſe ſit; ergò grammatica ad ſolam memoriam pertinet. Vndè infertur bona memoria præditos perfectiſſimos grammaticos, & linguę latinæ, vel alterius linguæ, cuius grammaticam callent, euadere poſſe, ſine vlla imaginatione, & ingenio: quod confirmat experientia; ſi aliquis enim perfectiſſimus grammaticus interrogetur, cur res ità ſe habeant? Reſpondet, quia ſic voluerunt priores, neſciens vllam aliam afferre rationem, neque debet aſſignare, cùm grammatica ex ſola libera inſtitutione hominum conſtituta ſit.

Digitized by Google

Sciendum eſt, quòd iſti perfectiſſimi grammatici, & aliarũ linguarum perfectè periti eſſe ſoleant, arrogantes, temerarij, inſolentes, & intollerabiles: præſumunt enim omnia ſcire, & nihil ſciunt præter illa vocabula, & elegantias aliquorum verborum, quas à Cicerone, alijſque auctoribus carpunt. Ratio illius arrogantiæ, & inſolentiæ eſt, quia cùm nihil ingenij, & imaginationis habeant putant præter illud, quod ſciunt, non dari aliud ſcibile, ſeù aliud ſcire, ideoque ſe ſapientes exiſtimant, & ex hoc ortum duxit dictum illud, nempè grammatica eſt ipſa arrogantia, & quia id, quod ſciunt eſt parui momenti, ortum fuit hoc aliud dictum. purus grammaticus purus aſinus.

Sciendum eſt ſecundò, ſignum infallibilis ignorãtiæ in quocumque literarum ſtudio profitenti eſſe ipſam arrogantiam, ambitionem, & temeritatem; humilitatem verò ſignum virtutis, & ſapientiæ; patet hoc in Socrate, qui fuit homo magni ingenij, & in litterarum ſtudio perfectiſſimus, & in omni ſcientia excellens, cognoſcens illud, quod ſciret reſpectu illorum, quorum ſcientia careret, eſſe nimis paucum, dixit, vnum ſcio, quod nihil ſcio.

Quoad Iuris peritiam; probatur, ad acquirendam iuris peritiam nullus diſcurſus, nulla diſputatio, nullaque ratio neceſſaria eſt; ſed ſolùm auditus, & memoria, cùm iuris peritia conſiſtat in ſolis auctoritatibus legislatorum, & caſibus particularibus, vnicuique legi à legislatoribus poſitis; non habet principia vniuerſalia, neque demoſtrationes, ad quæ ingenium ſit neceſſarium, quòd componat, diſtinguat, atque inferat vnum ex alio; ergò Iuris peritiam acquirere, eſt opus ſolius memoriæ, & non ingenij, & imaginationis. Vndè bonâ memoriâ præditus etiãſi ingenio, & imaginatione careat, optimus iuris peritus, Theoricus euadere poteſt; cùm optimus iuris peritus dici ſoleat ille, qui in memoria facile conſeruat numerum legum, auctoritatum legislatorum, atque peculiares caſus.

Aduertendum tamen eſt, quòd tales iuris periti boni iudices euadere nequeunt: bonus enim Iudex componere debet vnam legem cum alia, reſtringere illas, ac ampliare, earumque conuenientias, & differentias cognoſcens, vnam ex alia inferre;

quia

quia cùm tot leges dari non poſſint, quot caſus poſſibiles, iudex igitur vnam ex pluribus, vel vnam ex altera diſtinguendo, ac diuidendo, deducere debet, quod eſt proprium ingenij, non memoriæ.

Ex dictis infertur, meliùs eſſe iuris peritis bonum ingenium, & mediocrem memoriam habere, quàm bonam memoriam, & mediocre ingenium. Ratio eſt, quia habentes bonam memoriam, illud, quod habent in intentione, cùm non poſſint ponere in executione, eſt potiùs fruſtratorium, & ſi iudices conſtituantur in pronuntiando ſententias, ferè ſemper errant: habentes verò bonum ingenium, etiamſi legem, & diſpoſitionem promptam non habeant, bonam tamen, & iuſtam ſententiam ferunt; cùm ſemper erit deciſioni, & legi conformis.

Quoad Theologiam moralem. Probatur, quia Theologia moralis conſiſtit in meris præceptis, & auctoritatibus; ſicuti grammatica; ergò pertinet ad memoriam. Confirmatur experientia Religioſorũ, qui in ſcholis videntes aliquem ſuum diſcipulum eiuſdem religionis ingenio carere, & ad philoſophiam ineptum, faciunt, vt incumbat theologiæ morali, illumque inſtituunt propter confeſſionem; ergò ex communi conſenſu omnium theologia moralis pertinet ad memoriam.

Aduertendum tamen eſt, tales theologos morales bona memoria præditos ſine ingenio non eſſe bonos confeſſarios, cùm deficiant in requiſitis ad iudicium: Idem enim eſt officium Iudicis, ac confeſſarij. Vndè in hac profeſſione meliùs eſt habere bonum ingenium, quàm bonam memoriam.

Quoad Arithmeticam patet: conſiſtit enim in regulis, & præceptis, quæ haberi non poſſunt niſi à ſola memoria; ergò pertinet ad memoriam. Omninò eodem modo philoſophandum eſt de cæteris omnibus, quæ conſiſtunt in regulis, & præceptis particularibus.

Quæres, an habentes bonam, ac perfectam memoriam lectores in Cathedra docendi idonei euadere poſſint?

Reſpondeo in iuris peritia, & arte medica euadere poſſunt. Ratio huius rei eſt, quia habentes bonam memoriam ſunt boni grammatici, & linguam latinam bonam, vocemque magnam.

ac ſonoram habent; multaſque leges, deciſiones, & præcepta prompta poſſident, in occaſione ferenda; ſed iſta ſunt neceſſaria ad bonum lectorem; ergò boni lectores euadere poſſunt, quod tamen clariùs patebit ex infra dicendis.

Ad cognoſcendum puerum, in quo litterarum ſtudio, & ſciẽtia euaſurus ſit. Sciendum eſt; ſi aliquis puer facilè literas cognoſcat, & citò legere addiſcat, deindè grammaticam ſinè labore percipiat, & ſuum dictamen eleganter efficiat, erit bonæ memoriæ, & linguam latinam perfectiſſimè acquiret, ſi puer hic ſtudio Logicæ, vel Philoſophiæ incumbet, nihil percipere poterit; in iuris verò peritia erit bonus Theoricus, in docendo ſupra cathedram: licèt docenti neceſſarium ſit diſtinguere vnum ab alio, & vnum ex alio inferre; hoc tamen propriè pertinet ad philoſophum: iuris enim peritus ſuo modo, & libito proponere poteſt dubia, & difficultates exagitare, eaſque ſuo modo ſoluere, cùm non habeat principia vniuerſalia, quæ illi obſtent, & è contra. Si puer aliquis modum legendi difficulter acquiret, & etiam grammaticam, & linguam latinam; logicam, & totam philoſophiam facilè, & benè percipiet; licèt aliquando de quibuſdam pueris certum iudicium afferri non poſſit, niſi perueniant ad logicam: logica enim eſt index ingenij cùm in ea cognoſcantur ingenio prædicti.

Quæres, vndè prouenit, vt homines manè faciliùs addiſcant, & citiùs percipiant, ſerò verò difficiliùs?

Reſpondeo, Ariſtoteles rationem huius rei reddit, quia manè, inquit, in cerebro non adſunt ſpecies rerum, ſerò verò cerebrum eſt plenum, ſpeciebus rerum omnium, quæ die cognitæ fuerunt; & propter hanc rationem, inquit, pueri faciliùs recordantur, quàm ſenes; quia cerebrum puerorum caret multitudine ſpecierum, cerebrum verò ſenum, cùm ſpeciebus plenum ſit, difficilè in eo aliæ ſpecies imprimuntur. Sed iſta ratio Ariſtotelis mihi non videtur probabilis; primò quia ſpecies cùm ſint immateriales non poſſunt occupare locum, & conſequenter non poteſt dici cerebrum vacuum, vel plenum ſpeciebus. Secundò hæc ratio Ariſtotelis videtur contra experientiam, quia cùm magis memoria exercetur, eò magis perficitur, & ad reci-

Digitized by Google

recipiendas ſpecies aptior redditur; multitudo igitur ſpecierũ non ſolùm non impedit, ſed potiùs iuuat; & ratio huius rei eſt, quemadmodùm cera quo magis contractatur, eò melior euadit, & ad recipiendas figuras ſigilli magis idonea redditur: ita memoria propter continuum exercitium eius ſubiectum, ideſt cerebrum, melius, & aptiùs redditur ad impreſſionem ſpecierum.

Vera ratio, cur manè faciliùs, ſerò verò difficiliùs res percipiantur, eſt; quia manè obnoctuinum ſomnum cerebrum humectatur, ſerò verò, ſeù veſperè ob diuerſas vigilias cerebrum exiccatur, propterea manè faciliùs, ſerò difficiliùs percipiuntur res, & pueri ideò faciliùs, ſenes difficiliùs addiſcunt; quia puerorum cerebrum eſt humidum, ſenum verò ſiccum.

Quoad medicinam dico theoricam pertinere ad ingenium; practicam ad imaginationem; Hiſtoricam ad memoriam. Medicina theorica conſiſtit in ratione, veſtigatione cauſarum, & effectuum omnium pertinentium ad artem medicam, demonſtrando, ac reddendo rationem cuiuſcumque eorum.

Practica conſiſtit in continua, & longa exercitatione circa affectiones corporis, & medicamenta, ac alia requiſita; quæ ad ſanitatem conferunt.

Hiſtorica conſiſtit in principijs, axiomatibus medicinæ, præceptis Hippoc. Gal. aliorumque auctorum. Vndè triplicis generis inueniuntur medici, theorici, practici, & hiſtorici. Medici theorici ſunt bono ingenio præditi, ſciunt reddere rationem cuiuslibet rei ad medicinam pertinentis, benè percipiunt, & diſtingunt, diuidunt atque demonſtrant; non tamen memoriter habent tot auctoritates Hip. Gal. & aliorum, neque ſciunt eleganter loqui ob defectum memoriæ, neque habere poſſunt magnam practicam ob defectum imaginationis, quæ verſatur circa particularia.

Medici, hiſtorici ſunt bona memoria præditi habent bonam linguam latinam, vocem ſonoram, eleganter loquuntur, & memoriter addiſcunt omnia præcepta Hippoc. Galen. & aliorum; vndè in qualibet etiam leui occaſione afferunt tot auctoritates Hippoc. & Galeni, & aliorum (licèt nihil ad rem) vt appareant

reant illus ſcientiæ ſapientiſſimi; iſti tamen in medēdo inexpertiſſimi ſunt; ob penuriam enim ingenij non percipiunt res; ob paupertatem imaginationis bonam, Practicam adipiſci non poſſunt.

Medici practici bona imaginatione præditi ſunt, qui ex vno intuitu, ſeù aſpectu ægrotantis, ſimplici tactu pulſus, & interrogatione percipiunt ſtatum naturæ, & morbi, omniaque illa, quę ad illius ſanitatem conferunt: ſi interrogentur iſti medici vndè habetis iſtam certam notitiam ſtatus naturę, morbi, & mediorum, quæ ad acquirendam ſanitatem ſunt maximè proportionata: ob penuriam ingenii reddere rationem neſciunt, nequè ſpuere poſſunt tot auctoritates Hip. Galeni, & aliorum ob defectuum memoriæ, iſti tamen medici aliis meliùs, & tutiùs medentur.

Ex dictis infertur nullum inueniri medicum perfectum in theorica, & ſimul in practica; quia ſi quis ob præſtantiam ſui ingenii ſit bonus theoricus, ob defectum ſuę imaginationis erit ignarus in practica.

Colligitur ex dictis regula cognoſcendi bona memoria præditos. Bona memoria præditi habent vocem magnam ſonoram, eleganter loquuntur, & ſcribunt, ſcripta eorum elegantiis, auctoritatibus, & ſententiis plena, longaque methodo, ſine vllo bono ordine, & connexione, reſpuunt ſententias, ſunt arrogantes, & ſuperbi, præſumunt, atque dicunt ſe plura ſcire, licèt nihil ſciant, præter voces, regulas grammaticæ, vel alterius facultatis, vi memoriæ acquiſitas, & elegantias, quas ab auctoribus furati ſunt.

Queres, quod eſt melius, habere bonum ingenium, an bonam memoriam, an verò bonam imaginationem? Reſpondeo, bonum eſt habere bonam memoriam, meliùs habere bonam imaginationem, peſſimum habere bonum ingenium. Ratio eſt, quià bonam memoriam habentes, licèt ſint ignari, cùm hoc non cognoſcant, lætantur, gaudent ſua ſcientia, ſeù inſcitia multum lucrantur, è vulgo honorati, boni aulici euadunt.

Bonam imaginationem habentes ferè omnes diuites ſunt, licèt vitioſi, & fraudolenti in agibilibus optimi, non facilè deci-

cipiuntur; boni aulici ob eorum ſimulationem euadũt ferè ſemper læti, ſinè mœſtitia vitam ducũt. Bonum ingenium habentes ſemper melancholici, timidi, pauperes, & breuioris vitæ, ſola ſpeculatione gaudent, nihil aliud boni poſſident.

DISPVTATIO IX.

De potentia Appetitiua, & loco Motiua.

POtentia loco motiua præſupponit potentiam appetitiuam, à qua etiam dependet in operãdo; niſi enim excitetur à potentia appetitiua, motum efficere non poteſt, vt infrà probabimus, iuxtà hunc igitur ordinem priùs de appetitiua, deinde de loco motiua agemus.

QVAESTIO I.

De potentia Appetitiua.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex ſit potentia appetitiua.

POtentia appetitiua eſt Procliuitas, aut inclinatio quædam, per quam res inclinat ad aliquod ſibi conueniens,

Triplex eſt Appetitus, nẽpè naturalis, ſenſitiuus, & rationalis.

Appetitus naturalis eſt, per quem res inclinat ad aliquid bonum ſibi conueniens, nulla procedente notitia illius boni, qui appetitus conuenit etiam omnibus inanimatis; ſic lapis per talem appetitum tendit deorſum, ignis ſurſum, partes ad ſe trahunt alimentum ſibi conueniens; herbæ, & plantæ æſtate pluuias appetunt, &c.

Appe-

Digitized by Google

potentijs animæ in communi minor ex ſe patet, &c.

Difficultas ſolum eſt, in quanam parte corporis reſideant iſtæ potentiæ,

Dico breuiter, appetitum ſenſitiuum, ſeu concupiſcibilem & iraſcibilem reſidere in cerebro. Probatur, concupiſcibilis, & iraſcibilis ſunt potentiæ, & miniſtri animæ ſenſitiuæ, qui eius mandata exquntur; ergò ibi reſidere debent, vbi reſidet anima ſenſitiua; ſed anima ſenſitiua reſidet in cerebro, vt fusè probauimus agentes de anima in communi; ergò, & iſte potentiæ reſident in cerebro.

Sciendum eſt, ſicuti voluntas in operando dependet ab intellectu, quia cùm voluntas ſit Potentia Cæca, non poteſt aſſentiri, neq; diſsētiri niſi illud, quod ab intellectu illi proponitur, vt patet communi illo axiomate, nihil volitum, quin præcognitū; ita appetitum ſenſitiuum dependere à potentia imaginatiua, & æſtimatiua; Nam, vt dicemus de modo, quo fit motus localis; appetitus operari non poteſt, quin illi aliquid proponatur à potentia æſtimatiua, vt excitetur ab illa ad amorem, vel iram. E.G. Potentia æſtimatiua, ſeù iudicatiua, repræſentans appetitui ſpeciem obiecti ſibi à phantaſia repræſentatum, excitat illum ad illud amandum, ſi ſit bonum conueniens, ſiue ſit verè bonum, ſiue apparens, vel repugnandum ſi ſit malum inconueniens; ſi verò hoc contingat in homine appetitus ſenſitiuus non operatur, quin habeat conſenſum voluntatis; ſi tamen voluntas præſtet appetitui conſenſum ſuum, ſtatim operatur; ſi verò propter aliquam turpitudinem, vel malitiam obiecti præſtare nolit, oritur inter voluntatem, & appetitum ſenſitiuum diſſentio, & lis & illa, quæ alteram ſuperat, dicitur operari, ſeu eſſe principium operationis: in animalibus verò brutis ſine vlla mora ſtatim, eò quòd ab æſtimatiua appetitus excitatur, ſeù ſtimulatur, operatur.

Variæ ſunt operationes vtriuſque potentiæ, nempè appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis, quæ operationes dici ſolent animi Pathemata, ideſt paſſiones animi, dicuntur enim paſſiones animi, primò, quia appetitus in operando cùm trahatur ab obiecto patitur, ſecundò, quia ab iſtis operationibus. Cor ni-

mis perturbatur, ex timore, & triſtitia conſtringitur, ex amore, & lætitia nimis dilatatur, vt paulò inferiùs explicabimus.

ARTICVLVS II.

De operationibus Appetitus concupiſcibilis.

OPerationes appetitus concupiſcibilis ſunt conſecutio boni conuenientis, vel expulſio mali inconuenientis vt ſic, ſex ſunt operationes appetitus concupiſcibilis, nempè Amor, Deſiderium, Delectatio, Odium, Fuga, & Triſtitia, quarum tres priores verſantur circa bonum; tres poſteriores circa malum.

Amor à Varijs variè deſcribi ſolet; nam à quibuſdam Amor deſcribitur, complacentia in bonitate obiecti, quod in ſe ipſo iudicatur, eſſe conueniens, non habito reſpectu de præſentia, vel abſentia ipſius.

A Franciſco Petrarca dialogo ſexto, ſic deſcribitur Amor latens ignis; gratum vulnus, ſapidum venenum; Dulcis amaritudo; delectabilis morbus; iucundum ſupplicium; Blanda mors.

Amor, inquit, poeta eodem die floret, & viuit, moritur, & reuiuiſcit; vndè ſua natura neque mortalis, neque immortalis eſt.

Omiſſis alijs deſcriptionibus amoris Poetarum, atque Oratorum, mihi videtur ità deſcribendus philoſophicè.

Amor eſt commotio animæ à motu ſpirituum, qui eam excitant ad ſe coniungendam obiecto bono, vel pulcro.

Vnde infertur quòd in amore cor rem amatam ad ſe attrahere cupiens, vel ſe illi coniugere volens, mouetur, & ſpiritus vitales in ſe accendit, multoſque eorum ad rem amatam tanquam obuios per habitum corporis mittit, vt illam ad ſe deferant.

Variæ ſunt cauſæ amoris, quarum Prima eſt bonitas ſecunda

eſt pulchritudo, quæ eſt gratia quædam, eam cognoſcenti affert maximam iucunditatem, ipſumque ad ſui amorem allicit, ſeu pulchritudo eſt gratia, ſeu venuſtas, quæ viſione, vel auditu percepta vehementer animum rapit, illum dilectat, ac ardenti amore inflammat.

Quæres vndè prouenit pulchritudo corporis? Reſpondeo duplicem eſſe pulchritudinem, vnam formalem, & alteram materialem; pulchritudo formalis conſiſtit in bonis lineamentis partium corporis, & proportione membrorum, ſecundùm magnitudinem, debitum ſitum &c. vt E. G. capitis, oculorum, naſi, naſium, oris, labiorum; &c. quam pulchritudinem vulgò gratiam appellãt, eamque habentem gratioſum, quæ pulchritudo prouenit à virtute efformatiua valida, ac robuſta; pulchritudo materialis conſiſtit in bona habitudine corporis; quòd nimirùm corpus non ſit nimis longum, non breue, non nimis craſſum, neque gracile, carnis color albus rubro permixtus, viuidus, ac lucidus; & hæc pulchritudo prouenit à ſanguine materno, qui materialiter concurrit ad conſtitutionem corporis. Vnde ſi ſanguis maternus ſit purus, non turbidus, debitæ quantitatis, & virtus efformatiua ſit valida, filius generatur pulcher materialiter, & formaliter, ideſt tam quoad carnoſitatem, & colorem album rubro permixtum, quàm quoad liniamenta partim; ſi ſanguis maternus purus ſit mixtus cum aliquo humore per quē vergat ad nigredinem, & virtus efformatiua ſit valida, filius generatur pulcher, coloris vergentis ad nigredinem rubro permixti cum optimis liniamentis membrorum, quam vulgò brunetum & gratioſum appellãt: deficiente vno ex iſtis duobus, ideſt robore efformatricis, vel puritate ſanguinis materni deficit, & pulchritudo, & deficiente vno ſolum oritur semi deformitas, deficientibus ambobus oritur totaliter deformitas.

Dixi percepta à viſione, vel auditu, quia pulchritudo à nullo alio ſenſu percipi poteſt. Ideoque dici ſolet pulchra melodia, pulchri colores, non verò pulchri odores, vel pulchri ſapores; & propterea dici etiam, ſolet, quòd amor per aures, & oculos ingrediatur; pàtet hoc ex communi conſenſu omniū eorum, qui cupidinem pingunt puerum nudū, dextera manu ſa-

gittam tenentem; ad ſiniſtram partem faretra pendente ſagittis plena. Pingunt nudum, vt denotet amorem occultari non poſſe. Pingunt ſagittam dextera manu tenentem, vt denotet vnico radio oculorum, ideſt vnico aſpectu amorē conſurgere. Pingūt cum faretra ſagittis plena, vt denotet in amante eſſe radios occultos, quos ad rem amatam frequenter mittere ſolet.

Tertia cauſa amoris eſt ſimilitudo amantis cum re amata, quæ ſimilitudo primò eſt, naſci ſub eodem Planeta; ſecundò ſub eadem ſympathia Cæli; tertiò eſſe eiuſdem genij; quartò conuenientia; quintò humorum congruentia. Propter hanc ſimilitudinem amans, videns ſuam imaginem in alio, illud tanquā ſe ipſum diligit; Vnde originem duxit dictum illud; omne ſimile appetit ſibi ſimile.

Ex conuenientia, ſeu ſimilitudine humorum oritur, quòd dùm aliquis ſanguineus ſanguineum amat, amor erit mutuus ſuauis, ac perſeuerabilis. Erit ſuauis, propter dulcedinem, & bonæ temperaturæ ſanguinis; erit perſeuerabilis propter idem temperamentum, deſiderium, eandem inclinationem naturalem, & ècontrà.

Ex diſſimilitudine verò humorum oritur, quòd dùm aliquis bilioſus, & ſanguineus ſe inuicem amant; amor aliquando erit perturbabilis, & non diù durabilis, propter perturbationem bilioſi, qui eſt plenus zelotypia, & inquietudine; aliquandò erit dulcis, ac ſuauis propter amabilitatem, & dulcedinem ſanguinei.

Dùm verò bilioſus bilioſum amat, ab illa complexione bilioſa, amor eſt perturbabilis, moleſtus, & imperſeuerabilis, ex vtraque parte, propter zelotypiam, & inquietudinem vtriuſq; bilioſi.

Dùm melancholicus, & ſanguineus ſe inuicem amant, amor eſt perpetuus; quia amaritudo melancholiæ attēperatur à dulcedine ſanguinis. Et ſic ex mixtione ſanguinis, & melancholiæ fit quædam miſcella, ſeu complexio ad diuturnitatem amoris omninò conferens.

Dùm verò melancholicus, & bilioſus ſe inuicem amant talis amor erit nimis moleſtus; quia bilioſus propter bilem ad ira-

cun-

cundiam prouocatur; melancholicus propter humorem melancholicum ad mœrorem; & ſic ille amor erit conflatus ex mœrore, & iracundia.

Amor inter duos melancholicos etiam eſt intollerabilis; nàm propter humorem melancholicum amantes ſemper ſunt in contentione, lite, & mœrore.

Amor inter Pituitoſos eſt tepidus, inefficax, ac imperſeuerabilis propter frigiditatem, & humiditatem vtriuſque amantis.

Ex hac etiam diſſimilitudine oritur, quòd amor æquè viciſſim eſſe non poſſit in vtroque amante; Nàm dùm bilioſus E.G. amat ſanguineum optat, vt æquè ab eodem ametur; ſed hoc eſt difficilè, propter differentiam humorum, aliarumque qualitatum. Propterea multi amantes, cùm videant æquo amore ſe non amari mœrentur, triſtantur, atque iraſcuntur; ſed fruſtrà, quia à re amata ſibi diſſimile, æquè amari eſt impoſſibile.

Quæres, qui ſunt illi, qui faciliùs, & qui difficiliùs amore capiuntur?

Reſpondeo, ſanguinei faciliùs amore capiuntur propter tenuitatem ſanguinis, ſpirituum luciditatem, cordis calorem, &c. Bilioſi difficilius. Melancholici verò difficilimè amore capiuntur, quandò tamen amore capti ſunt numquàm liberantur, vel ſaltem difficilimè. Pituitoſi propter craſſitiem, & frigiditatem ſpirituum, vel numquàm amore capiuntur, vel ſi capiantur, ità lentè, vt difficilè amor diù perſeuerare poſſit; vnde iſti pituitoſi non ſolùm non amantur, ſed etiam odio habentur.

Effectus amoris ſunt macies, pallor, vigiliæ, concauitas oculorum palpebrarum luciditas &c. propter continuam cogitationem amantis; Nàm amans memoriam ſui obliuioni mittens perpetuò rem amatam cogitat, atque meditatur; de quo amante loquens Plato in ſimboſio, ait, animam amantis in proprio corpore mori, in alieno verò viuere. Vnde dici ſolet, quòd anima amantis non eſt in corpore, quod informat, ſed in corpore, quod amat; ex hac igitur profunda, & perpetua cogitatione in amante prouenit ecſtaſis amantis, quia nimirùm

ani-

anima in perpetua, & profunda cogitatione omnes potentias ad ſe trahens, nullam in corpore efficit operationem.

Inter effectus amoris eſt etiam zelotypia, quia amans, timẽs, nè poſſeſſio rei amatæ perturbetur, conatur expellere omne, quod illi apprehenditur ſui amori oppoſitum.

De Deſiderio.

Deſiderium eſt appetitus alicuius boni abſentis, cum intentione faciendi illud præſens.

Deſiderium oritur ex amore, & tendit, atque terminatur ad delectationem. Vndè iſta tria Amor; Deſiderium; & Delectatio habent idem obiectum, ideſt bonum, cum hoc tamen diſcrimine; quia Amor tendit in bonum præſcindendo ab eo, quod ſit abſens, vel præſens; Deſiderium tendit ad bonum quatenùs abſens; Delectatio ad bonum vt præſens.

Deſiderium generatur ab ijſdem Cauſis, à quibus gignitur amor, nempè à bono, pulchro, &c. & producit eoſdem effectus, quos amor generat; ideoque in corde fit eadem ferè agitatio, ſeu perturbatio, quæ fit ex amore; Nàm cor ob deſiderium geſtiens ſaltitat, & per omnes partes corporis ſpiritus diffundit tanquam legatos ad rem deſideratam; vt illam ad ſe trahere poſſit. Cor in deſiderio cum maiori impetu mouetur, quàm in amore, ideoque in habentibus temperamentum magis calidum, deſiderium vehementiùs, & intentius eſt: Proptereà iſti ſuſpirant, gemunt, lacrymant, atque decruciantur donec rem deſideratam conſequantur, in alijs verò non habentibus temperamentum adeò calidum, non fit deſiderium adeò vehemens; fit tamen motio cordis maior in deſiderio, quantumuis remiſſo, quàm in amore.

Sciendum eſt, ſecundùm varietatem effectus, ſeu terminorum, ad quos tendit deſiderium; varias habere ſpecies, vel denominationes: Nàm deſiderium in diuitibus, quatenùs reſpicit diuitias; dicitur auaritia; In venereis, quatenùs reſpicit actus venereos, dicitur libido, in honoribus; dicitur Ambitio; in eſculentis, quatenùs reſpicit cibum, & potum, dicitur cupiditas.

De

De Delectatione.

DElectatio eſt complacentia boni iam acquiſiti.

Sciendum eſt, bonum in delectatione non ſemper eſſe verum bonum, ac reale, ſed aliquandò eſſe apparens; apprehenſum tamen à nobis, vt verum bonum, & reale; Vndè ortum fuit illud commune dictum;

Quis quis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam.

Variæ ſunt Cauſæ delectationis, quarum prima eſt bonum cognitũ, vt ſuperiùs dictum eſt, ſecunda eſt aliqua operatio, cùm ſine operatione nulla delectatio eſſe poſſit; tertia eſt varietas cũ omnis varietas delectet, vt vulgò dici ſolet; quarta ſunt paſſiones & dolores ex amore, & deſiderio geniti propter bonũ, quod de facto poſſidetur; quinta aliquãdò eſſe poteſt ſpes futuræ poſſeſſionis boni, & aliquandò memoria poſſeſſionis boni præteriti.

Multi ſunt effectus delectationis; quorum primus eſt perfectio operationum, quia vt ait Ariſtoteles 10. Eth. dùm agens inquit cum delectatione agit attentius, ac diligentius operatur. Secundus effectus eſt ſanitas corporis, quia per delectationem tolluntur omnes curæ moleſtiæ, atq; mœrores, quæ omnia anſietatẽ, & afflictionẽ corpori afferre ſolent; Hoc tamen delectatio efficit, dùm eſt moderata, ac placida, & tunc dicitur voluptas, & obletatio; ſi verò delectatio ſit nimis profuſa, non ſanitatem, ſed ægritudinem, & mortem affert, vt infrà dicemus. Tertius effectus delectationis eſt dilatatio cordis reſpectu cuius effectus, delectatio dicitur lætitia. Quartus effectus eſt effluxio ſpirituũ vitalium à corde; eorumque per totum corpus perfuſio; qui ſpiritus per corpus perfuſi reddunt vultum floridum rubicundum & in riſu pronum, &c. & in ordine adhunc effectum, delectatio dicitur iucunditas, & hilaritas, iidem ſpiritus per habitum corporis effuſi faciunt membra corporis, quaſi ſaltitare, & in ordine adhunc effectum delectatio dicitur Exultatio. Aliquãdò propter magnam copiam ſpirituum vitalium per totum corpus effuſam membra redduntur inquieta, & delectatio vehe-

men-

mentior, & tunc delectatio dicitur Iactatio. Aliquandò inquietudo corporis eſt magna, & delectatio maximè vehemens, & tũc dicitur inſolentia. Ad delectationem reducitur inuidia, quatenùs eſt delectatio de malo alieno, cùm malum alteriùs ſit bonum inuidi.

Riſus etiam eſt paſſio animæ, & effectus delectationis. Eſt paſſio animæ, quia in riſu cor expanditur; eſt effectus delectationis, quia ab illa prouenit. Pro cuius intelligentia ſciendum eſt, ad riſum excitandum requiri admirationem, & gaudium; admiratio eſt apprehenſio rei nouæ inſuetæ, ac admirabilis; gaudium eſt alicuius rei bonæ; admiratio ad riſum requiſita non debet eſſe magna, quia ex magna admiratione non riſus, ſed ecſtaſis oritur, vndè riſus eſt ſignum admirationis, & gaudij. Quod ad riſum requiratur, tàm admiratio, quàm gaudium, patet; quia omnia animalia gaudent, & tamen nullum animal præter hominem admiratur; ergò vtrumque requiritur: vndè riſus ex titillatione ortus, non eſt verus riſus, ſed aliqua operatio riſui ſimilis; talis enim titillatio prouenit ex hoc, quòd ſint quædam partes corporis, in quibus deſinunt capita muſculorum, quibus tactis ſentitur quædam voluptas, ſicut etiam delinitis quibuſdã partibus carneis percipitur voluptas, quæ voluptas, cùm repentè, & latenter accidat, transfundit ad cor gaudium cum quadam ſpecie nouitatis; ideòque nullus ſe ipſum titillare poteſt, quia nullus tactus poteſt ſibi occultè occurrere.

Ex dictis infertur, fatuos facillimè ad riſum moueri, quia iſti leuioribus cauſis, iocis, vel facetiis ad riſum mouentur, mirantur enim res non mirandas, eorũ riſus cũ cachinnis ferè ſemper aſociatus eſt: propterea immoderatè cum cachinnis ridentes præcipuè ſuos iocos, vel facetias enarrando, fatui, vel ſaltèm ſemifatui ſunt. Pueri propter eorum humiditatem, & imperitiam facilè admirantur, & ad riſum mouentur; ſanguinei, cum aliis hilariores ſint, faciliùs ad riſum mouentur; de bilioſis, & aliis ſuperiùs ſub nomine imaginationis, & ingenij iàm dictum eſt. Sciendum eſt, moderatè ridere cum iocos alteriùs audimus, turpè quidem non eſſe; immò ioci aliquandò ſunt talis naturæ, & gratiæ, vt neceſſariò ad riſum excitent: ridere verò enarrando

ſuas

ſuas facetias proprias, & iocos turpè eſt, quia illud, quod dicit, repentè, & inopinatè occurrere videtur.

Sciendum eſt ſecundò modeſtè iocari affectum non eſſe, ſed bonam qualitatem honeſti viri, alacritatem indolis, & animi tranquillitatem denotat, quæ ſunt ſigna virtutis.

Dubitari ſolet de membro riſum faciente. Democritus enim, multique alij dicebant eſſe lienem, quia adempto liene, tollitur riſus; ſed iſti malè dicunt, quia etiamſi adempto liene auferatur riſus, non propterea ſequitur, quòd lien ſit cauſa riſus; Ratio eſt, quia ablato liene aufertur expurgatio melancholiæ, quæ per habitum corporis perfuſa mærorem, & non riſum generat. Præcipuum membrum riſum efficiens eſt cerebrum, in quo facultas animalis inhærens, mota ab admiratione, & gaudio excitat facultatem motiuam ad mouendos muſculos thoracis, oris, vultus, alioſque ad faciendam illam vocem in articulatam hiatum oris, buccas, aliaque riſum conſtituentia. Vndè riſus ſic definiri poteſt. Riſus eſt hiatus oris, & vultus motus cū voce inarticulata, ſeù cachinnis denotans admirationem, & gaudium; à quibus genitus eſt.

De Odio.

ODium eſt diſplicentia mali, vt malum eſt præſcindendo ab eo, quòd ſit præſens, vel abſens.

Odium eſt omninò contrarium amori; & quia contrariorum contrariæ ſunt Cauſæ, & effectus, odium producitur ab oppoſitis cauſis amoris, & producit diuerſos effectus: Nàm ſicuti amor prouenit à bono, pulchritudine, & ſimilitudine, ita odium à malo, turpitudine, & diuerſitate: quemadmodùm enim in amore cor ſpiritus à ſe ad habitum corporis effundit, tanquam obuios, ac legatos ad rem amatam, geſtiens, atque ſaltitans; Ita in odio Cor ſe conſtringit, eiuſque ſpiritus ab externis corporis partibus ad ſe reuocans eos ſuffocat.

Digitized by Google

De Fuga.

FVga eſt diſplicentia mali abſentis, quod malum, vel in ſe eſt verè realiter malum, vel eſt bonum, ſed apprehenſum, vt malum.

Fuga eſt oppoſita deſiderio, & aliquod mediũ inter odiũ, & triſtitiã, ſicuti deſideriũ eſt mediũ inter amorẽ, & delectationẽ, & ſicuti amor verſatur circa bonũ, vt ſic deſideriũ circa bonũ abſẽs Delectatio circa bonũ præſens; Ita odium verſatur circa malũ, vt ſic; fuga circa malum futurum; vel abſens; Triſtitia circa malum præſens, & aſſecutum. Vndè propter rationem ſuperiùs allatam fuga producitur ab oppoſitis cauſis illis, à quibus producitur deſiderium; & efficit effectus oppoſitos effectibus deſiderii; Propterea in fuga cor magis conſtringitur, & ſpiritus ſuffocat, quàm in odio; ſicuti in deſiderio magis dilatatur, & effundit ſpiritus, quàm in amore.

De Triſtitia.

TRiſtitia eſt diſplicentia mali, actu affligentis. Cauſæ triſtitiæ ſunt oppoſitæ cauſis delectationis. Prima eſt malum præſens perceptum, ſeù apprehenſum. Secunda eſt aliqua operatio mala, quæ dolorem, & mœrorem affert, vt ſunt nimiæ curæ, vigiliæ, ſtudia, &c. Tertia cauſa, & præcipua eſt humor melancholicus, qui in corpore genitus, triſtitiam generat; vt patet in melancholicis, qui ferè ſemper mærent; lugent, atque plorant.

Effectus triſtitiæ ſunt oppoſiti effectibus delectationis. Primus eſt cordis conſtrictio, & ſpirituum ſuffocatio; quia cor in triſtitia ſe conſtringendo, calorem natiuum, & ſpiritus ſuffocat; vndè ſequitur detrimentum ſanitatis, & aliquandò ipſa mors. Secundus eſt luctus, qui aliquandò eſt cum eiulatu, & aliquandò ſine eiulatu; Tertius eſt labor; vexatio corporis, multaque alia. Ad triſtitiam reducitur inuidia, quatenùs eſt diſplicen-

tia boni alieni, cùm bonum proximi ſit malum inuidi.

Triſtitia igitur reſpectu diuerſorum effectuum diuerſas habet denominationes; Quatenùs triſtitia, cor reſtringit, atque premit, dicitur angor, quatenùs eſt cum labore, dicitur ærumna, cum vexatione corporis, dicitur afflictio. Quatenùs gemitum generat, mæror, & luctus dicitur; Quatenùs cum gemitu eiulationem efficit, dicitur lamentatio. Si verò ſit cum continua cogitatione, ſollicitudo dicitur, ſi diù perſeueret, appellatur moleſtia.

Infertur ex dictis, illos, qui faciliùs paſſionibus animæ opprimuntur, faciliùs excitari ad gemitum, & lacrymas; propterea pueri, & mulieres faciliùs ad gemitum, & lacrymas mouentur. Melancholici etiam ab humore melancholico, vt alibi fusè dictum eſt.

ARTICVLVS III.

De Operationibus Appetitus Iraſcibilis.

OPerationes appetitus iraſcibilis ſunt, conatus tollendi arduitatem, ſeù difficultatem, quæ eſt in bono, vel in malo à ſe apprehenſo.

Operationes Appetitus iraſcibilis ſunt quinque, Spes; Deſperatio; Timor, Audacia, & Ira.

Spes eſt appetitio boni futuri ardui, ſeù difficilis, quod tamen bonum apprehenditur, vt poſſibile. Cauſæ ſpei ſunt cauſæ amoris, & deſiderii, diuerſo tamen modo: Nàm bonum, vt cauſa ſpei apprehenditur tanquam arduum, & difficile; licèt apprehendi debeat, vt poſſibile; quia nemo ſperare videtur aliquod impoſſibile, neque aliquod, quod poſſidetur. Proptereà ſpes propriè dicitur illa, quæ verſatur circa aliquod bonum difficile, ſed tamen perceptum, vt poſſibile.

Spes producit eoſdem effectus, quos producit deſiderium; Vnde cor dilatatur, & effundit ſpiritus ad habitum corporis. ſi-

cuti in deſiderio. Ad ſpem, præterea requiritur longanimitas in expectando, & patientia inferendo.

De Deſperatione.

DEſperatio eſt affectus appetitus iraſcibilis, proueniens ex apprehenſione boni, quod iudicamus, nobis obtinere, eſſe impoſſibile, vel ſaltem nimis difficulter.

Deſperatio eſt oppoſita ſpei, & verſatur circa idem bonum; ſpes tamèn illud reſpicit, vt difficile acquiſibile, ſed tamèn, vt poſſibile; Deſperatio verò reſpicit illud bonum, vt impoſſibile; Propterea deſperatio producitur ab oppoſitis cauſis ſpei, atque efficit diuerſos effectus. Vndè Cor in deſperatione coarctatur, & ſpiritus ſuffocat, ſicuti in fuga.

De Timore.

TImor ſeù metus eſt affectio ex cognitione mali imminentis orta, quod iudicamus euadere non poſſe, vel ſaltem difficultèr.

Timor verſatur circa aliquod malum non præſens, ſed futurum, quod, licèt concipiatur, vt arduum, & difficile euaſibile; eſt tamèn cum aliqua exigua ſpe, illud euitandi, quia ſi iudicaretur, vt ineuitabile, & præſens, eſſet triſtitia, non timor. Vndè timor ſemper ſecum affert aliquam ſpem; malum illud imminens euitandi.

Timor ſecundum varias ſuas Cauſas proprietates, & apprehenſiones in ſe terminatas, E.G. aſſuetudinem contingendi, non contingendi, diù perſeuerandi, vehementiam, magnitudinē, &c. diuerſas obtinet denominationes.

Vndè præcipua cauſa timoris eſt malum imminens, difficile euaſibile, quod malum, ſi contingere non ſit conſuetum, timor, quem generat, dicitur ſtupor; ſi verò malum ſit repentinum, timor ab illo genitus, dicitur admiratio; ſi malum illud diù perſeueret, timor dicitur formido; ſi timor proueniens à malo ſit vehemens, & valdè corpus percutiat, dicitur terror; ſi ob apprehenſionem mali imminentis iudicium perturbetur, dicitur

pauor

pauor, ſi hoc malum conſiſtat in labore corporis, dicitur ſegnities; ſi malum imminet malum infortunium; timor ab illo genitus dicitur agonia.

Secunda cauſa timoris eſt temperamentum melancholicum; melancholici enim continuò timent, mærentur, terrentur, atque ſinè vlla canſa lugent; quem timorem melancholia, ſiuè producat, quia effunditur per ſubſtantiam cerebri, ſuaque nigredine animum perturbat, vt vult Galenus; ſiue propter proprietatem humoris melancholici, vt vult Auerroes; ſiuè propter frigiditatem eiuſdem humoris, vt quidam alii putant; ſufficit mihi quantum facit ad rem præſentem, quòd melancholia timorem producat, eiuſque ſit cauſa.

Tertia Cauſa timoris eſt magnitudo cordis; animalia enim, quò maiori corde predita ſunt, eò timidiora, & quò minori corde prædita ſunt, eò audaciora exiſtunt.

Confirmatur hoc ex Ariſtotele de partibus animalium cap. 4 vb docet leporem, ceruum, aſinum, murem, multaque alia animalia propter magnitudinem cordis aliis animalibus timidiora ſunt. Ratio huius rei eſt, quia animalia habentia cor magnum, paucum caloris, ſanguinem, & ſpiritus craſſiores continent, quæ caloris paucitas, ſanguinis, & ſpiritus, craſſities illa timidiora reddunt; & è contra, animalia cor paruum habentia, magno calore, ſanguine, ſpiritibuſque tenuiſſimis prædita audaciora ſunt, vt patat in Leone, & aliis.

Confirmatur hoc ex eodem Ariſtotele, qui ſec. 14. probl. 8. ait; habitantes in Regionibus frigidis eſſe audaciores, & habitantes in Regionibus calidis eſſe timidiores. Rationem ait eſſe, quia frigus externum intendit, atque auget calorem naturalem intùs; nimiùs verò calor extrinſecus abſumit intùs calorem naturalem, ideòque milites, inquit, Traciæ propter frigiditatem Regionis, quam colunt, ſunt audaciores, & bellicoſi: Aſiæ verò milites propter nimium calorem Regionis, quam habitant, timidiores ſunt.

Infertur igitur ex dictis, ſenes propter caloris decrementum ab ætate, & frigoris augmentum, iuuenibus timidiores eſſe. Pueros propter magnam humiditatem, quæ ſupprimit calorem natu-

naturalem, aliis hominibus timidiores eſſe. Ebrios propter ſuffocationem caloris, à nimia calliditate vini timidos euadere: Hyberno tempore propter intenſionem, & augmentationẽ caloris in viſceribus homines audaciores; æſtiuo tempore propter detractionẽ caloris à viſceribus ad habitum corporis; eiuſque abſumptionem, homines timidiores euadere.

Varij ſunt effectus timoris; nempè Pallor faciei; Refrigeratio externarum partium; Tremor; Horror; ſtridor dentium, excretio excrementorum &c. Hæc omnia in timore ſequuntur, quia cor calorem natiuum; & magnam copiam ſpirituum ex habitu corporis ad ſe reuocans, conſtringendo ſe, eos ſuffocat: reliqui verò per habitum corporis manentes, quidam craſſiores redduntur, & quidam ex ipſis extinguntur: ob abſumptionem caloris natiui, ſpirituumque vitalium; partes corporis calore natiuo, & ſpiritibus depauperatæ pallent, refrigerantur: & quia inſtrumenta motus ob abſumptionem caloris læduntur; tremunt; horrent; ſed quia propter eiuſdem caloris abſumptionem muſculi relaxantur, & potentia retentrix debilitatur, excrementa vrinæ, & alui foras effluunt, alioſque humores natura deorſum trudit.

Ad timorem reducitur verecundia, quæ ab Ariſtotele 4. ethi. definitur, eſſe quidam metus dedecoris, & infamiæ; verecundia cauſatur ab iiſdem cauſis, à quibus cauſatur timor; ſed quia, vt plurimùm generatur ex rebus malis, quæ faciendæ non ſunt, ideò Ariſtoteles loco ſupra citato ait, verecundiam non omni ætati, ſed pueritiæ conuenire, vndè non ab iſs ætatibus, ſed ſolùm pueritiæ, & adoleſcentiæ laudabilis eſt; viris enim, & ſenibus, ea ex quibus pudor naſcitur, facere non licet. Verecundi primò pallent, rigent, atque tremunt, propter attractionem ſanguinis, ac ſpirituum ab externis partibus ad cor; deindè nimis erubeſcunt, propter eius ſanguinis, & ſpirituum à corde ad habitum corporis effuſionem.

Quæres, cur verecundi oculos deorſum tendant?

Reſpondeo quia oculi, cùm ſint ſpeculi animi, in quibus cognoſcuntur eius paſſiones, vt in ira, amore &c. verecundus oculos, & palpebras deorsùm vertit, vt eos aſpiciens nè percipiat cauſam pudoris, ſeù verecundiæ.

De

De Audacia.

AVdacia eſt perſecutio rei arduæ, qua animal aggreditur ad ſuperandum malum; Audacia timori oppoſita eſt; cùm hæc ſit progreſſus ad ſuperandum malum, ille verò fuga mali.

Cauſa præcipua Audaciæ eſt ſpes acquirendi bonum abſens apprehenſum, vt poſſibile, arduum tamen, ac difficilè, quod bonum aliquandò eſt honor, aliquando diuitiæ, & aliquandò aliquod quid vtile. Aliæ cauſæ audaciæ ſunt apprehenſio magni boni, parua exiſtimatio ardui mali, abundantia caloris naturalis, paruitas cordis, tenuitas ſanguinis, ac ſpirituum, &c.

Effectus audaciæ aliquandò eſt Ira, Calamitas, triſtitia, & alia ſimilia mala; aliquandò lætitia, gaudium propter adeptionem boni, & victóriam mali. Dum audacia eſt nimis vehemens, & modum excedens, non dicitur audacia, ſed temeritas.

De Ira.

IRa eſt proſecutio mali præſentis, ardui in quod animal inſurgit ad illud ſuperandum.

Species Iræ quatuor aſſignari ſolent, ſed quia non videntur differre eſſentialiter, non ſunt dicendæ propriè ſpecies, ideoque ego claritatis gratia dico, iram eſſe Quatruplicem, nempè candeſcentiam, iracundiam, maniam, & furorem.

Excandeſcentia eſt Ira placida, & mitis, quæ citò incipit, & ocyus definit. Iracundia eſt ira, quæ citò, & vehementer incipit ob cauſas, quantumuis læuiſſimas, ſed facilè, & citò deſiſtit. Mania eſt ira, quæ non ſtatim, ſed paulatim, & difficulter excitatur, diù tamen permanet, & difficilè deſiſtit. Furor eſt ira, quæ citò, & vehementer excitatur, quæ ſine vindictâ nunquam placari poteſt.

Cauſa extrinſeca Iræ eſt malũ præſens arduum, in quod propellere inſurgimus; & hoc malum ſemper eſt annexum cum aliquo dolore, vel iniuria, vel contemptu, vel contumelia iraſcentis,

tis, vel alijs iram excitantibus, quæ ſecundum ſuam magnitudinem, vel paruitatem, magis, vel minùs iram augent.

Cauſa intrinſeca eſt ipſa bilis, quæ, ſi ſit pura, citò, & vehemēter excitat iram, quia cum ſit calida, & ſicca facilè accenditur; ſi verò ſit aſſociata cum aliqua portione ſanguinis, non eſt adeò vehemens, neque tam citò excitatur, cum nimia caliditas, & ſiccitas bilis à ſanguine aliquantulum temperetur; ſi verò ſit bilis aſſociata cum aliqua portione melancholiæ difficiliùs accenditur, diù tamen perſeuerat propter frigiditatem melancholiæ, cui proprium eſt facere illam poſſidētem obſtinatum, & rei ſemel impreſsæ diù memorem; vndè ratione bilis eſt iracundus, ratione melancholiæ, diù in ira perſeuerans, ſi verò bilis ſit aſſociata cum aliqua portione pituitæ, vel iram excitare non poteſt, vel ſi excitet adeò placidam, vt vix ira dici poſſit, propter humiditatem, & frigiditatem pituitæ. Vndè quidam magis, & quidam minùs iraſcuntur propter maiorem, vel minorem participationem bilis; cætera verò temperamenta, nempè ſanguineum, pituitoſum, & purum melancholicum, vel ad iram non excitantur, vel ſi excitentur, non citò, & vehementer.

Effectus iræ alij ſunt intrinſeci, & alij extrinſeci; intrinſeci ſunt primò, motus vehemens cordis, nunc ſaltitantis, nunc ſe conſtringentis; Vndè cor palpitare percipitur; ſecundò excitatio ſanguinis ferueſcentis, ac ſpirituum circa cor, eorumque repentina diffuſio per habitum corporis, ad vindictam iniuriæ emiſſio.

Effectus extrinſeci ſunt rubor faciei, & totius corporis motus propter effuſionem ſanguinis, & ſpirituum à corde ad externas partes corporis; rubor, & motus oculorū, dilatantur palpebræ, & pili eriguntur, vnde animal, terribile aſpectu euadit, quod totum prouenit ex eo, quòd natura ad oculos, tanquam ad partē violatam, magnam copiam ſanguinis, & ſpirituum tranſmittit, vt ſuo celeri motu, & ſenſu iniurias ſuas perſequantur, huic effectui iræ nitebantur Aegyptij, qui iracundiā ſignificare volentes, leonem pingere ſolebant; alter effectus iræ eſt perturbatio mentis, & imagitnaginationis, propter quam aliquandò muteſcūt, aliquādo vociferantur, & inordinatè loquutur. Frequenter

ira-

iracundi ſuſpirant propter magnam copiam fuliginis, quæ circa cor ab accenſione ſanguinis, eiuſque ſpirituum genita, quam conatur à ſe expellere, ſuſpirare nihil aliud eſt, quàm nimis intenſa expiratio, ac inſpiratio; per inſpirationem cor ad ſe trahit multum aeris frigidi per expirationem foras expellit ſimul cum aere calido multas fuligines.

Oppoſitum iræ eſt manſuetudo, quæ eſt animi, & corporis tranquillitas; manſueſcere, ſeù miteſcere, & iraſci, contraria ſunt, inquit S. Thomas de animi pathematibus.

Sciendum eſt, amorem, deſiderium, & delectationem ſalubria eſſe, dummodò ſint moderata; ſi verò ſint immoderata inſalubria ſunt. Odium triſtitia, timor ira, & alia non ſunt ſalubria, & ſi modum excedant non ſolùm inſalubria, ſed exitialia euadunt: multi enim nimio mœrore, triſtitia, terrore, &c. & etiam ex magna lætitia, ſeu gaudio, repentè mortui ſunt. Cauſa huius mortis eſt, quia in nimia lætitia cor effundens ſpiritus immoderatè ad habitum corporis, refrigeratur, vnde ſtatim, & ipſa ſubitanea mors: in nimio verò mœrore, vel triſtitia cor ſpiritus ex omnibus partibus corporis ad ſe reuocans illos diſſipat, atq; extinguit, vndè ſequitur ſubitanea mors.

Vndè in omni paſſione animi ſpiritus diſſipantur, ſi nimirùm paſſio mediocritatem excedat; nàm de Chryſippo philoſopho antiquo, enarrant, qui videns aſinum ficos comedentem in patina, iuſſit ancillæ, vt daret vinum aſino bibire, ex admiratione, & gaudio ad riſum, ita excitatus, vt ridendo, interijt: quantum ad breuem methodum philoſophandi dicta de animi pathematibus ſunt ſatis.

QVAESTIO II.

De Potentia motiua,

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex ſit potentia motiua, eiuſque motus.

POtentia motiua eſt principium effectiuum motus localis, qui eſt tendentia à loco ad locum.

Duplex eſt potentia motiua, Alia naturalis, quæ operatur independenter à voluntate. Altera animalis; quæ dependenter a voluntate operatur, ideſt ad arbitrium animalis; nunc enim excitat motum, nunc tardiùs, & nunc celeriùs.

Similiter duplex eſt etiam motus, alter naturalis, qui fit neceſſariò, & independenter ab imperio voluntatis, alter animalis, ſeu ſenſitiuus, ad arbitrium voluntatis nunc incipit, & nunc deſinit. Hic motus dicitur propriè progreſſiuus, vt eſt quilibet motus corporis.

Duplex eſt rursùs motus animalis, ſeu ſenſitiuus, (quantum facit ad rem præſentem) alter qui dicitur motus ſimplex, & hic fit ſine nimia agitatione corporis, vt eſt lenta ambulatio, alter, qui dicitur exercitium, & hic fit cum magna exagitatione corporis.

Vndè medici illum ſolum motum exercitium appellant, qui fit cum tanta agitatione corporis, vt ſuſpirium, ſeu anhelitum excitet. Vt patet ex Gal. qui lib. 2. de ſanit. tuen. ait: 1. non omnis motus exercitium videtur, ſed ſolùm ille vehemens, cuius terminus eſt ſuſpirium, & anhelitus.

Sciendum eſt adhoc, vt aliquis motus ſit exercitium, non ſufficit, quòd ſit motus vehemens, ſed præterea requiritur, vt

fiat

fiat cum aliqua delectatione, & per hoc differt à labore; Vndè labor definitur, motus vehemens cum aliqua moleſtia. Exercitium definitur, motus vehemens cum aliqua delectatione.

Dico, exercitium moderatum maximè ad ſanitatem conferre. Probatur primò ex Gal. de ſalub. diæta, vbi ait hominem edentem ſine exercitio ſanum eſſe non poſſe, & Hipp. 6. epid. com. 4. ait, ad tuendam ſanitatem non eſſe ſumendum cibum vſque ad ſatietatem, neque pigrum eſſe debere ad laborem, & exercitium.

Probatur ſecundò, quia ex moderato exercitio primò ſpiritus multiplicantur, qui multiplicati, & valentiores redditi, per neruos, venas, & arterias celeriter ad vniuerſum habitum corporis feruntur, atque ad augmentationem caloris natiui, eiúſq; reductionem celeriùs, ac ſtrenuè concurrunt.

Secundò ex moderato exercitio calor natiuus excitatur, & augetur, quia motus cùm ſit calefactiuus, excitat, veluti flabellũ calorem natiuum totius corporis, eum multiplicat, atque intendit in omnibus partibus corporis; propter igitur multiplicationem ſpirituum, & caloris natiui, eorumq; intenſionem, ac perfectionem per totum habitum corporis, facultates, tàm principes, nempè nutritiua, augmentatiua, & generatiua, quàm famulares, idest attractrix, concotrix, retentrix, & expultrix, validiores redduntur, & conſequenter ſuum munus benè, ac perfectè efficiunt, propterea homo robuſtus, ſanus, & ſine moleſtia viuit.

Sciendum eſt, ſicuti moderatum exercitium ad vitam vtile eſt, ità nimium, & immoderatum nociuum, atque noxium eſt; nàm nimius motus, ſeù immoderatum exercitium calorem natiuum diſſoluit, & præter naturalem inducit, neruorum, & muſculorum robur minuit, corpus exſiccat, debilitat, emaciat, atque fluxiones mouet; præſertim ſi corpora ſint in laboribus inſueta. Confirmatur ex Hipp. lib. 6. epid. vbi labor, cibus, potus, quies, ſomnus, venus, omnia mediocria, inquit, eſſe debent.

Quæres quantum exercitium eſt neceſſarium ad ſanitatem? Reſpondeo ſe exercendum, donec incaleſcat, ac paulùm intu-

meſcat, ſudor cum vapore calido, color floridus, reſpiratio magna, & facilis in eo appareat; iſtis ſignis apparentibus ſtatim deſiſtendum eſt ab exercitio, aliter calor natiuus minuitur, ſpiritus exauriuntur, vires deijciuntur, & præcipuè ſi aer ſit calidus, inducit in corpus calorem præternaturalem, qui ſpiritus inflamans febrim generat.

Sciendum tamen eſt ſtatim poſt exercitium quieſcendum, veſtibuſque ſuum corpus cooperiendum, donec ſe ad priſtinam temperiem, quam ante exercitium habebat, redeat, quia poſt exercitium, cùm corpus ſit calidum, eiuſque pori aperti facilè refrigeratur, quòd frigus, tuſſim, catharrum, pleuritidem, multaſque alias ægritudines generat.

Aduertendum etiam eſt, nè ſtatim poſt exercitium bibendum, vel cibum aſſumendum, cùm ex hoc generari ſolent quàm plurimæ affectiones corporis.

Quæres quò tempore eſt exercendum?

Reſpondeo, opportunum tempus exercitij eſſe manè ante prandium, patet ex *Hip*. 6. epid. ſect. 4. vbi ait: labores cibum præcedere debent.

Sciendum eſt, exercitium in principio debet eſſe lentum, in medio vehementiùs, in fine remiſſiùs. Ante tamen exercitium excrementis vtriuſque partis, nempè alui, & veſicæ euacuandis, vt ne per exercitium excrementa in habitum corporis detrahantur. Statim poſt paſtum nullo modo eſt exercendum, & probatur ex Gal, lib. 6. de ſanitate tuen. vbi ait: exercitium à cibo, caput vaporibus implere, idem Gal. de Sal. die exercitationes à cibo, inquit, ſunt cauſa, cur viſcera multorum ſint obſtructa.

Probatur ſecundo, quia agitatio corporis cibum crudum, antequam nimirum coquatur, protrudere poteſt, quæ cruditas in venis plurimos generat morbos.

Præterea per illam agitationem corporis calor, & ſpiritus à ventriculo ad habitum corporis detrahuntur. Vnde ventriculus remanet ità depauperatus, vt cibum ampliùs concoquere non poteſt, ideò oriuntur cruditates, putredines, aliaque mala. Omnino id contingit per ſtudium, ſtatim poſt cibum factum, ideoque opportunum, & optimum tempus ſtudij, eſt matu-

matutinum, & propterea vulgò Aurora Muſis amica dici ſolet.

Colligitur ex dictis, ſalernitanum illum verſum non eſſe intelligendum, vt ſonat.

Poſt menſam ſtabis, vel paſſus millè meabis;

quia ſtare, vel meare intelligendum lentè progredi, non verò exercitari, acproinde melius dicunt hoc modo ſcribentes:

Poſt coenam ſtabis, vel lento paſſu meabis.

Quæres, an omnibus hominibus æquè conueniat exercitium?

Reſp. omnibus hominibus exercitium æquè non conuenire, ſed quibuſdam plus, quibuſdam minùs, & quibuſdam nullo modo: illi enim, qui habent bonam valitudinem, ſingulis diebus exerceri debent, tempore tamen opportuno, ideſt ante prandium, vel poſt prandium facta concoctione poſt nimirum quinque, aut ſex horarum ſpatium.

Illi verò, qui bona valitudine non gaudent, vt ſunt illi, qui vertigine, dolore aurium, dentium, vel aliqua alia affectione corporis laborant exerceri non debent, vt patet ex Hip. 6. epid. vbi, ſi impurgatus laboraueris, inquit, vlcera accidunt cùm exercitium in corporibus malè affectis humores peccantes ad cutim trahat, & Gal.3. aphor. com. 20. ait nimium exercitium, ſi inueniat corpus cacochimicum, multos morbos generat.

Dico, robuſtioribus vehementiùs, debilioribus debiliùs adoleſcentibus, ac iuuenibus celeriùs, & ſæpiùs; ſenibus verò tardiùs; ac rariùs exercendum. Item carnoſis celeriùs, gracillioribus tardiùs eſt exercendum.

Ratio huius rei eſt, quia motus tardus carnem rarefacit, atque auget, celer denſat, ac attenuat; vehemens corpus extenuat, illudque gracile reddit: ſi igitur pingues graciles euadere velint, ſæpè, & ieiunis illis eſt exercendum, & cibum aſſumendum, ſuſpirando, ac anhelando ob exercitium. Ratio vlteriùs huius rei eſt, quia ob exercitium corpus incaleſcit, quo calefacto pinguedo liqueſcit; & quia venter habet multum pinguedinis, qua liquefacta extenuantur, & ſic ob exercitium graciles euadunt.

Quæ-

Quæres inter exercitationes, qualis ſit melior, & ad ſanitatem magis conferens? Reſpondeo, quidam laudant deambulationem, quidam æquitationem, & quidam alias, ego cum Gal. Dico, ludum paruæ pilæ omnium exercitationum optimam eſſe, & ad ſanitatem magis conferentem. Probatur, quia cæteris exercitationibus non agitantur omnia membra corporis; ambulatio enim, & curſus, crura, & pedes, equitatio lumbos, cytharizatio manus, cantus thoracem, & fauces, tractio armorum brachia exercent; ludo vero paruæ pilæ omnes partes corporis agitantur, ſaltando nimirùm, eundo, redeundo, girando, inclinando, ridendo, clamando, variiſque alijs iucundis motibus omnia membra corporis exercitantur; Vnde omnium optima eſt, & ad ſanitatem magis conferens; Et confirmatur à Gal. lib. de luſu paruæ pilæ, vbi hoc exercitium maximè laudat.

ARTICVLVS II.

De modo quo fit motus in toto Corpore.

PRo cuius intelligentia, ſciendum eſt, obiectum ſenſibile per ſuam ſpeciem, mouere ſenſum externum, ſenſumque externum mouere ſenſum communem, ſenſum commune phantaſiam, & phantaſiam æſtimatiuam, ſeù iudicatiuam, quæ æſtimatiua rem ſibi repræſentatam à phantaſia, iudicans eſſe bonã, ſibi conuenientem, vel malam, & inconuenientem, mouet appetitum, qui à bonitate, vel malitia obiecti ſtimulatus, excitat potentiam motiuam in cerebro exiſtentem, quæ potentia per ſpiritus animales in neruis exiſtentes imperat, vt fiat motus, ſeù excitet motũ in partibus corporis. In animalibus verò rationalibus appetitus ſenſitiuus, antequàm ſtimulet, ac excitet potentiam motiuam, illud ſibi repræſentatum affert appetitui. Rationali, vt illud approbet; ſi igitur approbet, ſtimulat potentiam motiuam, & fit motus; ſi verò non approbet, ſed tanquam malum reijciat contenſio oritur inter appetitum ſenſitiuum,

uum, & rationalem, vt ſuperiùs etiam dictum eſt, donec alter vincat, & ille, qui vincit, facultatem motiuam, imperat, & dicitur principium motus.

Quæres quomodò cerebrum; ſeù facultas exiſtens in cerebro tàm citò, vt ferè in inſtanti, imperat, vt fiat motus E.G. in pede?

Reſpondeo, quidam dicunt talem imperium prouenire ab ipſa Anima, quæ, cùm ſit eadem in cerebro, & in pede, cognoſcens imperium factum in cerebro, imperat motum illum in pede.

Sed iſti malè dicunt, quia poſito, quod ſit aliqua obſtructio in crure, imperet anima motum in pede, quantum poteſt, certè donec exiſtat illa obſtructio, pes moueri non poteſt; ergò talis motus non prouenit ab imperio animæ.

Quidam alij putant facultatem motiuam exiſtentem in cerebro mittere aliquos ſpiritus influentes à cerebro ad pedes, qui ſpiritus motum illum excitant.

Sed neque iſti benè dicunt, quia cùm ſpiritus illi ſint corporei; non poſſunt in inſtanti conficere tantum ſpatij, E.G. à capite ad pedem, cùm corpus in inſtanti moueri non poſſit, ſed ſucceſſiuè; ergò ab iſtis ſpiritibus motus prouenire non poteſt.

Probabiliùs mihi videtur, imperium motus in pede, fieri ex quadam continuatione ſpirituum animalium, quæ à cerebro per neruos, vſque ad pedes progrediuntur; illud enim imperium facultas motiua imprimit in ſpiritibus ſibi propinquis, qui cùm ſint quaſi vnus ſpiritus continuus vſque ad pedem, in inſtanti illud imperium peruenit ad pedem, ſicuti dùm aliquis mouet vnam extremitatem alicuius perticæ longæ, mouet ſimul etiam alteram eius partem à motu diſtantem. Simili modo ſpiritus, & ſanguis totius corporis mouent iram in inſtanti, dum E.G. aliquis videt ſuum hoſtem per continuationem, quam habent ſpiritus vitales in corde cum cæteris ſpiritibus totius corporis.

PARS

Digitized by Google

PARS QVARTA

DE ANIMA RATIONALI.

VARIAE queſtiones afferri ſolent ab Auctoribus in tractatu de Anima rationali, quarum aliquas nos agentes de Anima in communi, explicauimus; & quaſdam, vt inutiles, & contra fidem, omittimus; cætera verò de Anima rationali breuitèr hìc explicabimus.

QVAESTIO I.

De Immortalitate Animæ.

SOlet hìc fieri quæſtio de immortalitate Animæ rationalis, quæ cùm ſit de fide, quod ſit immortalis, diſputabitur ſolùm, an in ſententia Ariſtotelis ſit immortalis. Breuitèr igitùr nos hìc hanc quæſtionem, & rationes veritati oppoſitas impugnabimus.

ARTICVLVS I.

An in ſententia Ariſtotelis anima rationalis ſit immortalis.

PRima ſententia ait, animam rationalem in ſententia Ariſtotelis eſſe mortalem. Ità ex veteribus Alexãder Aphrod. primo ſuo de Anima. Galenus primo de locis affectis; Theodorus

Digitized by Google

dorus hic in ſuo libro de anima, Scotus quarto ſententiarum, multique alij, quorum rationes ſunt auctoritates Ariſt.

Prima eorum ratio habetur ex tertio, eth. cap. de fortitudine, fortis, inquit, cùm ſit in diſcrimine morbi timet, quia poſt hãc vitam, neque eſt bonum, neque malum; ergò vult animam eſſe mortalem.

Secunda ratio habetur ex 12. Metaph. tex. 39. vbi ait, quòd intelligentiæ habent ſempiternam fœlicitatem: talis nobis pauco tempore adeſt; nam eſſe nobis ſempiternum, eſt impoſſibilè: ergò anima eſt mortalis.

Tertia ratio eſt, quia Ariſtoteles 2. Poſt. & lib. de Iuu. & ſenect. ait, ſcientiam multis modis corrumpi, vno modo quandò corrumpitur eius ſubiectum, ideſt intellectus.

Quarta ratio eſt, quia anima ſeparatur à corpore; ergò ad aliquem locum vadit, poſt hanc vitam; ſed hoc eſt impoſſibile, quia Ariſtoteles primo de anima increpat eos, qui putabant animam moueri per ſe, & ſexto Phy. tex. 22. Omne, quod mouetur eſt materiale, inquit, & in fine illius lib. ait, nullum indiuiſibile moueri; ſunt plures aliæ rationes, quas breuitatis gratia nos omittimus.

Secunda ſententia ait, in ſententia Ariſtotelis, animam eſſe immortalem. Ita Auer. Auic. S. Thom. & alij quorum rationes ſimiliter ſunt auctoritates Ariſtotelis.

Prima ratio habetur ex primo de partibus animalium cap. 1. vbi ait, intellectum non pertinere ad Phyſicam; ſi ergò non pertinet ad phyſicam, non eſt materialis. Præthereà ait, intellectum non eſſe naturam; ergò non eſt forma phyſica, & materialis. Prætereà intellectus eſt ſubſtantia abſtracta; ergo non eſt mixta cum corpore.

Secunda ratio habetur ex ſecundo de generatione, & corrup. tex. 45. vbi inconueniens eſt, inquit, animam fieri ex elementis quòd neque paſſiones corporis attingunt animam, neque affectiones animæ ſunt corporeæ.

Tertia ratio eſt, Ariſtoteles tertio de anima ait, intellectum ſpeculatiuum eſſe aliud genus animæ, & eſſe perpetuum, potens ſeparari, ſicut perpetuum à corruptibile.

Digitized by Google

Quárta ratio eſt, quia Ariſtoteles in 12.Meta.tex.17. ait, nihil prohibet aliquam formam manere poſt compoſitum, non omnis, ſed intellectus;ſimile docet 10. Eth.cap.2.3. de anima, multiſque alijs locis. Sunt multa alia loca Ariſtotelis, quæ videri poſſunt apud S.Thomam.

Probabilior videtur ſecunda ſententia, tùm propter rationes allatas, tùm propter ſequentes demoſtrationes,quæ colligi poſſunt ex ipſo Ariſtotele.

Prima ratio, ſeù demoſtratio habetur ex.tex.5. & 6.huius 3. lib.de anima; vbi ſic decurrit, intellectus noſter ſuſcipit omnes formas rerum tàm materialium, quàm immaterialium; ergo intellectus non eſt corporeus. Antecedens patet, conſequentia probatur, quia formæ ſpirituales non poſſunt recipi in ſubiecto materiali; ergò anima, quæ recipit formas ſpirituales debet eſſe ſpiritualis.

Secunda ratio habetur ex eodem libro de anima tex. 19. vbi ait, intellectum agentem eſſe immixtum,& impaſſibilem,& tex. 22. ait eſſe ſeparabilem, & immortalem, ergò intellectus paſſibilis eſt immortalis.

Conſequentia probatur primò, quia intellectus agens, & paſſibilis ſunt duæ differentiæ animæ rationalis, vt habetur ex tex.17. 3.lib.ergò ſi agens eſt immortalis, & paſſibilis erit immortalis.Secundò ideò intellectus agẽs eſt immortalis, quia facit omnia intelligibilia;ergò & paſſibilis eſt & immortalis,quia recipit omnia intelligibilia. Præterea intellectus ſi agens eſſet immortalis, & paſſibilis eſſet mortalis; intellectus agens eſſet otioſus, quando paſſibilis eſſet corroptus, agens non poſſet agere; ergò æterno tempore maneret ſine actione, quod eſt abſurdum.

Tertia ratio, homo habet liberum arbitrium ſecundum Ariſtolem, quia anima rationalis eſt immortalis. Antecedens patet ex tertio Ethi.& 9.Meta.tex.20. & primo Perhier de futuris contingentibus, & multis alijs locis. Conſequentia probatur, quia ſi anima hominis eſſet mortalis, eſſet materialis, quia dependeret à corpore, & neceſſariò ſequeretur motum corporis; ſed hoc videtur apertè falſum; ergò ſecundum Ariſt. anima eſt immortalis.

Ad

Digitized by Google

Ad rationes primæ ſententiæ Ariſtotelis, Reſpondeo, & primò ad primam, Ariſt. dùm dixit poſt mortem non eſſe, neque bonum, neque malum, eum intelligendum eſſe quoad corpus, non verò quoad animam.

Ad ſecundam rationem Reſpondeo, Ariſtotelem ibi non loqui de intellectu perſe, ſed de homine, dùm eſt in hac vita, & hoc certum eſt, quòd non habeat ſempiternam fœlicitatem, ſed paucam.

Ad tertiam rationem reſpondeo, ſubiectum ſcientiæ non eſſe abſolutè intellectum, ſed intellectum in ordine ad phantaſmata, vndè corrumpuntur ſcientiæ non propter corruptionem intellectus, ſed propter corruptionem vnionis intellectus cum phantaſmatibus; & ideò ſecundùm Ariſtotelem, poſt hanc vitam non reminiſcimur, quia ſcientiæ ſubiectum eſt intellectus in ordine ad phantaſmata.

Ad quartam Reſpondeo, concedo, quòd anima ſeparata à corpore poſſit moueri, & vadere aliquem locum, nego tamen quòd hoc ſit impoſſibile, & quandò Ariſt. ait, indiuiſibile non poſſe moueri, loquitur de indiuiſibili phyſico, quod eſt aliquod corpus, non de anima rationali. Anima enim rationalis, egreſſa à corpore, habet alium motum diuerſum à motu corporis.

ARTICVLVS II.

An lumine Naturæ poſſit demoſtrari immortalitas Animæ.

Dico breuiter lumine naturæ poſſe demonſtrari immortalitatem animæ, & affero aliquas rationes, quæ hoc apertè probant. Prima ratio eſt, quia appetitus naturalis, quem Natura tribuit rebus, non eſt inanis: nam natura nihil facit fruſtrà; ſed omnibus hominibus eſt inſitus amor immortalitatis, & ſine doctrina illum appetunt; ergo non poteſt eſſe inanis, & conſequenter datur immortalitas animæ.

Digitized by Google

Secunda ratio eſt, quia vel non datur vltimus finis hominis, vel datur, ſed non poteſt acquiri, vel datur & poteſt acquiri. Non poteſt dici primum; quia cur dicendum eſt, hominem non habere vltimum finem? cùm omnis creatura habeat vltimum. Non poteſt dici ſecundum, quia ſi daretur vltimus finis hominis, & ab eo acquiri non poſſet fruſtrà daretur; ergo dicendum eſt, quod homo habeat vltimum finem, & ab eo acquiri poſſit: ſed non poteſt acquiri in hac vita, quia vltimus finis dicitur ille, quo acquiſito homo quieſcit, & quia quacumq; bonitate acquiſita in hac vita, homo non quieſcit, neque eſt contentus; ergo vltimus finis hominis non eſt in hac vita, & conſequenter anima non eſt mortalis.

Tertia ratio eſt, quia homo apprehendit eſſe, non prout eſt hoc, vel illo tempore, ſed omni differentia temporis, & æternitatis; ergò neceſſariò anima noſtra eſt æterna, aliter non poſſet concipere, & appetere æternitatem.

Quarta ratio eſt, quia anima noſtra intelligit ſe ipſam, vt patet; ergo eſt immortalis. Probatur conſequentia, quia forma materialis eſt extenſa, & non poteſt tota in ſe ipſā reflecti; ergo anima noſtra, cùm in ſe reflectat, diſcurrat, & intelligat, eſt ſpiritualis, & non materialis, & conſequenter immortalis.

Quinta ratio eſt, quia anima habet eſſe per ſe; ergò non poteſt corrumpi. Antecedens probatur, quia anima per ſe intelligit ſine admixtione corporis; ergo per ſe habet eſſe. Conſequentia probatur, quia omnis forma, quæ corrumpitur per ſe, à ſuo contrario corrumpitur, vt calor à frigore, vel ratione ſubiecti, quia pereunte ſubiecto, neceſſe eſt, formam, quæ pendet à ſubiecto, perire: Anima verò neutro modo perit; nam non priori modo perit, cùm non habeat contrarium, neque ſecundo modo, quia ſi periret pereunte ſubiecto, haberet eſſe à ſubiecto; ſed non habet eſſe à ſubiecto; ergo non perit neque corrumpitur.

ARTICVLVS III.

Afferuntur, & impugnantur rationes contra immortalitatem Animæ.

PRima ratio eſt, maior eſt vnio formæ cum materia, quàm accidentis cum ſubiecto; ſed nullum accidens poteſt manere ſeparatum à ſubiecto; ergò neque poteſt manere forma ſeparata à materia.

Secunda ratio eſt. Vna res vnum habet eſſe, & vnum modum operandi per ſe; ſed ſi anima eſſet immortalis haberet duplex eſſe, & duplicem modum operandi, nimirùm eſſe in corpore tanquàm forma, & eſſe per ſe extra corpus. Rurſus poſſet operari per phantaſmata, & ſenſus, atque etiam ſine phantaſmate, & ſenſu.

Tertia ratio eſt, ſtatus Animæ ſeparatæ, non cognoſcitur naturaliter; ergò neque ſeparabilitas, ſi non cognoſcitur ſeparabilitas ergò neque immortalitas.

Quarta ratio eſt; anima ſequitur affectionem corporis, ſicut enim in corpore eſt infantia, iuuentus, & ſenectus, ita, & in mente: mens enim videtur creſcere, & perfici ſimul cum corpore; vndè Ariſtoteles primo de hiſto. Anim. cap. primo ait, Animam pueri nil differre ab illa belluæ.

Quinta ratio eſt, anima eſt forma; ergò incipit eſſe; vna cum homine. Si incipit eſſe; ergò deſinit eſſe, eſt enim Axioma Ariſtotelicum, quod incipit eſſe, deſinit eſſe, ergò Anima eſt corruptibilis.

Sexta ratio eſt, Ariſtoteles ſecundo de anima ait; eſſe naturaliſſimum opus viuentis generare ſibi ſimile, & cùm homo ſit viuens præſtantiſſimum, nobiliſſimo modo generabit ſibi ſimile. Similitudo autem eſt in forma; ergò generabit formam, per quam ſimilis eſt homini; ſed hęc forma eſt anima rationalis; ergò generatur anima rationalis; & conſequenter eſt corruptibilis.

Septi-

Septima ratio eſt, ſemen hominis eſt perfectiùs ſemine equi; ſed ſemen equi generat formam ſubſtantialem; ergò & ſemen hominis debet generare formam ſubſtantialem, & illam perfectiorem; ſed hæc forma ſubſtantialis non poteſt eſſe niſi anima rationalis; ergò generat animam rationalem.

Octaua ratio eſt; Pugnant inter ſe iſta duo, animam ſcilicet; eſſe formam, & eſſe immortalem. Probatur, quia ſi eſt forma ergò eſſentiam habet incompletam, quia eſt pars compoſiti. Si eſt immortalis; ergò habet eſſe per ſe, non dependenter à corpore; ſed non habere eſſentiam completam, & habere eſſe per ſe pugnant; ergò vel anima non eſt forma, vel non eſt incorruptibilis.

Ad has rationes Reſpondeo, & primò ad primam. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Maior eſt vnio formæ cum materia, quàm accidentis cum ſubiecto, ratione effectus concedo maiorem, ratione dependentiæ, nego maiorem; quia ex illis fit vnum per ſe, non quia habet maiorem dependentiam cum materia, quàm accidentis à ſuo ſubiecto, vnio verò accidentis cum ſuo ſubiecto dicitur maior, quia maiorem dependentiam habet accidens à ſuo ſubiecto, quàm forma à materia.

Ad ſecundam rationem reſpondeo. Anima habet duos modos operandi, non quia habet duas eſſentias, ſed quia habet vnam naturam cum duplici reſpectu, quod accidit ei, quia eſt media inter intelligentias, & alias formas; medium autem ſemper participiat de vtroque extremo; quia eſt actus, intelligit cum phantaſmate; quia eſt ſubſtantia, per ſe ſubſiſtit, & intelligit ſine phantaſmate, & ſic habet duos modos operandi.

Ad tertiam Reſpondeo. Separabilitatem animæ poſſe cognoſci lumine naturæ; ſtatum autem ſeparatum non poſſe cognoſci, & hoc eſt, quia dùm anima eſt in corpore, exercet operationes nobis notas, quæ arguunt immortalitatem animæ, quæ operationes ſunt intelligere omnia, & ideò ſeparabilitas eſt cognoſcibilis lumine naturæ; anima verò à corpore ſeparata nullā habet operationem nobis manifeſtam, ideòque nil ſcientificè de ea poſſumus cognoſcere.

Ad quartam Reſpondeo, intellectus ſequitur affectiones corporis

poris

poris non per ſe; ſed quatenùs eſt in corpore quatenùs enim eſt in corpore accipit à phantaſia tanquàm à miniſtra materiã, quàm intelligit eſſe, Propter hanc rationem Ariſtoteles ait, mens in pueris eſt ſimilis belluis, quia phantaſia in pueris non poteſt tribuere materiam, & propter alia impedimenta.

Ad quintam Reſpondeo concedo antecedens; & nego conſequentiam, quia dùm Ariſtoteles ait: Quidquid incipit eſſe, deſinit eſſe, loquitur de illo, quod incipit per motum phyſicum, ſeù per generationem: Anima verò rationalis non incipit per motum phyſicum, ſed creatur à Deo, &c.

Ad ſextam Reſpondeo, concedo maiorem, quòd nimirùm viuens generet ſibi ſimile, & homo de facto generat ſibi ſimile, in ratione viuentis, & figuræ, quod habetur ab Anima vegetatiua, & ſenſitiua, per quas formas conſtituitur viuens in eſſe viuentis; nego tamèn minorem, quod ſimilitudo ſit Anima rationalis in ratione viuentis. Anima enim rationalis cùm ſit independens à materia, creatur à Deo.

Ad ſeptimam Reſpondeo negando ſubſumptum, quia forma, quam generat virtus exiſtens in ſemine hominis eſt Anima ſenſitiua, quæ eſt perfectior Anima ſenſitiua equi, & cuiuſcumq; alterius animalis, cùm homo efficiat perfectiores operationes ſenſitiuas, quàm quodlibet aliud animal.

Ad Octauam Reſpondeo. Anima rationalis eſt immortalis, & eſt actus corporis quatenùs eſt immortalis habet eſſe per ſe, & quatenùs eſt actus corporis, eſt ſubſtantia in completa, & ſic non repugnant eſſe actum, ſeù formam, & eſſe immortalem, cùm ſint ſub diuerſa ratione.

QVAE-

QVAESTIO II.

De alijs omnibus ad Animam rationalem pertinentibus.

ARTICVLVS I.

De intellectu agente, & paſſibili.

TRia quærimus hìc de intellectu agente. Primum eius neceſſitatem; ſecundum eius officium; tertium eius proprietates.

Quoad primum;ideſt neceſſitatem intellectus agentis ſic probatur ex Ariſtotele, in omni natura, in qua reperitur patiens, & recipiens, debet etiam reperiri agens, & mouens; ſed in Anima rationali inueniuntur patiens, & recipiens, quod eſt intellectus in potentia paſſiua; ergò debet etiam neceſſariò dari Intellectus agens, mouens, & perficiens paſſibilem.

Quoad ſecundum quæſitum, ab eodem ſic probatur;officium intellectus agentis eſt facere omnia intelligibilia: ſicut propriũ intellectus paſſibilis eſt, poſſe recipere omnia intelligibilia; intellectus agens ſe habet inquit,vt habitus,& lumen;nàm quemadmodum habitus eſt perfectio intellectus, ità intellectus agens eſt perfectio intellectus paſſibilis, & ſicut lumen facit colores, qui priùs erant in tenebris, viſibiles, ita,intellectus agens facit phantaſmata intelligibilia; vndè intellectus agens dictus eſt habitus, & lumen. Ad quod explicandum Albertus affert hoc exemplum,in Dialogo de apprehenſione animæ; nam in oculis felium adeſt ſplendor, qui exercet duo munera, vnum eſt, quòd perficiat oculum manendo in illo ſubiecto, & hic ſplendor hac ratione dicitur habitus. Alterum eſt, quod per illum ſplendorem videant ea, quæ ſunt in tenebris, & ſic dici-

dicitur lumen; ità & intellectus agens, vt perficiens intellectũ paſſibilem, habet rationem habitus; reſpectu verò phantaſmatis quod facit intelligibile, habet rationem luminis.

Quoad tertium quæſitum ait Ariſtoteles; intellectum agentem, eſſe ſeparabilem, immixtum, impaſſibilem, ſubſtantiam, actu exiſtentem, quod ſic probat. Intellectus paſſibilis eſt ſeparabilis, immixtus, ergò multo magis intellectus agens. Probatur conſequentia; nàm agens eſt nobilius patiente, & forma nobilior materia; ſed intellectus paſſibilis eſt ſicut materia, & agens ſicut forma; ergò, &c.

Magna controuerſia eſt inter Auctores, tùm antiquos, tùm recentiores de eſſentia intellectus agentis. Alexander in primo ſuo de anima cap. 4. ait, intellectum agentem eſſe Deum. Primum eius fundamentum eſt; quia Ariſtoteles ait, intellectum agentem omnia facere, quod eſt proprium Dei. Propterea, inquit Ariſtoteles, ſolum intellectum agentem eſſe ſeparatum, & immortalem; quod conuenit ſoli Deo; ergò intellectus agens eſt Deus.

Secundum fundamentum eſt, quia intellectus agens facit omnes res intelligibiles; ergò eſt Deus. Probatur conſequentia, nàm quod eſt maximè tale in aliquo genere, eſt cauſa, cur alia illius generis ſint talia; ſed Deus eſt maximè intellegibilis; ergo erit cauſa, cur alia ſint intelligibilia; ergo intellectus agens eſt Deus. Sed hæc opinio eſt falsa; quia Ariſtoteles intellectum agentem, & paſſibilem vocat duas differentias animæ, Deus non poteſt eſſe differentia animæ. Secundò; quia Ariſtoteles inquit, ſicut intellectus agens eſt omnia facere, ita paſſibilis omnia fieri; at ſi intellectus agens eſſet Deus, non poſſet illi ex æquo correſpondere intellectus paſſibilis; ergo intellectus agens non poteſt dici Deus.

Ad primum eius fundamentum Reſpondeo, intellectus agẽs non facit res intellegibiles in ſe, dando illis entitatem, quod eſt proprium Dei, ſed ſolùm facit, vt repræſententur intellectui noſtro.

Ad ſecundum fundamentum Reſpondeo, Res dicuntur intelligibiles à Deo, quia ab eo habent ſuam entitatem, non quia

Ggg ha-

habent intelligibilitatem per phantaſmata, & reſpectu noſtri intellectus.

Secunda ſententia eſt Simplicij, Auerrois, & Themiſtij, qui dicunt intellectum agentem, & paſſibilem eſſe duas partes animæ rationalis, & animam eſſe quandam intelligentiam ſeparatam, quæ regit hunc orbem humanum.

Sed hæc ſententia eſt etiam falſa, quia nititur fundamento falſo, dicendo animam eſſe intelligentiam quandam.

Tertia ſententia eſt Scoti, & Scotiſtarum, & aliorum; qui dicunt primo intellectum agentem, eſſe potentiam animæ rationalis, quod ſic probant; ſicut operatio intellectus paſſibilis eſt in noſtra poteſtate, ità, & operatio intellectus agentis; ſed intellectus paſſibilis eſt potentia animæ; ergo, & intellectus agens.

Dicunt ſecundò, intellectum agentem eſſe neceſſarium. Probatur, obiectum intellectus paſſibilis eſt vniuerſale, & ſi cognoſcat aliquod ſingulare, erit per accidens; ſed vniuerſale non poteſt fieri ab intellectu paſſibili, cùm obiectum debeat eſſe priùs ſuâ potentia; ergò eſt neceſſarius intellectus agens ad faciendum vniuerſale. Quoadmodum, quo intellectus efficiat vniuerſale, ſic diſcurrunt. Ad faciendum vniuerſale, & ad faciendam ſpeciem intellegibilem hominis, concurrit phantaſma & intellectus agens; phantaſma ſolum, cùm ſit materiale non poteſt facere ſpeciem hominis intelligibilem, neque ſolus intellectus, cùm ſit indeterminatus; phantaſma igitur determinat intellectum agentem, & intellectus agens ſua virtute efficit ſpeciem illam intelligibilem, abſtrahendo, vel remouendo conditiones indiuiduales.

Dicunt prætereà intellectum agentem non intelligere, neq; cognoſcere; ratio eorum eſt, quia ſi intellectus agens intelligeret, ſeu cognoſceret; vel cognoſceret indifferẽter, tàm ſingulare, quàm vniuerſale, vel ſolũ vnũ ex iſtis. Non poteſt dici primũ, quia intellectus paſſibilis eſſet ſuperuacaneus, neq; poteſt dici ſecundũ, quia ſi cognoſceret ſolũ ſingulare, non poſſet facere vniuerſale, ſi cognoſceret ſolũ vniuerſale, idẽ eſſet agẽs, & paſſũ ergò nihil cognoſcit. Licet hæc ſententia ſit communis, & recepta

pta in ſcholis, & Theologis, rationes tamen, quibus probat neceſſitates intellectus agentis non videntur probabiles.

Dicit enim hæc ſententia, intellectum agentem non intelligere, neque cognoſcere, quod videtur falſum: pugnant enim inter ſe, eſſe intellectum, & non cognoſcere, ſi eſt potentia animæ rationalis; quomodo non intelligit? Præterea ſi intellectus paſſibilis cognoſcit, & agens non cognoſcit, intellectus paſſibilis eſſet nobilior agenti; nobilior enim eſt intelligens, non intelligenti.

Dicunt præterea intellectum agentem facere ſpecies intelligibiles, remouendo conditiones indiuiduales abſtrahendo.

Sed contra eſt; quia remouere conditiones indiuiduales, ſeu abſtrahere, nil eſt aliud quàm cognoſcere vnum, non cognito altero coexiſtente cum illo; ergo intellectus agens cognoſcit, quod eſt contra eorum appoſitionem. Præterea actio qua intellectus agẽs agit in phantaſmate, vel eſt materialis, vel ſpiritualis, nõ poteſt dici primum, vt ex ſe patet: ergo eſt ſpiritualis quæ actio ſpiritualis cũ non ſit tranſiens, ſed immanens, nihil efficit in phantaſmate; ergo phantaſma remanet actu eſſe materiale, & ſingulare ſicut erat priùs, & conſequenter nihil efficit.

Dicent cum Caet. intellectum agentem facere phantaſma intelligibile, quemadmodum lumen facit colorem viſibilem, nihil in illo agendo.

Sed contra eſt primò, quia color cum ſit actu viſibilis nulla indiget ſui mutatione, vt videatur, at verò phantaſma cũ ſit materiale, & vniuerſale eſt potentia intelligibile, vt ergò fiat actu intelligibile & vniuerſale, indiget aliqua mutatione per actionẽ, ſecundò implicat aliquod eſſe agens, & efficiens ſine vlla actione; ſed intellectus dicitur agens; ergò debet aliquid agere.

Mihi probabilius videtur non dari intellectum agentem diſtinctum à paſſibili, ſed ſolùm paſſibibilem, qui quatenùs à ſingularibus abſtrahit vniuerſale dicitur agens, quatenùs in ſe recipit illas ſpecies dicitur paſſibilis.

Probatur, ideo Auctores ſuperioris ſententiæ ponunt intellectum agentem, quia putant intellectum paſſibilem non poſſe cognoſcere ſingularia directè, ſed ſolùm reflexè, ſed hoc eſt falſum

ſum primò; quia illa cognitio reflexa etiam eſt ſpiritualis, ſicut eſt directa; ergo ſi intellectus poteſt cognoſcere ſingularia per cognitionem reflexam, poteſt etiam per directam. ſecundò intellectus cognoſcit vniuerſale; ergò directè cognoſcit etiam ſingulare; nam ſingulare, & vniuerſale ſunt relatiua, quorum vnum non poteſt cognoſci, quin cognoſcatur alterum.

Tertiò ſingulare eſt notius vniuerſale; ergò intellectus priùs cognoſcit ſingulare, quàm vniuerſale.

Cõfirmatur hoc ex Ariſtotele, qui primò de Anima, tex. 8. ait vniuerſale, aut nihil eſt, aut quid poſteriùs, ideſt vniuerſale poſterius cognoſcitur, ſingulare priùs. Præthereà intellectus abſtrahit vniuerſale à ſingularibus; ergo priùs debet cognoſcere ſingulare, deindè vniuerſale.

Dubitatur hic ſi intellectus patiatur ab intelligibile, quomodo non eſt corruptibilis, cum omne quod ab alio patitur corrumpatur?

Reſpondeo Ariſtoteles hìc tex. 7. hoc dubium explicans ait, intellectum per hanc paſſionem non alterari, neque corrumpi: dicitur enim paſſibilis, non quia paſſio illius eſt corruptibilis, ſed quia eſt ſuſceptiuus formæ intelligibilis, qui modus patiendi non dicitur corruptiuus, ſed perfectiuus.

Ex hoc vlterius probat Ariſtoteles intellectum eſſe incorporeum: nam ſenſus, inquit dùm patitur ab aliquo ſenſibili magno, non poteſt percipere minùs ſenſibile, E. G. dùm oculus videt magnum ſplendorem, conuertens ſe deindè ad minimum lumen, illud percipere non poteſt; intellectus autem non ità ſe habet; quia dùm percipit aliquod magnum intelligibile, fit magis idoneus ad aliud maximum, vel minimum percipiendum: vndè ex eo quòd ſenſus ſit materialis magnum ſenſibile perturbat organum, eiuſque facultates, intellectus verò cum ſit immaterialis, non poteſt lædi, neque perturbari.

Dubitatur prætereà, an intellectus per ſe poſsit ſeipſum cognoſcere.

Dico, quòd intellectus, vt intelligat, & cognoſcat ſeipſum requirit phantaſmata tanquam conditiones, quia intellectus primo loco intelligit res, quæ per ſenſus referũtur E. G. hominẽ plan-

plantam, &c. ſecundò loco ſuam operationem, id eſt priùs cognoſcit plantam deinde Anima aduertit ſe cognoſcere, & operari; tertio cognoſcit ſeipſam cognoſcendo operationes ſuas.

Dubitatur vltimo, an intellectus paſſibilis habeat vim conſeruandi in ſe ſpecies intelligibiles, an verò non.

Hæc ſanè quæſtio eſt valdè difficilis, & magna eſt controuerſia inter Auctores.

Quidam dicunt ſpecies intelligibiles non poſſe manere in intellectu poſt intellectionem. Ita Auer. & alii.

Quidam alii dicunt cum Thomiſtis, ſpecies intelligibiles recipi, & conſeruari in intellectu paſſibili.

Mihi tamen probabilior videtur prima ſententia; & ratio eſt quia ſi intellectus conſeruaret ſpecies daretur memoria intellectiua; ſed hoc eſt contra Ariſtotelem, libro de memoria, vbi ait memoriam eſſe facultatem communem, homini, & brutis. Præterea, ſi ſpecies intelligibiles remanerent in intellectu, non eſſet opus, vt mens referret ſe ſemper ad phantaſmata E. G. memoria teneat formas rerum, quas videmus, & audimus, cum facultas imaginatiua vult imaginari, id quod videt, refert ſe ad formam, quam vidit anteà, & non eſt opus oculis cernere illam de nouo, ità prorſus accideret intellectui ſi conſeruaret ſpecies, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c.

ARTICVLVS II.

De Voluntate.

SCiendum eſt duplicem eſſe appetitum alterum ſenſitiuum, & alterum rationalem. Appetitus ſenſitiuus diuiditur, in iraſcibilem, & concupiſcibilem, quæ fiunt ex impetu naturæ.

Appetitus rationalis diuiditur in intellectum, & voluntatem quæ fiunt cum iudicio, & hòc docet Ariſtoteles hic 3. de Anima vbi ait, in Anima rationali eſt voluntas, in irrationali, eſt iraſcibilis, & concupiſcibilis. Quòd iſti duo appetitus ſint diſtincti, & diuerſi, patet experientia; plerumque enim accidit, vt vo-

voluntas pugnat cum appetitu ſenſitiuo, ità vt appetitus ſenſitiuus trahit hominem ad voluptatem, voluntas autem retrahit, vel è contra, voluntas impellit ad ieiunium, appetitus autem refugit. Hæc autem pugna cernitur in homine continente, & incontinente, ſed diſſimilitudo eſt; quia incontinente volũtas vincit appetitum, in incontinente appetitus vincit voluntatem.

Magna difficultas eſt, an voluntas differat realiter ab intellectu. De hac re ſunt duæ celeberrimæ opiniones.

Prima opinio eſt Thomiſtarum, & Scotiſtarum, & aliorum Theologorum, qui dicunt voluntatem, & intellectum diſtingui realiter.

Prima ratio eorum eſt, quia illæ potentiæ realiter differunt quarum obiecta, actus, habitus, & modus operandi ſunt diuerſi, & realiter diſtincti; ſed tales ſunt, intellectus, & voluntas, ergo, &c.

Minor probatur, quia obiectum voluntatis eſt bonum, obiectum intellectus eſt verum, actus voluntatis eſt appetere, intellectus cognoſcere, habitus intellectus ſunt ſcientiæ, voluntatis eſt charitas, & iuſtitia. Modus operandi intellectus eſt ſuſcipiendo, voluntatis tendendo à dextra.

Secunda ratio eſt: Intellectus dirigit voluntatem, voluntas imperat intellectui; ergo ſunt potentiæ realiter diſtinctæ, & diuerſæ.

Secunda opinio eſt Durandi & aliorum, qui volunt intellectum eſſe eandem potentiam cum voluntate, quæ prout eſt principium apprehendendi dicitur intellectus, prout eſt principium appetendi dicitur voluntas.

Prima eorum ratio eſt, quia ſi eſſent realiter diſtinctæ poſſet Deus auferre intellectum, & relinquere voluntatem, hoc implicat, quia nil volitum, quin ſit precognitum.

Secunda ratio eſt; quia voluntas eſt libera; ergo eſt cognoſcitiua, & conſequenter ſunt idem; conſequentia probatur, quia potentia libera dicitur, quæ iudicat de ſuo actu; ſed voluntas eſt libera, ergò poteſt iudicare de ſuo actu; ergo eſt cognoſcitiua.

Mihi probabilior videtur ſecunda opinio propter illud commu-

mune axioma; Illa quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe; ſed voluntas, & intellectus ſunt eadem cum anima; ergò ſunt eadem inter ſe.

Altera difficultas eſt, an intellectus ſit nobilior voluntate. Scotiſtæ dicunt voluntatem eſſe nobiliorem, quia obiectum voluntatis eſt nobilius; bonum enim eſt nobilius vero.

Thomiſtæ dicunt intellectum eſſe nobiliorem, quia Ariſtoteles in multis locis ait, nihil eſt nobilius mente. Propterea omne intelligens eſt nobilius non intelligente; ergò intellectus eſt nobilior voluntate.

Probabilior videtur ſecunda ſententia,& ratio primæ opinionis nil probat, cum verum ſit nobilius bono, verum enim eſt ſummum bonum.

ARTICVLVS III.

De libero Arbitrio.

Liberum arbitrium definiri ſolet,facultas qua habemus dominium noſtrarum actionum, ita vt præſente obiecto poſſimus agere, & non agere in illo.

Dubitatur in quo nam ſubiecto ſit liberum arbitrium, an ſcilicet ſit in intellectu, an in voluntate.

Dico liberum arbitrium realiter eſſe in intellectu, & voluntate diuerſo tamen modo; initiatiuè enim, & radicaliter eſt in intellectu completiuè, aut perfectè,eſt in voluntate. Eſt radicaliter in intellectu; quia intellectus demoſtrat voluntati tale obiectum eſſe bonum, vel malum, in quo obiecto poteſt voluntas ſe applicare. In voluntate autem eſt perfectè, & completiuè, quia liberum arbitrium habet electionem liberam,ita vt poſtquàm viderit aliquod,poſſit velle, & nolle; vndè voluntas eſt magis libera, quàm intellectus; nam intellectus in multis rebus non eſt liber E.G. cogitur aſſentiri, omnibus primis principijs, & diſſentiri ab omnibus illis, quæ ſunt euidenter falſa; at verò voluntati nulla res poteſt afferri quæ eam cogat.

Dubi-

Dubitatur an poſſit probari rationibus dari liberum arbitrium.

Dico rationibus poſſe demoſtrari, dari liberum arbitrium.

Prima ratio eſt; quia multę actiones ſunt in homine quæ non poſſunt referri niſi ad liberum arbitrium; ergò &c. Probatur antecedens; quia multæ operationes, in homine vel fiunt à Deo, vel à natura, vel à libero arbitrio, non à Deo, quia multæ operationes ſunt turpes, non à natura; quia neque ſemper, neque vt plurimum accidunt; ergò à libero arbitrio.

Secunda ratio eſt, quia qui tollit liberum arbitrium tollit hominem; quia in tantum homo eſt, in quantum eſt, deliberatiuus; ſed ſublato libero arbitrio tollitur deliberatio; ergò tollitur homo.

Tertia ratio eſt, quia ſi non eſſet liberum arbitrium, nihil eſſet turpe, nihil inhoneſtum in rebus humanis; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Probatur ſequela, quia ſi non eſſet liberum arbitrium omnia fierent neceſſariò, & à natura; ſed illa, quæ fiunt neceſſariò, aut à natura non ſunt aliquod turpe, aut inhoneſtum, non merentur præmium, neque ſupplicium, non laus, aut dedecus, vt eſt in brutis; ergo &c.

Sciendum eſt: de libero arbitrio agit Theologus in ordine ad res ſupernaturales, agit Philoſophus moralis prout eſt principium rerum moralium, agit Phyſicus prout eſt potentia quædam naturalis animæ rationalis; & ſub hac ratione hic ſufficienter explicauimus. Multæ aliæ quæſtiones ſolent fieri de anima rationali, quarum quædam indiuerſis tractatis à nobis explicatæ fuerunt. Quædam verò ſunt de fide, ideò breuitatis gratia eas omiſsimus.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ in hoc Opere continentur.

A

ACida, & acria appetitum generat & cur. pag. 281
Actus ſpecificatur à ſuis obiectis formalibus. 61
Actus Venerei ſunt cauſa breuitatis vitæ, vbi variæ rationes, & exempla. 83. & ſeq.
Ægri cur propè mortem videntur aliquando conualeſcere. 98
Ætatis diuiſio in tres ſecundùm Ariſtotelem, in ſeptem ſecundũ Aſtrologos, in quatuordecim ſecundùm medicos & cur. 89
Aer bonus maximè confert ad longitudinem vitæ, & cur. 71. & 72
Aer ad generationem ſpirituum non concurrit materialiter, neque formaliter, ſed efficienter, non vt cauſa principalis, ſed vt cauſa adiuuans. 182
Aer nutrire non poteſt. 179
Agere de anima pertinet ad Phyſicam. 1
Agere de Anima pertinet etiam ad Metaphyſicam. 2
Albedo aliquando oritur ex nimia concoctione humoris, vt patet in lacte, ſemine, & multis fructibus. 240
Alimenta producentia perfectius humidum humido radicali. 81
Alimenti, ſeù cibi magna quantitas noxia, & cur. 174
Alimenti paucitas noxia, & cur. 175
Alimenti varietas noxia, & cur. 175
Alimentum quid, & quotuplex. 174
Alimentum remotum, & extrinſecum eſt cibus, & potus. 174
Alimentum proximum & intrinſecum eſt ſanguis. 189
Alimentum debet eſſe corpus mixtũ. 178
Alimentum debet eſſe ſimile partibus viuentis. 178
Alimẽtorum quæ boni & quæ mali ſucci, & quæ plùs, quæ minus alunt. 185
Amor quid ſit, eiuſq; cauſa & deſcriptiones. 386
Amor pingi ſolet, puer nudus in dextera manu ſagittam tenens & cur. 387
Amor inter aliquos ſuauis, & diù perſeuerabilis, inter aliquos perturbabilis, & non diù durabilis, & cur. 388
Amor inter duos biliofos eſt moleſtus propter zelotypiam, ibi etiam de alijs temperamentis. 388
Amore quidam facilius, quidam difficilius capiuntur, & cur. 389
Amoris effectus. 389. & ſeq.
Anni antiqui temporis non erãt lunares, ſed ſolares ex duodecim menſibus, &c. 80
Anima definitur primo ab Ariſtotile. 7
Anima definitur ſecundo ab Ariſtotele. 12
Anima eſt cauſa effectiua potentiarum. 58
Anima vegetatiua eſſentialiter eſt in omnibus partibus Corporis. 39
Anima vegetatiua, & ſenſitiua ſunt diuiſibiles, rationalis eſt indiuiſibilis. 17
Anima vegetatiua licèt formalitèr, & eſſentialiter ſit in omnibus partibus Corporis præcipuè tamen reſidet in corde. 47

Anima in communi diuiditur in tria tantum membra, ideſt in animam vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem. 13
Anima quodam modo dici poteſt cauſa materialis, finalis, & efficiens, non verò formalis. 58
Anima rationalis eſt indiuiſibilis, & eſt de fide. 17
Anima rationalis eſt in toto Corpore, præcipuè tamē reſidet in Cerebro 49
Anima rationalis ſecundum eſſe reformale eſt in omnibus partibus corporis, exceptis oſſibus. 40
Anima rationalis eſt immortalis. 17. & 411
Anima ſenſitiua non eſt in omnibus partibus corporis. 38
Anima ſenſitiua licet ſit in toto corpore præcipuè tamē reſidet in Cerebro. 47
Anima ſenſitiua, & rationalis reſident in anteriori parte cerebri verticem verſus, vbi poſitum regale illud ſolium ideſt rete mirabili, quod vt vmbella dura matre tegitur. 49
Anima ſenſitiua Brutorum reſidet in Cerebro vegetatiua in Corde. 50
Anima rationalis in ſententia Ariſtotelis non eſt mortalis. 410
Anima ſenſitiua non eſt in omnibus partibus corporis. 39
Anima ſenſitiua eſt primum principium ſenſus, & motus. 143
Animalium quæ perfecta, & quæ imperfecta. 241
Animalia bruta non delectantur præciſè flagrantia odorum, ſed quatenus coniuncta cum ſaporibus. 276
Animalia bruta melius percipiunt odores, & cur. 275
Animalia quæ tranſire ſolent à Senectute ad iuuentutem, & remedia quibus vtuntur. 78
Animalia ex quibus medici habuerunt notitiam ad medendum. 79
Animalia viuipera omnia pilos habent. 120
Animalia non ſolum imperfecta, ſed etiam multa perfecta generantur ſine ſemine. 101
Animalia habentia bonum viſum, non eſt verum quod neceſſariò habeant bonum odoratum, cum quædam habeant bonum viſum, & malum odoratum, & è contra, quædam verò vtrumque. 275
Animalium quædam generant vnum, & quædam plura, & cur. 167. & 168
Animalia bruta nullum diſcurſum habent, & cur. 325
Animalia perfecta omnia habent quinque ſenſus. 292
Animalia terreſtria ſanguinea pulmones habentia reſpirant. 264
Animalia terreſtria exanguia vt ſũt muſcæ, vermes ſcarabei, & alia non reſpirant reſpiratione propria, neque vocem edunt ab ore. 264
Animalia omnia phantaſiam habẽt. 324
Animalia perfecta phantaſiam habentia, memoriam habent. 366
Animalia bruta reminiſcentiam non habent. 366
Animalia cor magnum habentia timidiora ſunt & è contra. 397
Animalium quæ longioris, & quæ breuioris vitæ. 86
Animalium quædam ſunt diſciplinabilia, & quædam non, & cur. 314
Animæ vegetatiuæ definitio. 62
Animæ omnes præter rationalem ſunt diuiſibiles. 17
Appetitus caninus, & bulimus quid ſint, & vndè proueniant. 283
Appetitus quid ſit, & quotuplex. 383
Appetitus ſenſitiuus quid ſit, & quotuplex. 384
Appetitus rationalis quid ſit. 384
Appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis quid ſint, & quomodo differant. 384
Appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis reſident in cerebro. 385
Appetitu læſo læditur, & guſtus, & cur. 282

Aqua

Aqua cruda melior eſt quam cocta. 188
Aqua cruda febricitantibus & alijs ęgris melior eſt quam cocta & cur. 188
Aqua fontium omnium aliarum optima. 187
Aqua leuis eſt quæ non extendit hypocondria. 187
Aqua ſimplex, & pura alimentum corporis viuentis eſſe non poteſt. 179
Ariſtotiles putans neruos originem ducere à corde deceptus fuit. 43
Arte medica vita prolongari poteſt, & cur. 72
Arte Medica non ſolum iuuentus prologari poteſt, ſed etiam Senex iuuenis euadere, & cur. 73
Arteriæ originem ducunt à corde. 42 & ſeq.
Artificialia magnæ admirationis. 74
Auctoritates Ariſtotelis probantes vnã tantum eſſe animam in Corpore viuente. 26
Auctoritates Ariſtotelis probantes in homine dari tres Animas realiter diſtinctas, ideſt vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem. 27
Audacia quid ſit, eiuſque cauſa, & effectus. 399
Augmentatio cur non fiat in iuuentute. 192
Aures cur locatæ in latere ſemper patent, & ſunt immobiles. 261

B

Albuties quid ſit eiuſq; cauſæ. 260
Bonum ingenium habentes bonam reminiſcentiam habent. 367

C

Calor natiuus quid ſit. 64
Calor natiuus eſt cæleſtis. 155
Calor natiuus non eſt elementaris. 153
Calor natiuus in viuentibus non eſt calor elementaris, ſed alius diuerſus, & perfectior. 155
Calor natiuus non conſiſtit in temperamento. 154
Calor, & frigus per ſe producere poſſunt dolorem humiditas, & ſiccitas, quatenus coniunctæ cum alijs qualitatibus. 296
Calore fornacis in Ægypto ex ouis pulli educuntur. 73. & 153
Caloris natiui extinctio mors dicitur. 66
Caloris natiui deſcriptio. 64
Caluities quid, eiuſque cauſa & locus. 121
Canities pilorum vnde prouenit. 123
Canities vi timoris in vna nocte facta & quomodo. 332
Caro præbet plus alimenti, quàm quilibet alius cibus. 183
Caro qualis melioris ſubſtantiæ, & facilioris concoctionis. 184. & ſeq.
Carunculæ mammillares non ſunt organum olfactus. 273
Carunculæ lacrymales, quid ſint. 226
Carnium variæ ſpecies naturæ, & proprietates. 184. & ſeq.
Cauſa, concipiendi duo, & aliquando vnum vnius ſexus, alterum alterius ſexus. 168
Cauſæ doloris variæ & an omnes æqualiter dolorem generent. 294
Cauſa materialis, formalis, efficiens, & finalis ſoni. 252
Cauſa partus duplex, vnà ex parte vteri, altera ex parte fœtus. 165
Cauſa materialis in efformatione fœtus eſt ſanguis menſtruus; cauſa formalis eſt figura membrorum, efficiens eſt calor natiuus, finalis eſt officium propter quod partes ſunt factæ. 157
Cauſa principalis membrorum remota eſt Cœlum, proxima eſt animal, aliud animal generans, cauſa inſtrumentalis eſt calor natiuus. 156
Cauſæ tot varietatum vocum. 258
Cauſæ breuitatis vitæ, multæ, & variæ. 83
Cauſæ longitudinis vitæ multæ, & variæ. 69
Cauſæ viuendi, & diù viuendi ſunt diuerſæ. 69

Digitized by Google

Cauſæ amoris variæ. 386
Cauſæ ſomniorum, aliæ intrinſicæ, & aliæ extrinſicæ. 346
Cerebrum eſt pars nobilior corde,& hepate, & cur. 46
Cerebrum non eſt factum à natura ad refrigerationem cordis, vt dixit Ariſtoteles. 48
Certamen inter calorem natiuum, & extraneum. 96
Cerui numquam febricitant,& cur. 180
Cibi quantitas hyeme maior, eſtate minor, Atumno, & vere mediocris eſſe debet. 175
Cibi & potus requiſiti ad generationem maris. 145.& ſeq.
Cibi,& potus requiſiti ad generationem filij boni ingenij. 375
Cibi,& potus requiſiti ad generationem filij bonæ imaginationis. 376
Cibi, & potus requiſiti ad generationem filij bonæ memoriæ. 375
Cibi, & potus requiſiti ad generandum filium fortem, & robuſtum. 376
Cibi, & potus requiſiti ad generandum filium prudentem. 376
Cibus morbo noxius aliquando morbum curat. 334
Cœlum nullum habet colorem. 241
Cognitio ſomniorum prouenientium à ſanguine, eorumque interpretationis regulæ. 354
Cognitio ſomniorum prouenientium ab humore bilioſo, eorumque interpretationis regulæ. 355
Cognitio ſomniorum prouenientium à pituita, eorumque interpretandi regulæ. 355
Cognitio ſomniorum prouenientium ab humore melancholico, eorumque interpretationis regulæ. 356
Color apparens eſt qualitas ex lumine, & aliqua opacitate nubis, vel aeris, vel aquæ reſultans. 244
Colores apparentes quomodo fiunt. 245
Color verus non eſt fulgor, ſeu flamma vt volebat Plato, neque ſuperficies vt volebant Pittagorici, neque qualitas à luce prouenie̅s. 239
Color verus eſt qualitas proueniens ex permixtione elementorum, quatenus perſpicua, & opaca ſunt, quæ apta eſt terminare in ſe viſionem actu, vel potentia. 240
Color viridis æquè participat de diaphano, & opaco, ideoque viſui gratus, & non moleſtus eſt. 243
Colores apparentes quò plus luminis, & minus opaci participant eò magis vergunt ad album, & quò plus opaci, & minus luminis ad nigrum; ſecundum ergò maiorem, vel minorem participationem luminis, & opaci, oriuntur diuerſi colores apparentes, ruber, viridis, flauus &c. 245
Colores alij veri reales, & alij apparentes. 238
Colores in Iride, vnde habeant ſuam diuerſitatem, & cur appareat vnus ſuperior, alter inferior, & alter medius, & vnus alio maior. 245
Colores proueniunt ex permixtione elementorum, ſecundum eorum perſpicuitatem, & opacitatem. 239
Colores duo ſunt extremi, & quinque medij. 247
Colores medij participantes plus Diaphani vergunt ad album, participantes plus opaci ad nigrum. 241
Colores medij non proueniunt ab extremis coloribus. 243
Colores veri non proueniunt à permixtione primarum qualitatum. 240
Colorum varietas in oculo prouenit ab humoribus. 247
Comparatio vitæ cum lampade ardente. 64
Conceptio quid ſit,& ad eã requiſita. 137
Concoctionis factæ, & non factæ, ſigna. 313
Concurrentia ad generationẽ ſomni. 319
Conditiones bonæ aquæ. 187

Con

Conditiones requiſitæ ad generationem Pilorum. 119
Conditiones requiſitæ, vt ſenſus ſenſiat ſine deceptione. 210
Conditiones requiſitæ, vt generetur ſonus per colliſionem Corporum. 250
Confeſſarij habẽtes bonam memoriam, vel imaginatiuam, ſine ingenio non ſunt boni Confeſſarij. 379
Confidentia ægri de medico morbum ſanat, & cur. 334
Cornua vi imaginationis in capite genita & quomodo. 333
Corpus opacum quid ſit, & quid Diaphanum. 228
Corpus ſimplex non poteſt eſſe ſubiectum coloris. 241
Cur in morte pnus refrigerantur membra externa. 96

D

Dantur formæ partiales. pag. 22
Dantur ſpecies intentionales. 196
Datur Anima, quæ conſtituit animatum. 6
Decrepiti benè vidẽt tàm remota, quàm propinqua, & cur. 219
Defectus viſionis non videntis à longe &c. vnde prouenit. 217
Definitio animæ eiuſque explicatio. 7
Definitio ſecunda animæ eiuſque explicatio. 12
Definitio propria coloris veri, & realis. 240
Definitiones coloris allatæ ab Ariſtotile. 239
Delectatio quid, eiuſque cauſa, effectus, & ſpecies. 391
Deſiderium quid eiuſque cauſa, effectus & ſpecies. 390
Deſperatio quid eiuſque cauſa, & effectus. 396
Diaphanum multipliciter poteſt fieri ſpeculum, & repræſentare ſpecies. 237
Diaphanum, ſeu perſpicuum quid, & quotuplex ſit. 228
Difficile eſt, & ferè impoſſibile habere ſimul bonum ingenium, bonam memoriam, & bonã imaginatiuam. 373
Diuerſa temperamenta, diuerſa tempora requirunt ad conceptionem. 137 & ſeq.
Diuinatio ſomniorum maximè viguit apud Antiquos, tàm Ethnicos, quàm viros ſapientiſſimos, ibi varia exempla. 351
Dolor an prouenire poſſit ab omnibus quatuor primis qualitatibus. 296
Dolor magnus dùm prouenit à primis qualitatibus, ſemper adeſt etiam ſolutio continui. 296
Dolor proueniens à ſolutione continui eſt intenſior, & cur. 295
Dolor quid ſit eius variæ deſcriptiones, &c. 293
Dolor, voluptas, famis, ſitis, durum, & molle non ſunt obiectum tactus per ſe. 287
Doloris cauſæ ſunt quatuor primæ qualitates, aliquandò ſunt ſine ſolutione continui, & aliquando ſola ſolutio continui, & alıquandò vtraque ſimul. 284
Dormiendi tempus idoneum. 315
Dormiendi modus. 316
Dormiẽtes aliquãdo ſurgũt & ambulãt nõ per actionem ſenſitiuam ſenſuum externorum, ſed internorum. 305
Dormientes ſomno profundo non ſomniantur. 345
Dulce, & amarum non ſunt principia omnium ſaporum. 283

E

Ebrij non ſomniantur, & cur. 345
Echo quid ſit, quomodò fiat, eiuſq; conditiones. 254
Elementa nullum habent colorem verum, & realem. 241
Elementa pura corpus viuentis nutrire non poſſunt, & cur. 178
Exempla eorum, qui arte verum aurum fecerunt. 73
Exempla eorum, qui à ſenectute ad iuuen-

uentutem retrogreſſi ſunt. 74
Exempla, & Auctoritates variorum effectuum, qui vi imaginationis geniti ſunt. 326
Exercitium æquè omnibus hominibus conuenire non poteſt. 405
Exercitium quid, & quod eſt ad ſanitatem conferens. 403
Exercendi tempus opportunum. 404

F

FAcilior eſt tranſitus ſenectutis ad iuuentutem, quam curatio febris hecticæ. 77
Facultas motiua exiſtens in cerebro imperat, vt fiat motus in pede E. G. & quomodo fertur hoc imperium in pedes, & alias partes remotas. 358
Facultas æſtimatiua quid & quotuplex ſit. 358
Facultas cogitatiua in homine, & æſtimatiua in Brutis reſident in ſummitate cerebri. 359
Fatui facillimè ad riſum mouentur, & cur. 392
Filij ſpurij cur aſpectu nobiles, animoſi, ac prudentes. 140
Filij ſpurij cur ſimiles marito, & legitimi ſimiles adultero generentur. 141
Fœmina iam grauida ſecundum Galenum concipere non poteſt ſecundum Ariſtotilem poteſt. 164
Fœminæ ante 14. annum menſtruum non habent, & cur. 132
Fœminæ hominum grauidæ virum appetunt, non verò aliorum animalium & cur. 167
Fœminę incipiunt ſanguinem menſtruũ emittere, & generare anno 13. circiter vſque ad 50. 129
Fœminæ ad generationem filij concurrunt paſſiuæ. 104
Fœminæ animalium brutorum preter piſcium ſanguinem menſtrum habẽt, nimis tamen exiguum, & quare. 132
Fœminæ grauidæ non habent purgationem ſanguinis menſtrui. 134
Fœminæ citius incipiunt generare, & quare. 132
Fœminæ habent teſtes. 104
Foetor quid ſit, & per quid differat ab odore. 268
Fœtus in vtero matris priùs animatur anima vegetatiua, deinde ſenſitiua, poſtremo rationali. 33
Fœtus in vtero matris reſpirat. 154
Fœtus cum exit ex vtero ſtatim plorare incipit, & cur. 168
Fœtus naſcentes undecimo, & duodecimo menſe, eſt dubium an ſint naturales, & uitales. 172
Fœtus naſcentes nono, & decimo menſe, ſunt naturales, & uitales. 172
Fœtus octomeſtres in Ægypto, & Iſpania ſunt uitales, & cur. 172
Foetus octauo menſe naſcentes nõ ſunt uitales, & cur. 171
Fœtus ſeptimo menſe naſcentes ſunt naturales, legitimi, & uitales. 170
Fœtus materialiter non à ſemine fœminæ, neque maris, ſed à ſanguine materno conſtituitur. 107
Fontes, flumina &c. quæ habent uirtutem occultam tranſitus ſenectutis ad iuuentutem. 75
Formæ ſubſtantiales partiales ſunt, quæ conſtituunt diuerſas partes Corporis, quæ dantur. 22
Fuga quid, eiuſque Cauſæ. 394

G

GEnaratio ſoni eſt partim naturalis partim uiolenta. 251
Glandulæ lachrymales duæ in unoquoque oculo. 225
Grammatica eſt ipſa arrogantia, & purus grammaticus, purus Aſinus, & unde originem duxerunt. 378
Grammatica, & bona lingua latina conſiſtunt in regulis, ex dictis Ciceronis aliorumque Auctorum, quæ ſola memoria, ſine ingenio haberi poſſunt. 377
Grammatici perfectiſſimi, & linguæ latinæ

Digitized by Google

latinæ peritiſſimi arrogantes, temerarij, & ignari ſunt. 378
Grilli, cicadæ, multaque alia animalia vocem, ſeù ſonum non edunt per os. 264. & ſeq.
Guſtus, & tactus ſolum ſunt ſimpliciter neceſſarij animalibus. 292

H

Habere bonam memoriam bonum eſt, melius habere bonam phantaſiam, peſſimum habere bonum ingenium, & cur. 382
Habitantes loca edita, & aperta tardius ſeneſcunt, & cur. 71
Habitudo, ſeù temperamentum corporis fœminæ, quod ad conceptionem idoneum, & quod non idoneum. 138. & ſeq.
Homines quò magis ieiunant, eò minùs appetunt, & cur. 282
Homines qui longioris, & qui breuioris vitæ. 87
Homines ſapientes generant filios ſtolidos, & ignari prudentes, & cur. 142
Hominum cur quidem à longè quidam propingua melius vident, & è contra, & cur quidam neque à longè, neque propinqua bene vident. 216
Hominum cur quidam delectantur dulcibus, quidam acidis. 281
Homo dulcibus nutritur, & quare. 281
Humidum radicale reſtauratur ab humoribus alimentaribus. 67
Humidi radicalis deſcriptio. 64
Humidum radicale eſt pabulum caloris natiui, quo abſumpto extinguitur, & calor natiuus. 65
Humor alimentaris quid. 107
Humor excrementitius quid. 108
Humores oculorum ſunt tres aqueus vitreus, & chryſtallinus. 223
Humores ſunt cauſa varietatum coloris in oculis. 247
Humorum nullus eſt animatus. 117
Humiditas, & ſiccitas per ſe dolorem efficere non poſſunt. 296

I

Ieiunium appetitum tollit, quò à homo magis ieiunat eo minus appetitum habet, & cur. 282
Ignis nutrire non poteſt. 179
Imaginans ſe aliquo morbo affectum in illum morbum incidit. 333
Imaginatio Patris ſolum in actu conceptionis fœtus poteſt ſignaturas inducere, & cur. 340
Imaginatio Matris, tùm tempore conceptionis fœtus, tùm grauidationis ſignaturas poteſt inducere, & cur. 340.
Imago aſpicientis in ſpeculo quid ſit, & quomodo fiat. 237
Imaginatio matris tempore grauidationis non poteſt imprimere quamlibet ſignaturam. 340
Imaginatio brutorum animalium ſignaturas in fœtum inducit. 341
Imaginatio inducere poteſt varios colores, nempè ex parentibus albis niger fœtus, & ex nigris albus.
Imaginatio ſine animi paſſionibus fœtum non poteſt ſignare. 339
Imaginatio non poteſt mutare temperamentum, & cur. 341
Imaginationis varij effectus. 326
Immortalitas animæ lumine naturæ probari poteſt. 411
Ingeniũ eſt ipſa facultas cogitatiua. 359
Ingenium bonum habentes, bonam imaginationem, & bonam memoriam habere non poſſunt. 373
Ingenium mediocre habentes, mediocrem imaginationem, & memoriam habere poſſunt. 374
Interpretatio ſomniorum non ſolum eſt vtilis ſed neceſſaria. 352
Inſtrumenta ſemen perficientia. 109
Intellectus nobilior eſt voluntate. 423
Intellectus agentis neceſſitas, eiuſque officium, & proprietates. 416. & ſeq.
Intellectus agens eſt potentia Animæ rationalis. 418

Intellectus ſe ipſum cognoſcit, atque intelligit. 419
Intellectus paſſibilis quid ſit, & an ſit diſtinctus, & diuerſus ab intellectu agente. 419
Intellectus paſſibilis non habet vim cõſeruandi ſpecies intelligibiles. 421
Inter viuentia plantæ ſunt longioris vitæ. 86
Inuidia quid ſit, & an reducatur ad delectationem. 392
Iudex habere debet bonũ ingeniũ. 378
Ira quid & quotuplex, eius cauſæ proprietates, & effectus. 399. & ſeq.
Iuris peritia, Theologia moralis, Aritmetica &c. pertinent ad bonam memoriam. 378
Iuriſperitum acquirere eſt opus ſolius memoriæ. 378
Iuuenes pueris robuſtiores ſunt non tamen calidiores. 66

L

Lacrymæ quid ſint vnde proueniant & quare. 225
Liberum arbitrium, quid ſit & quod eius ſubiectum. 423
Liberum arbitrium dari rationibus demoſtrari poteſt. 424
Lien nutritur à ſanguine melancholico, non ab ipſa melancholia. 189
Linguæ conſtitutio, figura, & vſus. 284
Lis, & diſſentio inter voluntatem, & appetitum ſenſitiuum. 385
Logica, Phyſica, Methaphyſica, Theologia, Theorica medicinæ ad ingenium pertinent. 371
Ludus paruæ pilæ omnium exercetationum optima eſt. 406
Lumen ab Ariſtotile appellatur actio, & cur. 229
Lumen Cæli eſt diuerſę ſpeciei à lumine ſublunarium. 234
Lumen eſt medium, vt cætera videantur, & eſt medium vt ipſum videatur, 232
Lumen non concurrit ad viſionem dando formam coloris, vt ait Auicenna, ſed conditio ſine qua non. 232
Lumen non poteſt mittere ſpecies, vt repræſentetur niſi ſit in luminoſo. 233
Lumen non eſt Corpus vt dicebat Empedocles, non ſubſtantia ſpiritualis, vt dicebat Plato, ſed quædam qualitas realis per quam aer denominatur illuminatus. 229
Lumen educitur de potẽtia materię. 230
Lumen rectum quid ſit, quid reflexum, & refractum. 234
Lux, lumen, radius, ſplendor, & fulgor diuerſa ſignificant. 228

M

Manſuetudo quid ſit. 401
Mares incipiunt ſemen emittere & generare anno 14. circiter vſque ad 70. 129
Mares ſunt longioris vitæ quàm fœminæ, & cur. 88
Maculæ vt plurimum exprimuntur in facie fœtus, & cur. 341
Maiora Animalia ſunt lõgioris vitæ maioribus, & maiores plantæ longioris vitæ minoribus, & cur. 70
Manè homines faciliùs quam ſero addiſcunt, & cur. 381
Medicamenta non nutriunt, & cur. 180
Medicina, Theorica pertinet ad ingenium, practica ad imaginationem, hiſtorica ad memoriam. 381
Medici bona memoria præditi ad medendum parùm idonei. 381
Medici magno ingenio præditi ad medendum parùm idonei. 381
Medici bona imaginatiua præditi ad medendum aptiores ſunt. 382
Medicus perfectus in Theorica non poteſt eſſe perfectus in practica, & è contra. 382
Melancholia ad bonum ingenium requiſita eſt tenuis, lucida, & frigida. 361
Melancholici inquit Ariſtotiles rectè ſõniantur, ad diuinandum aptiſſimi non

non ſolum in ſomno, ſed etiam in vigilia. 349
Membrana, quo fœtus tegitur prius efformatur. 158
Membranæ fœtum tegentes ſunt tres agnina, inteſtinalis, & Corion. 158
Membranæ oculum componentes, ſunt ſex. 222
Memoria quid, & quotuplex ſit. 362. & ſeq.
Memoria reſidet in ventriculo poſteriori parte cerebri collocato. 163
Memoriæ bonæ mirabilia exempla. 363
Memoriam bonam habere, bonum eſt, bonam imaginationem melius, bonum ingenium habere peſſimum eſt, & cur. 382
Mirabilia artis, quæ ſuperant tranſitum Senectutis ad iuuentutem. 74
Mirabilia naturæ, multò maioris admirationis tranſitu ad iuuentutem. 75
Mixta imperfecta habent verum colorem vt patet in niue. 242
Mixta quæ ſunt media videndi nullum habent colorem verum, & realẽ. 242
Mixta ſunt ſubiecta veri, & realis coloris. 242
Modeſtè iocari, ac ridere eſt ſignum alacritatis animi, & virtutis, & non defectus. 392
Modus quo fœtus ſituatus eſt in vtero matris. 165
Modus quo fit motus in toto corpore. 406
Modus quo fit auditio. 261
Modus, ſeu ordo quo ſenſus mouentur, à quo operantur, ad hoc vt fiat motus. 406
Modus viuendi, creſcendi, decreſcendi, ſeneſcendi, ac moriendi. 65
Modus quo humidum radicale diſſipatur. 65
Mola quid ſit, eiuſque cauſa. 169
Monſtra generari ſolent ex defectu, vel efformatricis, vel materiæ, vel vteri. 157
Modus quo fiunt colores apparẽtes. 245
Mors propria & naturalis quænam ſit. 93
Mors eſt extinctio caloris natiui. 65
Mors in paradiſo terreſtri impedita erat à ligno vitæ. 68
Mors non eſt omnibus æquè acerba, & cur. 93
Mors proueniens à Senectute non eſt acerba, & cur. 93
Moribondi immediatè ante mortem videntur conualeſcere, & cur. 98
Mortis variæ acceptiones. 92
Motus animalis quid, & quotuplex. 402
Mortis variæ cauſæ. 90
Motus cordis in amore, quis & quomodo fiat. 386 & ſeq.
Mulieres quædam facilius, quædam difficilius concipiunt, & cur. 138
Mulieres ſteriles vt plurimum morboſæ viuunt, & cur. ibid.
Mulieres cócipere non poſſunt niſi dùm fluunt menſtrua. 139
Mulieres cur aliquando pariunt filios mortuos. 167
Mulieres laborant difficultate partus, non verò fœminæ aliorum animalium. 167
Muſculi in vnoquoque oculo. 223
Munera ſenſus communis. 301
Muſica pertinet ad phantaſiam. 369

N

NErui oculorum duo dicti optici. 223
Nerui originem ducunt à cerebro. 42
Nigredo aliquando oritur ex nimia adustione, & exſiccatione humoris, Nimia attentione viſionis oculus læditur & cur. 84
Nimius coitus præcipua cauſa breuitatis vitæ, & cur. 84
Nix eſt alba ob perſpicuitatem aeris, & opacitatem aquæ. 241

O

OBiectum guſtus eſt ſapor. 278
Obiectum per ſe tactus ſunt ſolum

[illegible] 286
Obiectum ſenſibile dicitur illud, quod à ſenſu percipitur. 200
Oculi puerorum ſunt flaui, dum adoleſcunt ſunt nigri, & cur. 248
Oculus non eſt natura igneus, ſed aqueus. 212
Ocularia quomodo præſtent melius remota vel propingua videre. 218
Odium quid ſit eiuſque cauſa, & effectus. 393
Odor an à re odorabile referatur realiter vſque ad odoratum. 270
Odor à quibuſdam corporibus non poteſt educi ſine exalatione, & à quibuſdam poteſt. 270
Odor corpus viuentis nutrire non poteſt. 180
Odor eſt realiter in aere vſque ad odoratum. 270
Odor quid ſit, & an proueniat à ſicco, an verò ab humido. 267
Odor ſpiritus nutrire non poteſt, & cur. 181
Odores non habent vim nutriendi, & cur. 180
Odor eſt gratus, fœtor ingratus, & cur. 276
Odoratus hominis eſt eiuſdem rationis cùm odoratu aliorum animalium. 274
Odores aliquandò in capite dolorem inducunt, & cur. 277
Odores quidam, quibuſdam grati, & quibuſdam ingrati, & cur. 277
Operatio appetitus iraſcibilis quid. 395
Operatio appetitus concupiſcibilis quid. pag. 386
Operationes appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis ſunt variæ quæ dicuntur animi pathemata, ideſt paſſiones animi. 345. 385
Operationes appetitus concupiſcibilis ſunt amor, deſiderium, delectatio, odium, fuga, & triſtitia. 386
Operationes appetitus iraſcibilis ſunt quinque, ideſt ſpes, deſperatio, timor, audacia, & ira. 345
Oratores bona voce, ſuaui locutione, multis elegantijs præditi ingenio carent. 369
Organum guſtus eſt lingua. 284
Organum odoratus conſtituentia multa. 271
Organum odoratus ſecundum ſuam naturalem conſtitutionem eſt frigidum, & humidum. 272
Organum odoratus non poſſunt eſſe caruncula mammillares. 273
Organum principale per ſe tactus ſunt nerui, caro eſt organum tactus ratione neruorum, non ratione ſui. 289
Oſſa non ſunt animata anima rationali. 40
Oſſa non ſunt animata anima ſenſitiua. 39
Oſſa ſunt animata anima vegetatiua. 34
Oua recentia multum, & bene nutriut, vetuſta difficilis concoctionis, & peſſimi alimenti ſunt. 186

P

PArs princeps dicitur illa quæ præbet materiam neceſſariam ad vitam, ita perfectam, vt ab alia potentia perfici non poſſit. 40
Pars princeps dicitur illa à qua aliæ dependent, iſta vero ab alijs non dependet. ibid.
Partes principes in corpore viuentis ſunt cerebrum, cor, & hepar. ibid.
Partes corporis minus principales efformantur ſucceſſiuè vna poſt aliam. 160
Partes animalius quæ facilis concoctionis, & boni alimenti, & quæ dificilioris. 185
Partes excrementitiæ, vt vngues roſtra, & cornua non ſunt animatæ. 126
Partes principales Corporis, vt Cor, hepar, & cerebrum ſimul efformantur. 164
Partes oculos componētes ſunt multæ, ac variæ. 222
Par-

Partus difficilis triplex primus ratione motus, ſecundus ratione fœtus, tertius ratione vtriuſque. 166
Phantaſia ſine paſſionibus animi fœtum ſignare non poteſt. 339
Phantaſia dirigit, & determinat virtutem efformatiuam ad imprimendas maculas, ſeù ſignaturas in particulari per ſpecies rerum, tamquàm per exemplar. 338
Phantaſia particulares ſignaturas, & maculas imaginatas in fœtum inducit dirigendo, & determinando virtutem efformatricem. 337
Phantaſia per paſſiones animi, & motum ſpirituum, & humorum in propiio Corpore imprimit varias ſignaturas. 332
Phantaſia per ſuam propriam actionem extra ſe nihil poteſt agere. 330
Phantaſia, & imaginatiua omninò idem ſignificant. 321
Phantaſia reſidet in dextero ventriculo anterioris partis cerebri. 322
Phantaſia quid, eiuſque definitiò. 321
Phantaſię temperamentum eſt calidum, & ſiccum. 323
Philoſophi, & cogitabundi habent barbam magnam, & cur. 120
Pili alij ſunt congeniti, & alij poſtgeniti. 121
Pili, & capilli non ſunt animati, & cur. 125
Pili in cicatricibus hominum cur non naſcuntur. 119
Pili, ac capilli vehementi imaginatione mortis, vna nocte cani facti ſunt. 332
Pilorum cauſæ. 119
Pilorum generationis modus. 118
Pilorum variæ proprietates, ac differentiæ. 121
Piſces, qui pulmonibus carent non reſpirant, pulmones verò habentes, vt cocodrillus, delphinus, multaque alia reſpirant. 265
Piſces omnes producunt alimentum frigidum, & humidum. 186
Plantæ longioris vitæ ſunt Cupreſus, Palma, Vlmus, & Oliua, & cur. 86
Plus alimenti ſumendum in Cœna, quàm prandio, & cur. 177
Poetica, Oratoria, muſica, Architectura alieque facultates, quæ conſiſtunt in figura, & armonia pertinent ad phantaſiam. 368. & ſeq.
Poſt cibum cur aliqui ſitiant. 283
Potentia appetitiua quid ſit, & quotuplex. 383
Potentia motiua quid, & quotuplex ſit. 402
Petentia augmentatiua dùm deſinit operari non corrumpitur. 191. & 192
Potentia nutritia, & augmentatiua quid ſint, eorumque finis, & obiecta. pag. 190
Potentia ſenſitiua eſt duplex alia interna, & alia externa. 193
Potentia ab Ariſtotile diuiditur in quinque genera, à Gal. in tria, à quibuſdam, alijs in quatuor. 52
Potentia ſenſitiua eſt quæ mediantibus organis circa notitiam rerum corporearum verſatur. 193
Potentia variè à varijs deſcribitur. 51
Potentia generatiua non reperitur in omnibus animalibus, etiam perfectis cùm aliunde generari poſſint. 101
Potentiæ animales oriuntur à cerebro, vitales à Corde, naturales ab hepate. 59
Potentiæ animæ rationalis ideſt intellectus, & voluntas recipiuntur in ipſa anima. 57
Potentia animæ rationalis ideſt intellectus, & voluntas non ſunt realiter diſtinctæ ab Anima. 54
Potentiæ animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ recipiuntur in compoſito ex Anima, & Corpore. 56
Potentiæ generatiuæ deſcriptio. 99
Potentia generatiua non reperitur in omnibus animalibus. 101

Digitized by Google

Potentiæ generatiuæ finis eſt conſeruatio ſpeciei. 100
Potentiæ generatiuæ variæ acceptiones. 100
Potentiæ immateriales ideſt intellectus. & voluntas non educuntur de potentia materiæ. 58
Potentiæ materiales educuntur à materia prima, non nuda, ſed quatenus includit formas partiales. 58
Potentiæ materiales, ideſt Animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ realiter diſtinguũtur ab Anima vegetatiua, & ſenſitiua. 53
Potentiæ materiales ſunt inter ſe realiter diſtinctę. 55
Potẽtię ſenſitiuę, & rationales ſpecificãtur à ſuis actibus nõ verò naturales. 60
Potentię nutritiuę, & augmentatiuę finis eſt conſeruatio indiuidui. 190
Potentię famulares quot, & quę ſint, earumque finis. 190
Potus quid ſit eiuſq; finis. 187
Pręcepta ab Auctoribus allata, quę ſeruari debent in conceptione. 139 & ſequentibus.
Primi parentes in Paradiſo terreſtri niſi eſſent expulſi non mouentur, & cur. 68
Primi parentes in paradiſo terreſtri ſomno tentabantur. 310
Primi parentes in paradiſo terreſtri habebant potentiam generatiuam non ad conſeruationem ſpeciei, ſed ad eius propagationem. 100
Priuationes per ſe, & poſitiuę à ſenſu percipi non poſſunt. 207
Prope mortem partes externę refrigerantur, & cur. 46
Proprietates bonam phantaſiam habẽtium. 370 & ſeq.
Partes externę corporis in febre prius refrigerantur deinde incaleſcunt, & cur. 97
Proprietates bonum ingenium habentium. 371
Proprietates optimam grammaticam poſſidentium. 378
Proprietates bonam memoriam habentium. 378
Pueri, & ſenes ſępè & parum ſunt alẽdi. 195
Pueri facilius addiſcunt, & recordantur, quam ſenes, & cur. 381
Pueri, Eunuchi, & fœminę cur barbam non habeant. 120
Pueri, & ſenes iuuenibus timidiores, ſunt, & cur. 397
Puerperium quid. 133
Pullus circa diem vigeſimum pipit, & mouetur. 159
Pulchritudo quid ſit, eiuſq; cauſę. 387
Pulmo mouetur à diafragmate. 264
Pulſus quid ſit, à quo, & propter quid ſit. 266
Pupilla quid ſit, eiuſq; proprietates. 224
Pupilla in quibuſdã animalibus, maior, & in quibuſdam minor, earumque effectus. 225
Purgatio ſanguinis puerperij non durat ęquali tempore in parturiente marẽ, & fœminam. 133
Pupilla dilatatur in obſcuro, & conſtringitur in luminoſo, & cur. 225

Q

Quidam nullum appetitum edendi habent, quando verò edere incipiunt appetitus excitatur, & e contra, & cur. 282

R

Ratio cur prius in morte refrigerãtur extrema. 96
Ratio cur in initio febris extrema refrigerantur, deinde incaleſcant. 97
Rationes probantes in homine dari animam rationalem, quæ æquiualet vegetatiuæ, & ſenſitiuæ. 25
Rationes probantes in homine dari tres Animas realiter diſtinctas, ideſt vegetatiuam, ſenſituam, & rationalẽ. 28
Rationes contra experientias probantes viſionẽ fieri per extramiſſionẽ. 220

Ra-

Rationes probantes animam rationalem in ſententia Ariſtotelis eſſe mortalem. 409
Rationes probantes in ſententia Ariſtotelis animam eſſe immortelem. 416
Rationes probantes mortalitatem, Animæ earumque reiectio. 413
Reflexio, & refractio viſionis quænam ſit. 235
Reflexio quid ſit, & quotuplex. 234 & ſeq.
Refractio generat deceptionem viſionis & cur. 235
Refractio per quid differat à reflexione. 235
Regula cognoſcendi quando amaritudo proueniat à calore, & quando à frigore. 280
Regulæ ſomnia interpretandi. 354
Regulæ ad generandum filium boni ingenij, vel bonæ imaginatiuæ, vel bonæ memoriæ. 375 & ſeq
Regula cognoſcendi habentes bonum ingenium. 374
Regulæ conſeruandi filium boni ingenij vel imaginationis, vel memoriæ poſtquam genitum cum bono ingenio, vel imaginatione, &c. 376
Regula cognoſcēdi puerum, in quo litterarum ſtudio euaſurum. 380
Regulæ ad generandum filium prudētem, vel robuſtum, ac fortem. 376
Regulæ cognoſcendi habentes bonam memoriam. 382
Reijciuntur Auctores, & rationes allatæ contra ſententiam ponētem tres Animas in homine realiter diſtinctas. 30
Reijciuntur rationes probantes mortalitatem animæ. 414
Reminiſcentia quid ſit & ad eam requiſita. 365
Requiſita ad conceptionem maris ab Ariſtotele, & alijs Authoribus. 143
Requiſita ab authoribus allata ad conceptionem maris ſunt nullius valoris ſine requiſitis ab Authore allatis. 144
Requiſita ad faciendum ſemen perfectum, & ad generationem maris idoneum.
Requiſita ad hoc vt aliquid ſit animatum. 116
Requiſita allata ab Authore ad conceptionē maris, preter communia ab Authoribus inducta. 145
Requiſita ad hoc vt ſenſus non decipiatur. 210
Res habentes mirabilem virtutem occultam per ſynpathiam, vel anthipathiam. 74
Res quæ producunt humidum perfectius humido radicali. 81
Reſpiratio eſt partim naturalis, partim violenta. 263
Reſpiratio quid, quotuplex, & propter quid ſit. 262
Reſpiratio quatenus fit à muſculis, & diafragmate eſt motus voluntarius quatenus verò nobis non cogitātibus poteſt dici motus neceſſarius. 263
Reſpirationis finis quis. 263
Retentio menſtruorum vnde. 134
Riſus quid ſit, eius cauſa, & qui facilius ad riſum mouentur. 392
Roſtra, vngues, cornua, &c. non ſunt animata, & cur. 126

S

Salaces fœtorem habent in ore, & sūt breuioris vitæ, & cur. 84
Sanguis menſtruus alius bonus, alius malignus, & vnde habeat malignitatem. 133
Sanguis menſtruus quid, & an omnes fœminæ eum habeant. 126
Sanguis, ſeu maſſa ſanguinea conſtans quatuor humoribus non eſt animata. 116
Sanguis menſtruus ſingulis menſibus foras effluit, vnde habet hunc periodum, de quo variæ opiniones. 128
Sāguis mēſtrui quātitas, quę effluit. 128
Sapor inſipidus non eſt verus ſapor. 280
Sapor quid ſit. 278

Digitized by Google

Saporis ſpecies quot ſint. 278
Sapores ſi accipiantur ratione voluptatis, ſeu triſtitiæ maximè contrarij ſũt dulcis, & amarus, ſi ratione principij, & cauſæ ex qua prouenimunt maximè contrarij ſunt acerbus, & acerrimum. 280.
Saporum omnium naturæ, proprietates & effectus. 278 & ſeq
Sapores medij prouenientes a natura ſunt veri, ab arte verò nõſunt veri. 284
Saporum ſenſus, ſeu vis ſenſiendi ſapores vbi ſit. 285
Scientia de Anima eſt præſtantior omnibus ſcientijs excepta metaphyſica. pag. 3.
Scientia de anima eſt pars Phyſicæ. 1
Scientiæ ad bonam imaginatiuam pertinentes. 368
Scientiæ ad bonum ingenium pertinentes. 371
Scientiæ ad bonam memoriam pertinentes. 377
Sententia ponens in homine tres animas realiter diſtinctas. 27
Semen actu non eſt animatum. 114
Semen ad conceptionem maris requiſitum debet eſſe calidum, & ſiccum, craſſum, & aereum, 114
Semeu fecundum qaale. 158
Semen fœminę imperfectum. 106
Semen fœminæ non concurrit neque actiuè, neque paſſiuè. 107
Semen maris concurrit actiuè ad conceptionem filij. 107
Semen prouenit ex omnibus partibus corporis, de quo variæ ſententiæ, & rationes. 112
Semen quid. 107
Seminis animalis definitio. 109
Semina plantarum etiamſi ſolida, & figurata, non tamen ſunt animata. pag. 115.
Senectus comparata cum febri hectica. pag. 76
Senes cur remota melius videant, quàm propinqua. 216
Senſatio efficienter, & principaliter producitur ab anima. 205
Senſibile aliud per ſe, aliud per accidens. pag. 200.
Senſibile per ſe aliud commune, & aliud proprium. 201
Senſibile commune quid, & quotuplex. 201
Senſibilia communia ſunt tantum quinque. 201.
Senſibilia communia percipiuntur per ſuas proprias ſpecies. 202.
Senſus interni requirunt ſpecies, vt operentur. 200
Seuſus poſitis omnibus requiſitis decipi non poſſunt. 211.
Senſus requirunt neceſſariò medium ad operandum. 207
Senſus tactus vnus ſpecie, nõ multiplex vt quidam opinantur. 288
Senſus omnes per ſe percipere poſſunt dolorem improprium, ideſt moleſtiã quamdam. 297
Senſus tactus ſolùm per ſe percipit dolorem, cæteri verò ſenſus ratione tactus. 297
Senſus viſus eſt præſtantior alijs ſenſibus ratione neceſſitatis precedunt alijs ſenſus. 297
Senſus internus quid, & quotuplex ſit. pag. 248
Sẽſus interni ſunt quatuor, & quare. 299
Senſus interni ſunt inter ſe realiter diſtincti, ac diuerſi. 299
Senſus communis quid ſit, & an ſit neceſſarius. 301
Senſus communis munera. 301
Sententia ponens fœminam concurrere actiuè ad generationem filij, eiuſque rationes. 103
Senſus communis reſidet in anteriori parte cerebri in ſiniſtro vẽtriculo. 302
Senſus communis ad benè operandum requirit eaſdem diſpoſitiones cerebri, quas phantaſia. 304

Sententia ponens fœminam concurrere paſſiuè,eiuſque rationis. 204
Sententia pones in homine vnam tan tum animam eiuſque rationes. 25
Sententia ponens in homine plures animas eiuſque rationes. 27
Sententia ponens in homine tres animas realiter diſtinctas habet magnam vim, & probabilitatem in philoſo phia. 32
Signa cognoſcendi habentes bonum ingenium. 371 & ſeq
Signa deſitionis ſomni naturaliter, & coactè 310
Signa cognoſcendi habentes bonam phantaſiam, ſeu imaginationem. 370
Signa infallibilis ignorantiæ. 378
Signa habentium bonam memoriam num. 382
Signi cognoſcendi animalia perfecta, & imperfecta. 291
Signa cognoſcendi ſemen bonum, ac perfectum. 144
Signa conceptionis maris, & fœminæ. num. 148
Signa futuræ mortis varia. 98
Signa inceptionis ſanguinis menſtrui in fœminis, & ſemenis in pueris. 124
Signa multa, ac varia longitudinis, & breuitatis vitæ. 88
Signa factę conceptionis. 148
Sitis aliquando prouenit ab humoribus in ventriculo exiſtentibus, & al.quádo à niue vinum,& aqua refrigerante, & cur. 283
Somnia aliquando sunt ordinata,& clara, aliquando inordinata, & obſcura. num. 346
Somnia quomodo fiunt, & requiſita ad eorum generationem. 34[illegible]
Somnia cur potius noctu, quam di[illegible] citentur.
Somnia potius hominibus ignar[illegible] ſapientibus contingere ſolent[illegible] num.
Somnia[illegible] At[illegible]
generis. 351
Somnia quæ ſunt interpretanda,& quibus liceat interpretare. 351
Somniantes exercere poſſunt multas operationes vigilantium, & cur. 349
Somnium propriè eſt quod figuris tegitur, & ambigijs velatur. 351
Somnium quid ſit, quæ eius materia, & modus quo fit. 343
Somniorum ſpecies,ſeu ſimulachra, aliquandò generant deceptionem, aliquando non. 344
Somniorum cauſæ multæ, & variæ. 346 & ſeq.
Somniorum interpres quis,& quas conditiones hebere debet. 353
Somnia non ſunt operationes ſenſuum externorum, neque intellectus. 342
Somnia ſunt operationes phantaſiæ 345
Somniorum, quæ interpratare non li- num. 357
Somnum prouocantia, & impedientia. cet. 309
Somnus quid ſit. 304
Somnus quomodo fit ex, quibus cauſis 306.& ſeq.
Somnus propter quid ſit inſtitutus à natura. 311.
Somnus aliquando prouenit a iucunda cantatione, & delectabili ſono, &c. & cur. 307
Somnus proueniens à vaporibus noxijs, vt ex papauere, mandragora, &c. non eſt naturalis, ſed præter naturalis. 309
Somnus quomodo naturaliter finitur,& quomodò coactè. 3[illegible]0
Somnus quiſnam bonus, & quis malus. num. 312
[illegible]mnus eſt paſſio ſenſus communis. 301
[illegible]us profundus. & leuis vnde pro[illegible]nt. 313.& ſeq.
[illegible], & v[illegible] nt omni a[illegible] 318
[illegible] di[illegible] nueniens 314.

[illegible]

Digitized by Google

Somnus diuerſus ſecundùm diuerſa temperamenta eſſe debet. 315
Somnus meridianus malus, & cur. 318
Somnus meridianus aliquando bonus, & quibus conuenit. 315
Somnus moderatus quis. 312
Sonus eſt qualitas, non prima, ſed ſecunda. 249
Sonus fieri poteſt in aere, & aqua. 252
Sonus generatur ex ictu corporum ſonantium in aere. 251
Sonus non generatur a ſola motione aeris, ſed fit à corporibus duris. 251
Sonus non eſt motus, neque ſubſtantia. 249
Sonus triplici modo generari ſolet. 250
Sonus realiter non perfertur per totum ſpatium vſque ad auditum ex motione aeris, ſed partim realiter partim intentionaliter. 253
Species intentionalis quid ſit. 144
Species ab obiecto ad ſenſum tranſmittuntur per continuum influxum. 199
Species intentionales ſunt imperfectiores obiecto. 199
Species intentionales ab Ariſtotile dicuntur materiales, & cur. 198
Species odorum ſunt multæ, & variæ. num. 176
Species principales coloris ſunt ſeptem, ad quas cæteræ reducuntur. 243
Species repræſentant obiectum formaliter, & vt quo. 199
Species intentionales ſunt materiales, & corporeæ. 198
Species intentionales producuntur ab obiecto. 198
Species intelligibiles ſũt qualitates quędam ab obiecto in ſenſum immiſſæ, & in eo receptæ ipſum obiectum repręſentant. 200
Specula repræſentantia rem alter ac eſt in ſe. 237
Speculum quid, & quotuplex ſit. 236
Spes quid ſit, eiuſque cauſæ, & effectus. 395
Spiritus à ſenſu communi ad ſenſus externos, & ſpecies a ſenſibus externis à tribus rebus impediri ſolent. 305
Spiritus ab aere, vel odore nutriri non poſſunt. 182
Spiritus non ſunt animati neque cæteri humore. 117
Spuma eſt alba ob permixtionem aeris perſpicui, & aquæ opacæ. 240
Sterilitas aliquandò ex parte fœminæ, aliquandò ex parte maris, & aliquandò ex aliquo extrinſeco prouenit. 149
Sterilitatem inducentia multa aſſignantur ab Auctoribus, multaque eam tollentia. 150
Studium nimium lædit organum odoratus, & cur. 277
Subiectum ſoni eſt aer, & etiam aqua. num. 252
Subiectum coloris non eſt corpus ſimplex. 241

T

Tactus, vt ſenſus tactus eſt, nullo indiget medio interno. 240
Tactus, ad ſentiendum non indiget medio externo diſtincto ab agente. 290
Temperamentum ad bonam phantaſiam requiſitum eſt calidum, & ſiccum. 382
Temperamentum humidum cerebri ad bonum ingenium non eſt idoneum. pag. 360
Temperamentum calidum, & ſiccum cerebri ad bonum ingenium non eſt idoneum. 361
Temperamentum cerebri ad bonum ingenium eſt frigidum, & ſiccum, ſeu melancholicum. 361
Temperamentum ad bonam memoriam requiſitum eſt humidum, humiditate aerea. 364
Tempora pertinentia ad formationem fœtus, quatuor aſſignari ſolent. 151
Tempus plus vel minus alimenti ſumendi. 175
Tempus idoneum ad conceptionem. 137

Tem-

Digitized by Google

Tempus in quo fœminis incipiunt, & deſinunt menſtrua. 129
Tempus in quo maſculi ſemen habere incipiunt, & deſinunt. 129
Terminus ſpecificus vitę hominis, & aliorum animalium. 90
Theologia moralis pertinet ad memoriam. 379
Timor quid ſit, eiuſque cauſæ, effectus, & ſpecies. 396. & ſeq.
Triplex potentia Animæ ſenſitiuæ. 193
Triſtitia quid ſit, eiuſque cauſæ, effectus, & ſpecies. 394
Tunicæ oculorum vide membranæ. pag. 222

V

Varijs temperamentis, & ætatibus varia conueniunt exercitia. pag. 405
Variæ acceptiones vitæ. 63
Variæ rationes probantes calorem natiuum non eſſe calorem elementarem, ſed quid perfectius, & celeſte. pag. 155
Variæ experientiæ aduerſariorum probantium viſionem fieri per extramiſionem. 216
Varietas temporis parienti oritur ex varietate virtutis efformatiuæ. 170
Venæ originem ducunt ab Epate. pag. 43
Venena nutrire non poſſunt & cur. 183
Ventriculus læſus appetit terram, carbones, &c. 1
Ventriculus nutritur à ſanguine non à chilo. 189
Verecundia quid ſit, reducitur ad timorem, & cur verecundi oculos deorſum tendant. 398
Videre bene remota, & malè propinpinqua, & malè remota, &c. vnde proueniat. 216
Vigilia quid ſint earum, cauſæ vtilitas. pag. 317
Virtus efformatiua eſt calor natiuus, qui eſt cęleſtis, non elementaris. 156
Virtus efformatiua eſt, quæ efformat omnia membra corporis, id eſt tribuens illi debitam quantitatem, figuram, numerum, ſitum, cæteraque omnia ad vſum partis. 152
Virtutem efformatiuam aſſignare difficile eſt, Ariſtoteles arti, & intellectui comparat Gal. ſe neſcire inquit quidnam ſit. Plato ideam, alij intelligentiam, alij ipſum Deum eſſe inquiunt. pag. 152
Virtus pulueris viperinæ. 82
Vis ſentiendi odores non eſt in naribus. pag. 274
Vis ſentiendi odores eſt in neruulis expanſis in extremitatibus narium. pag. 274
Viſio propter varias rationes præſtantior alijs ſenſibus. 227
Viſio fit per intra ſuſceptionem ſpecierum repræſentantium obiectum. 215
Viſio deprauata ratione ſpirituum cognoſcitur per ocularia. 217
Viſionem fieri per extramiſionem varia exempla. 216
Viſio non fit per egreſſionem alicuius corporis luminoſi ab oculo, vt dicebat Empedocles, neque per egreſſionem ignis vt volebat Plato, neque per egreſſionem ſpirituum, vt dicebat Galenus. 214 & ſeq.
Viſio fit in oculo in humore cryſtallino. pag. 217
Viſio non fit in neruis opticis, ſed in humore cryſtallino. 226
Vitæ explicatio ad modum lampadis ardentis. 64
Vita eſſentialiter conſiſtit in calore natiuo, & humido radicali. 64
Vita longa ante diluuium, & cur. 87
Viuens creſcit plus ſecundum longitudinem, quam latitudinem, & cur. pag. 142
Viuentia omnia non ſolum animalia, ſed etiam plantę tranſpirant, 204
Viuentium, quæ ſunt longioris vitæ, & quæ

quæ breuioris . . . 86
Vocis deſcriptio. 256
Vocum varietas earum cauſæ. 257
Vox articulata, quæ & quæ inarticulata. 259
Vox pſitaci non eſt articulata, & cur. pag. 257
Vocis bona, & defectuoſæ cauſæ. 259
Vox bona quæ, & quæ defectuoſa. pag. 257
Vox balbutiens, eiuſque cauſæ. 260
Vox bleſſa, eiuſque cauſæ. 260
Voluntas quid ſit, & an diſtinguatur ab intellectu. 422
Vteri partes quæ. 135
Vteri qualitas. 137
Vterus quid ſit, & cur ita dictus eſt. pag. 135
Vterus non eſt animal, vt putabat Plato. 136

Z

Zelotypia quid ſit. 390
Zelotypia quibus dominatur. 388

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

Pag. lin.	ERRATA	CORRIGE.
15. 31.	coruptile	corruptibile
66. 2.	reactatione	reactione
68. 9.	conſequens	conſequenter
73. 16.	coram omnes.	coram omnibus.
79. 17.	ſenio	ſenectute
79. 10.	volens	velit.
137. 2.	fuit	fuerit
163. 29.	eſt format	efformat
189. 19.	excitantur	excitatur
196: 31.	parietatem	puritatem
202. 16.	numerorum	numerum
205. 14.	ipſorum	ipſas
210. 7.	decipitur	decipiuntur
216. 18.	quomò.	quomodo
241. 34.	debeant	debebant
322. 4.	dependant	dependeant
328. 36.	prodijſſe	produxiſſe
333. 24.	repræſentare	repræſentando
335. 29.	gerantur	generantur
349. 30.	repræſentando	repræſentare
351. 12.	relinquerunt	reliquerunt
370. 21.	ſipidis	inſipidis
380. 22.	prædicti	præditi
384. 35.	tenendi	tendendi
399. 25.	perſecutio	proſecutio
399. 32.	candeſcentiam	excandeſcentiam
411. 30.	äfferro	affero
422. 20.	à dextra	ad extra
423. 27.	complectiuè	completiue

Digitized by Google

Digitized by Google

Potentiæ generatiuæ finis eſt conſeruatio ſpeciei. 100
Potentiæ generatiuæ variæ acceptiones. 100
Potentiæ immateriales ideſt intellectus. & voluntas non educuntur de potentia materiæ. 58
Potentiæ materiales educuntur à materia prima, non nuda, ſed quatenus includit formas partiales. 58
Potentiæ materiales, ideſt Animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ realiter diſtinguũtur ab Anima vegetatiua, & ſenſitiua. 53
Potentiæ materiales ſunt inter ſe realiter diſtinctę. 55
Potētię ſenſitiuę, & rationales ſpecificātur à ſuis actibus nõ verò naturales. 60
Potentię nutritiuę, & augmentatiuę finis eſt conſeruatio indiuidui. 190
Potentię famulares quot, & quę ſint, earumque finis. 190
Potus quid ſit eiuſq; finis. 187
Pręcepta ab Auctoribus allata, quę ſeruari debent in conceptione. 139 & ſequentibus.
Primi parentes in Paradiſo terreſtri niſi eſſent expulſi non mouentur, & cur. 68
Primi parentes in paradiſo terreſtri ſomno tentabantur. 310
Primi parentes in paradiſo terreſtri habebant potentiam generatiuam non ad conſeruationem ſpeciei, ſed ad eius propagationem. 100
Priuationes per ſe, & poſitiuę à ſenſu percipi non poſſunt. 207
Prope mortem partes externę refrigerantur, & cur. 46
Proprietates bonam phantaſiam habētium. 370 & ſeq.
Partes externę corporis in febre prius refrigerantur deinde incaleſcunt, & cur. 97
Proprietates bonum ingenium habentium. 371
Proprietates optimam grammaticam poſſidentium. 378
Proprietates bonam memoriam habentium. 378
Pueri, & ſenes ſępè & parum ſunt alēdi. 175
Pueri facilius addiſcunt, & recordantur, quam ſenes, & cur. 381
Pueri, Eunuchi, & fœminę cur barbam non habeant. 120
Pueri, & ſenes iuuenibus timidiores, ſunt, & cur. 397
Puerperium quid. 133
Pullus circa diem vigeſimum pipit, & mouetur. 159
Pulchritudo quid ſit, eiuſq; cauſę. 387
Pulmo mouetur à diafragmate. 264
Pulſus quid ſit, à quo, & propter quid ſit. 266
Pupilla quid ſit, eiuſq; proprietates. 224
Pupilla in quibuſdã animalibus, maior, & in quibuſdam minor, earumque effectus. 225
Purgatio ſanguinis puerperij non durat ęquali tempore in parturiente marē, & fœminam. 133
Pupilla dilatatur in obſcuro, & conſtringitur in luminoſo, & cur. 225

Q

QVidam nullum appetitum edendi habent, quando verò edere incipiunt appetitus excitatur, & e contra, & cur. 282

R

RAtio cur prius in morte refrigerātur extrema. 96
Ratio cur in initio febris extrema refrigerantur, deinde incaleſcant. 97
Rationes probantes in homine dari animam rationalem, quæ æquiualet vegetatiuæ, & ſenſitiuæ. 25
Rationes probantes in homine dari tres Animas realiter diſtinctas, ideſt vegetatiuam, ſenſiuuam, & rationalē. 28
Rationes contra experientias probantes viſionē fieri per extramiſſionē. 210

Ra-

Rationes probantes animam rationalem in ſententia Ariſtotelis eſſe mortalem. 409
Rationes probantes in ſententia Ariſtotelis animam eſſe immortelem. 416
Rationes probantes mortalitatem, Animæ earumque reiectio. 413
Reflexio, & refractio viſionis quænam ſit. 235
Reflexio quid ſit, & quotuplex. 234 & ſeq.
Refractio generat deceptionem viſionis & cur. 235
Refractio per quid differat à reflexione. 235
Regula cognoſcendi quando amaritudo proueniat à calore, & quando à frigore. 280
Regulæ ſomnia interpretandi. 354
Regulæ ad generandum filium boni ingenij, vel bonæ imaginatiuæ, vel bonæ memoriæ. 375 & ſeq
Regula cognoſcendi habentes bonum ingenium. 374
Regulæ conſeruandi filium boni ingenij vel imaginationis, vel memoriæ poſtquam genitum cum bono ingenio, vel imaginatione, &c. 376
Regula cognoſcēdi puerum, in quo litterarum ſtudio euaſurum. 380
Regulæ ad generandum filium prudētem, vel robuſtum, ac fortem. 376
Regulæ cognoſcendi habentes bonam memoriam. 382
Reijciuntur Auctores, & rationes allatæ contra ſententiam ponētem tres Animas in homine realiter diſtinctas. 30
Reijciuntur rationes probantes mortalitatem animæ. 414
Reminiſcentia quid ſit & ad eam requiſita. 365
Requiſita ad conceptionem maris ab Ariſtotele, & alijs Authoribus. 143
Requiſita ab authoribus allata ad conceptionem maris ſunt nullius valoris ſine requiſitis ab Authore allatis. 144
Requiſita ad faciendum ſemen perfectum, & ad generationem maris idoneum.
Requiſita ad hoc vt aliquid ſit animatum. 116
Requiſita allata ab Authore ad conceptionē maris, preter communia ab Authoribus inducta. 145
Requiſita ad hoc vt ſenſus non decipiatur. 210
Res habentes mirabilem virtutem occultam per ſynpathiam, vel antipathiam. 74
Res quæ producunt humidum perfectius humido radicali. 81
Reſpiratio eſt partim naturalis, partim violenta. 263
Reſpiratio quid, quotuplex, & propter quid ſit. 262
Reſpiratio quatenus ſit à muſculis, & diafragmate eſt motus voluntarius quatenus verò nobis non cogitātibus poteſt dici motus neceſſarius. 263
Reſpirationis finis quis. 263
Retentio menſtruorum vnde. 134
Riſus quid ſit, eius cauſa, & qui facilius ad riſum mouentur. 392
Roſtra, vngues, cornua, &c. non ſunt animata, & cur. 126

S

SAlaces fœtorem habent in ore, & sūt breuioris vitæ, & cur. 84
Sanguis menſtruus alius bonus, alius malignus, & vnde habeat malignitatem. 133
Sanguis menſtruus quid, & an omnes fœminæ eum habeant. 126
Sanguis, ſeu maſſa ſanguinea conſtans quatuor humoribus non eſt animata. 116
Sanguis menſtruus ſingulis menſibus foras effluit, vnde habet hunc periodum, de quo variæ opiniones. 128
Sāguis mēſtrui quātitas, quę effluit. 128
Sapor inſipidus non eſt verus ſapor. 280
Sapor quid ſit. 278

Saporis ſpecies quot ſint. 278
Sapores ſi accipiantur ratione voluptatis, ſeu triſtitiæ maximè contrarijs ſūt dulcis, & amarus, ſi ratione principij, & cauſæ ex qua proueniunt maximè contrarij ſunt acerbus, & acerbum. 280.
Saporum omnium naturæ, proprietates & effectus. 278. & ſeq
Sapores medij prouenientes a natura ſunt veri, ab arte verò nōſunt veri. 284
Saporum ſenſus, ſeu vis ſenſiendi ſapores vbi ſit. 285
Scientia de Anima eſt præſtantior omnibus ſcientijs excepta metaphyſica. pag. 3.
Scientia de anima eſt pars Phyſicæ. 1
Scientiæ ad bonam imaginatiuam pertinentes. 368
Scientiæ ad bonum ingenium pertinentes. 371
Scientiæ ad bonam memoriam pertinentes. 377
Sententia ponens in homine tres animas realiter diſtinctas. 27
Semen actu non eſt animatum. 114
Semen ad conceptionem maris requiſitum debet eſſe calidum, & ſiccum, craſſum, & aereum, 114
Semeu fecundum qaale. 138
Semen fœminę imperfectum. 106
Semen fœminæ non concurrit neque actiuè, neque paſſiuè. 107
Semen maris concurrit actiuè ad conceptionem filij. 107
Semen prouenit ex omnibus partibus corporis, de quo variæ ſententiæ, & rationes. 112
Semen quid. 107
Seminis animalis definitio. 109
Semina plantarum etiamſi ſolida, & figurata, non tamen ſunt animata. pag. 115.
Senectus comparata cum febri hectica. pag. 76
Senes cur remota melius videant, quàm propinqua. 216
Senſatio efficienter, & principaliter producitur ab anima. 205
Senſibile aliud per ſe, aliud per accidens. pag. 200.
Senſibile per ſe aliud commune, & aliud proprium. 201
Senſibile commune quid, & quotuplex. 201
Senſibilia communia ſunt tantum quinque. 201
Senſibilia communia percipiuntur per ſuas proprias ſpecies. 202
Senſus interni requirunt ſpecies, vt operentur. 200
Seuſus poſitis omnibus requiſitis decipi non poſſunt. 211
Senſus requirunt neceſſariò medium ad operandum. 207
Senſus tactus vnus ſpecie, nō multiplex vt quidam opinantur. 288
Senſus omnes per ſe percipere poſſunt dolorem impropriùm, ideſt moleſtiā quamdam. 297
Senſus tactus ſolùm per ſe percipit dolorem, cæteri verò ſenſus ratione tactus. 297
Senſus viſus eſt præſtantior alijs ſenſibus ratione neceſſitatis pręcedunt alijs ſenſus. 297
Senſus internus quid, & quotuplex ſit. pag. 248
Sēſus interni ſunt quatuor, & quare. 299.
Senſus interni ſunt inter ſe realiter diſtincti, ac diuerſi. 299
Senſus communis quid ſit, & an ſit neceſſarius. 301
Senſus communis munera. 301
Sententia ponens fœminam concurere actiuè ad generationem filij, eiuſque rationes. 103
Senſus communis reſidet in anteriori parte cerebri in ſiniſtro vētriculo. 302.
Senſus communis ad benè operandum requirit eaſdem diſpoſitiones cerebri, quas phantaſia. 304

Se...

Sententia ponens fœminam concurrere paſſiuè,eiuſque rationes. 204

Sententia pones in homine vnam tantum animam eiuſque rationes. 25

Sententia ponens in homine plures animas eiuſque rationes. 27

Sententia ponens in homine tres animas realiter diſtinctas habet magnam vim, & probabilitatem in philoſophia. 32

Signa cognoſcendi habentes bonum ingenium. 371 & ſeq

Signa deſitionis ſomni naturaliter, & coactè 310

Signa cognoſcendi habentes bonam phantaſiam, ſeu imaginationem. 370

Signa infallibilis ignorantiæ. 378

Signa habentium bonam memoriam num. 382

Signi cognoſcendi animalia perfecta, & imperfecta. 291

Signa cognoſcendi ſemen bonum, ac perfectum. 144

Signa conceptionis maris, & fœminæ. num. 148

Signa futuræ mortis varia. 98

Signa inceptionis ſanguinis menſtrui in fœminis, & ſemenis in pueris. 124

Signa multa, ac varia longitudinis, & breuitatis vitæ. 88

Signa factę conceptionis. 148

Sitis aliquando prouenit ab humoribus in ventriculo exiſtentibus, & aliquãdo à niue vinum,& aqua refrigerante, & cur. 283

Somnia aliquando sunt ordinata,& clara, aliquando inordinata, & obſcura. num. 346

Somnia quomodo fiunt, & requiſita ad eorum generationem. 343

Somnia cur potius noctu, quam diù excitentur. 347

Somnia potius hominibus ignaris,quàm ſapientibus contingere ſolent, & cur. num. 348

Somnia apud Ariſtotilem ſunt triplicis generis. 351

Somnia,quæ ſunt interpretanda,& quibus liceat interpretare. 351

Somniantes exercere poſſunt multas operationes vigilantium, & cur. 349

Somnium propriè eſt quod figuris tegitur, & ambigijs velatur. 351

Somnium quid ſit, quæ eius materia, & modus quo fit. 343

Somniorum ſpecies,ſeu ſimulachra, aliquandò generant deceptionem, aliquando non. 344

Somniorum cauſæ multæ, & variæ. 346 & ſeq.

Somniorum interpres quis,& quas conditiones hebere debet. 351

Somnia non ſunt operationes ſenſuum externorum, neque intellectus. 342

Somnia ſunt operationes phantaſiæ 345

Somniorum, quæ interpratare non li- num. 357

Somnum prouocantia, & impedientia. cet. 309

Somnus quid ſit. 304

Somnus quomodo fit ex, quibus cauſis 306.& ſeq.

Somnus propter quid ſit inſtitutus à natura. 311.

Somnus aliquando prouenit a iucunda cantatione, & delectabili ſono, &c. & cur. 307

Somnus proueniens à vaporibus noxijs, vt ex papauere, mandragora, &c. non eſt naturalis, ſed præter naturalis. 309

Somnus quomodo naturaliter finitur,& quomodò coactè. 310

Somnus quiſnam bonus, & quis malus. num. 312

Somnus eſt paſſio ſenſus communis. 301

Somnus profundus, & leuis vnde proueniunt. 313.& ſeq.

Somnus, & vigilia conueniunt omni animali. 318

Somnus diuerſis ætatibus conueniens num. 314.

Som.

Somnus diuerſus ſecundùm diuerſa temperamenta eſſe debet. 315
Somnus meridianus malus, & cur. 318
Somnus meridianus aliquando bonus, & quibus conuenit. 315
Somnus moderatus quis. 312
Sonus eſt qualitas,non prima, ſed ſecunda. 249
Sonus fieri poteſt in aere, & aqua. 252
Sonus generatur ex ictu corporum ſonantium in aere. 251
Sonus non generatur a ſola motione aeris, ſed fit à corporibus duris. 251
Sonus non eſt motus, neque ſubſtantia. 249
Sonus triplici modo generari ſolet. 250
Sonus realiter non perfertur per totum ſpatium vſque ad auditum ex motione aeris, ſed partim realiter partim intentionaliter. 253
Species intentionalis quid ſit. 144
Species ab obiecto ad ſenſum tranſmittuntur per continuum influxum. 199
Species intentionales ſunt imperfectiores obiecto. 199
Species intentionales ab Ariſtotile dicuntur materiales, & cur. 198
Species odorum ſunt multæ, & variæ. num. 276
Species principales coloris ſunt ſeptem, ad quas cæteræ reducuntur. 243
Species repræſentant obiectum formaliter, & vt quo. 199
Species intentionales ſunt materiales, & corporeæ. 198
Species intentionales producuntur ab obiecto. 198
Species intelligibiles ſūt qualitates quędam ab obiecto in ſenſum immiſſæ, & in eo receptæ ipſum obiectum repręſentant. 200
Specula repræſentantia rem alter ac eſt in ſe. 237
Speculum quid, & quotuplex ſit. 236
Spes quid ſit, eiuſque cauſæ, & effectus. 395
Spiritus à ſenſu communi ad ſenſus externos, & ſpecies a ſenſibus externis à tribus rebus impediri ſolent. 305
Spiritus ab aere, Vel odore nutriri non poſſunt. 182
Spiritus non ſunt animati neque cæteri humore. 117
Spuma eſt alba ob permixtionem aeris perſpicui, & aquæ opacæ. 240
Sterilitas aliquandò ex parte fœminæ, aliquandò ex parte maris, & aliquandò ex aliquo extrinſeco prouenit. 149
Sterilitatem inducentia multa aſſignantur ab Auctoribus, multaque eam tollentia. 150
Studium nimium lædit organum odoratus, & cur. 277
Subiectum ſoni eſt aer, & etiam aqua. num. 252
Subiectum coloris non eſt corpus ſimplex. 241

T

Tactus, vt ſenſus tactus eſt, nullo indiget medio interno. 240
Tactus, ad ſentiendum non indiget medio externo diſtincto ab agente. 290
Temperamentum ad bonam phantaſiam requiſitum eſt calidum, & ſiccum. 382
Temperamentum humidum cerebri ad bonum ingenium non eſt idoneum. pag. 360
Temperamentum calidum, & ſiccum cerebri ad bonum ingenium non eſt idoneum. 361
Temperamentum cerebri ad bonum ingenium eſt frigidum, & ſiccum, ſeu melancholicum. 361
Temperamentum ad bonam memoriam requiſitum eſt humidum, humiditate aerea. 364
Tempora pertinentia ad formationem fœtus, quatuor aſſignari ſolent. 151
Tempus plus vel minus alimenti ſumendi. 175
Tempus idoneum ad conceptionem. 137

Tem-

Tempus in quo fœminis incipiunt, & deſinunt menſtrua. 129
Tempus in quo maſculi ſemen habere incipiunt, & deſinunt. 129
Terminus ſpecificus vitę hominis, & aliorum animalium. 90
Theologia moralis pertinet ad memoriam. 379
Timor quid ſit, eiuſque cauſæ, effectus, & ſpecies. 396. & ſeq.
Triplex potentia Animæ ſenſitiuæ. 193
Triſtitia quid ſit, eiuſque cauſæ, effectus, & ſpecies. 394
Tunicæ oculorum vide membranæ. pag. 222

V

Varijs temperamentis, & ætatibus varia conueniunt exercitia. pag. 405
Variæ acceptiones vitæ. 63
Variæ rationes probantes calorem natiuum non eſſe calorem elementarem, ſed quid perfectius, & celeſte. pag. 155
Variæ experientiæ aduerſariorum probantium viſionem fieri per extramiſionem. 216
Varietas temporis parienti oritur ex varietate virtutis efformatiuæ. 170
Venæ originem ducunt ab Epate. pag. 43
Venena nutrire non poſſunt & cur. 183
Ventriculus læſus appetit terram, carbones, &c. 1
Ventriculus nutritur à ſanguine non à chilo. 189
Verecundia quid ſit, reducitur ad timorem, & cur verecundi oculos deorſum tendant. 398
Videre bene remota, & malè propinpinqua, & malè remota, &c. vnde proueniat. 216
Vigilia quid ſint earum, cauſæ vtilitas. pag. 317
Virtus efformatiua eſt calor natiuus, qui eſt cęleſtis, non elementaris. 156
Virtus efformatiua eſt, quæ efformat omnia membra corporis, ideſt tribuens illi debitam quantitatem, figuram, numerum, ſitum, cæteraque omnia ad vſum partis. 152
Virtutem efformatiuam aſſignare difficile eſt, Ariſtoteles arti, & intellectui comparat Gal. ſe neſcire inquit quidnam ſit. Plato ideam, alij intelligentiam, alij ipſum Deum eſſe inquiunt. pag. 152
Virtus pulueris viperinæ. 82
Vis ſentiendi odores non eſt in naribus. pag. 274
Vis ſentiendi odores eſt in neruulis expanſis in extremitatibus narium. pag. 274
Viſio propter varias rationes præſtantior alijs ſenſibus. 227
Viſio fit per intra ſuſceptionem ſpecierum repræſentantium obiectum. 215
Viſio deprauata ratione ſpirituum cognoſcitur per ocularia. 217
Viſionem fieri per extramiſſionem varia exempla. 216
Viſio non fit per egreſſionem alicuius corporis luminoſi ab oculo, vt dicebat Empedocles, neque per egreſſionem ignis vt volebat Plato, neque per egreſſionem ſpirituum, vt dicebat Galenus. 214 & ſeq.
Viſio fit in oculo in humore cryſtallino. pag. 217
Viſio non fit in neruis opticis, ſed in humore cryſtallino. 216
Vitæ explicatio ad modum lampadis ardentis. 64
Vita eſſentialiter conſiſtit in calore natiuo, & humido radicali. 64
Vita longa ante diluuium, & cur. 87
Viuens creſcit plus ſecundum longitudinem, quam latitudinem, & cur. pag. 142
Viuentia omnia non ſolum animalia, ſed etiam plantę tranſpirant, 204
Viuentium, quæ ſunt longioris vitæ, &

quæ

quæ breuioris . 86
Vocis deſcriptio. 256
Vocum varietas earum cauſæ. 257
Vox articulata, quæ & quæ inarticulata. 259
Vox pſitaci non eſt articulata, & cur. pag. 257
Vocis bona, & defectuoſæ cauſæ. 259
Vox bona quæ, & quæ defectuoſa. pag. 257
Vox balbutiens, eiuſque cauſæ. 260
Vox bleſſa, eiuſque cauſæ. 260
Voluntas quid ſit, & an diſtinguatur ab intellectu. 422
Vteri partes quæ. 135
Vteri qualitas. 137
Vterus quid ſit, & cur ita dictus eſt. pag. 135
Vterus non eſt animal, vt putabat Plato. 136

Z

Zelotypia quid ſit. 390
Zelotypia quibus dominatur. 388

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Pag. lin.	ERRATA	CORRIGE.
15. 31.	coruptile	corruptibile
66. 2.	reactatione	reactione
68. 9.	conſequens	conſequenter
73. 16.	coram omnes.	coram omnibus.
79. 17.	ſenio	ſenectute
79. 10.	volens	velit.
137. 2.	fuit	fuerit
163. 29.	eſt format	efformat
189. 19.	excitantur	excitatur
196: 31.	parietatem	puritatem
202. 16.	numerorum	numerum
205. 14.	ipſorum	ipſas
210. 7.	decipitur	decipiuntur
216. 18.	quomò.	quomodo
241. 34.	debeant	debebant
322. 4.	dependant	dependeant
328. 36.	prodijſſe	produxiſſe
333. 24.	repræſentare	repræſentando
335. 29.	gerantur	generantur
349. 30.	repræſentando	repræſentare
351. 12.	relinquerunt	reliquerunt
370. 21.	ſipidis	inſipidis
380. 22.	prædicti	præditi
384. 35.	tenendi	tendendi
399. 25.	perſecutio	proſecutio
399. 32.	candeſcentiam	excandeſcentiam
411. 30.	áfferro	affero
422. 20.	à dextra	ad extra
423. 27.	complectiuè	completiue

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Saporis ſpecies quot ſint. 278
Sapores ſi accipiantur ratione voluptatis, ſeu triſtitiæ maximè contrarij ſũt dulcis, & amarus, ſi ratione principij, & cauſæ ex qua prouenium maximè contrarij ſunt acerbus, & acerbum. 280.
Saporum omnium naturæ, proprietates & effectus. 278 & ſeq
Sapores medij prouenientes a natura ſunt veri, ab arte verò nõſunt veri. 284
Saporum ſenſus, ſeu vis ſenſiendi ſapores vbi ſit. 285
Scientia de Anima eſt præſtantior omnibus ſcientijs excepta metaphyſica. pag. 3.
Scientia de anima eſt pars Phyſicæ. 1
Scientiæ ad bonam imaginatiuam pertinentes. 368
Scientiæ ad bonum ingenium pertinentes. 371
Scientiæ ad bonam memoriam pertinentes. 377
Sententia ponens in homine tres animas realiter diſtinctas. 27
Semen actu non eſt animatum. 114
Semen ad conceptionem maris requiſitum debet eſſe calidum, & ſiccum, craſſum, & aereum, 114
Semen ſecundum qaale. 158
Semen fœminę imperfectum. 106
Semen fœminæ non concurrit neque actiuè, neque paſſiuè. 107
Semen maris concurrit actiué ad conceptionem filij. 107
Semen prouenit ex omnibus partibus corporis, de quo variæ ſententiæ, & rationes. 112
Semen quid. 107
Seminis animalis definitio. 109
Semina plantarum etiamſi ſolida, & figurata, non tamen ſunt animata. pag. 115.
Senectus comparata cum febri hectica. pag. 76
Senes cur remota melius videant, quàm propinqua. 216
Senſatio efficienter, & principaliter producitur ab anima. 205
Senſibile aliud per ſe, aliud per accidens. pag. 200.
Senſibile per ſe aliud commune, & aliud proprium. 201
Senſibile commune quid, & quotuplex. 201
Senſibilia communia ſunt tantum quinque. 201
Senſibilia communia percipiuntur per ſuas proprias ſpecies. 202
Senſus interni requirunt ſpecies, vt operentur. 200
Senſus poſitis omnibus requiſitis decipi non poſſunt. 211
Senſus requirunt neceſſariò medium ad operandum. 207
Senſus tactus vnus ſpecie, nõ multiplex vt quidam opinantur. 288
Senſus omnes per ſe percipere poſſunt dolorem impropriũm, ideſt moleſtiã quamdam. 297
Senſus tactus ſolùm per ſe percipit dolorem, cæteri verò ſenſus ratione tactus. 297
Senſus viſus eſt præſtantior alijs ſenſibus ratione neceſſitatis pręcedunt alijs ſenſus. 297
Senſus internus quid, & quotuplex ſit. pag. 248
Sẽſus interni ſunt quatuor, & quare. 299
Senſus interni ſunt inter ſe realiter diſtincti, ac diuerſi. 299
Senſus communis quid ſit, & an ſit neceſſarius. 301
Senſus communis munera. 301
Sententia ponens fœminam concurrere actiuè ad generationem filij, eiuſque rationes. 103
Senſus communis reſidet in anteriori parte cerebri in ſiniſtro vẽtriculo. 302
Senſus communis ad benè operandum requirit eaſdem diſpoſitiones cerebri, quas phantaſia. 304

Digitized by Google

Sententia ponens fœmininam concurrere paſſiuè,eiuſque rationis. 204
Sententia pones in homine vnam tantum animam eiuſque rationes. 25
Sententia ponens in homine plures animas eiuſque rationes. 27
Sententia ponens in homine tres animas realiter diſtinctas habet magnam vim, & probabilitatem in philoſophia. 32
Signa cognoſcendi habentes bonum ingenium. 371 & ſeq
Signa deſitionis ſomni naturaliter, & coactè 310
Signa cognoſcendi habentes bonam phantaſiam, ſeu imaginationem. 370
Signa infallibilis ignorantiæ. 378
Signa habentium bonam memoriam num. 382
Signi cognoſcendi animalia perfecta, & imperfecta. 291
Signa cognoſcendi ſemen bonum, ac perfectum. 144
Signa conceptionis maris, & fœminæ. num. 148
Signa futuræ mortis varia. 98
Signa inceptionis ſanguinis menſtrui in fœminis, & ſemenis in pueris. 124
Signa multa, ac varia longitudinis, & breuitatis vitæ. 88
Signa factę conceptionis. 148
Sitis aliquando prouenit ab humoribus in ventriculo exiſtentibus, & aliquādo à niue vinum,& aqua refrigerante, & cur. 283
Somnia aliquando sunt ordinata,& clara, aliquando inordinata, & obſcura. num. 346
Somnia quomodo fiunt, & requiſita ad eorum generationem. 343
Somnia cur potius noctu, quam diù excitentur. 347
Somnia potius hominibus ignaris,quàm ſapientibus contingere ſolent, & cur. num. 348
Somnia apud Ariſtotilem ſunt triplicis generis. 351
Somnia,quæ ſunt interpretanda,& quibus liceat interpretare. 351
Somniantes exercere poſſunt multas operationes vigilantium, & cur. 349
Somnium propriè eſt quod figuris tegitur, & ambiguis velatur. 351
Somnium quid ſit, quæ eius materia, & modus quo fit. 343
Somniorum ſpecies,ſeu ſimulachra, aliquandò generant deceptionem, aliquando non. 344
Somniorum cauſæ multæ, & variæ. 346 & ſeq.
Somniorum interpres quis,& quas conditiones hebere debet. 353
Somnia non ſunt operationes ſenſuum externorum, neque intellectus. 342
Somnia ſunt operationes phantaſiæ. 345
Somniorum, quæ interpretare non licet, num. 357
Somnum prouocantia, & impedientia. cet. 309
Somnus quid ſit. 304
Somnus quomodo fit ex, quibus cauſis 306.& ſeq.
Somnus propter quid ſit inſtitutus à natura. 311.
Somnus aliquando prouenit a iucunda cantatione, & delectabili ſono, &c. & cur. 307
Somnus proueniens à vaporibus noxijs, vt ex papauere, mandragora, &c. non eſt naturalis, ſed præter naturalis. 309
Somnus quomodo naturaliter finitur,& quomodò coactè. 310
Somnus quiſnam bonus, & quis malus. num. 312
Somnus eſt paſſio ſenſus communis. 301
Somnus profundus, & leuis vnde proueniunt. 313.& ſeq.
Somnus, & vigilia conueniunt omni animali. 318
Somnus diuerſis ætatibus conueniens num. 314.

Digitized by Google

Somnus diuerſus ſecundùm diuerſa temperamenta eſſe debet. 315
Somnus meridianus malus, & cur. 318
Somnus meridianus aliquando bonus, & quibus conuenit. 315
Somnus moderatus quis. 312
Sonus eſt qualitas, non prima, ſed ſecunda. 249
Sonus fieri poteſt in aere, & aqua. 252
Sonus generatur ex ictu corporum ſonantium in aere. 251
Sonus non generatur a ſola motione aeris, ſed fit à corporibus duris. 251
Sonus non eſt motus, neque ſubſtantia. 249
Sonus triplici modo generari ſolet. 250
Sonus realiter non perfertur per totum ſpatium vſque ad auditum ex motione aeris, ſed partim realiter partim intentionaliter. 253
Species intentionalis quid ſit. 144
Species ab obiecto ad ſenſum tranſmittuntur per continuum influxum. 199
Species intentionales ſunt imperfectiores obiecto. 199
Species intentionales ab Ariſtotile dicuntur materiales, & cur. 198
Species odorum ſunt multæ, & variæ. num. 276
Species principales coloris ſunt ſeptem, ad quas cæteræ reducuntur. 243
Species repræſentant obiectum formaliter, & vt quo. 199
Species intentionales ſunt materiales, & corporeæ. 198
Species intentionales producuntur ab obiecto. 198
Species intelligibiles sũt qualitates quędam ab obiecto in ſenſum immiſſæ, & in eo receptæ ipſum obiectum repręſentant. 200
Specula repræſentantia rem alter ac eſt in ſe. 237
Speculum quid, & quotuplex ſit. 236
Spes quid ſit, eiuſque cauſæ, & effectus. 395
Spiritus à ſenſu communi ad ſenſus externos, & ſpecies a ſenſibus externis à tribus rebus impediri ſolent. 305
Spiritus ab aere, vel odore nutriri non poſſunt. 182
Spiritus non ſunt animati neque cæteri humore. 117
Spuma eſt alba ob permixtionem aeris perſpicui, & aquæ opacæ. 240
Sterilitas aliquandò ex parte fœminæ, aliquandò ex parte maris, & aliquandò ex aliquo extrinſeco prouenit. 149
Sterilitatem inducentia multa aſſignantur ab Auctoribus, multaque eam tollentia. 150
Studium nimium lædit organum odoratus, & cur. 277
Subiectum ſoni eſt aer, & etiam aqua. num. 252
Subiectum coloris non eſt corpus ſimplex. 241

T

Tactus, vt ſenſus tactus eſt, nullo indiget medio interno. 240
Tactus, ad ſentiendum non indiget medio externo diſtincto ab agente. 290
Temperamentum ad bonam phantaſiam requiſitum eſt calidum, & ſiccum. 382
Temperamentum humidum cerebri ad bonum ingenium non eſt idoneum. pag. 360
Temperamentum calidum, & ſiccum cerebri ad bonum ingenium non eſt idoneum. 361
Temperamentum cerebri ad bonum ingenium eſt frigidum, & ſiccum, ſeu melancholicum. 361
Temperamentum ad bonam memoriam requiſitum eſt humidum, humiditate aerea. 364
Tempora pertinentia ad formationem fœtus, quatuor aſſignari ſolent. 151
Tempus plus vel minus alimenti ſumendi. 175
Tempus idoneum ad conceptionem. 137

Tem-

Digitized by Google

Tempus in quo, fœminis incipiunt, & deſinunt menſtrua. 129
Tempus in quo maſculi ſemen habere incipiunt, & deſinunt. 129
Terminus ſpecificus vitę hominis, & aliorum animalium. 90
Theologia moralis pertinet ad memoriam. 379
Timor quid ſit, eiuſque cauſæ, effectus, & ſpecies. 396. & ſeq.
Triplex potentia Animæ ſenſitiuæ. 193
Triſtitia quid ſit, eiuſque cauſæ, effectus, & ſpecies. 394
Tunicæ oculorum vide membranæ. pag. 222

V

Variis temperamentis, & ætatibus varia conueniunt exercitia. pag. 405
Variæ acceptiones vitæ. 63
Variæ rationes probantes calorem natiuum non eſſe calorem elementarem, ſed quid perfectius, & celeſte. pag. 155
Variæ experientiæ aduerſariorum probantium viſionem fieri per extramiſionem. 216
Varietas temporis parienti oritur ex varietate virtutis efformatiuæ. 170
Venæ originem ducunt ab Epate. pag. 43
Venena nutrire non poſſunt & cur. 183
Ventriculus læſus appetit terram, carbones, &c. 1
Ventriculus nutritur à ſanguine non à chilo. 189
Verecundia quid ſit, reducitur ad timorem, & cur verecundi oculos deorſum tendant. 398
Videre bene remota, & malè propinpinqua, & malè remota, &c. vnde proueniat. 216
Vigilia quid ſint earum, cauſæ vtilitas. pag. 317
Virtus efformatiua eſt calor natiuus, qui eſt cęleſtis, non elementaris. 156
Virtus efformatiua eſt, quæ efformat omnia membra corporis, ideſt tribuens illis debitam quantitatem, figuram, numerum, ſitum, cæteraque omnia ad vſum partis. 152
Virtutem efformatiuam aſſignare difficile eſt, Ariſtoteles arti, & intellectui comparat Gal. ſe neſcire inquit quidnam ſit. Plato ideam, alij intelligentiam, alij ipſum Deum eſſe inquiunt. pag. 152
Virtus pulueris viperinæ. 82
Vis ſentiendi odores non eſt in naribus. pag. 274
Vis ſentiendi odores eſt in neruulis expanſis in extremitatibus narium. pag. 274
Viſio propter varias rationes præſtantior alijs ſenſibus. 227
Viſio fit per intra ſuſceptionem ſpecierum repræſentantium obiectum. 215
Viſio deprauata ratione ſpirituum cognoſcitur per ocularia. 217
Viſionem fieri per extramiſionem varia exempla. 216
Viſio non fit per egreſſionem alicuius corporis luminoſi ab oculo, vt dicebat Empedocles, neque per egreſſionem ignis vt volebat Plato, neque per egreſſionem ſpirituum, vt dicebat Galenus. 214 & ſeq.
Viſio fit in oculo in humore cryſtallino. pag. 217
Viſio non fit in neruis opticis, ſed in humore cryſtallino. 226
Vitæ explicatio ad modum lampadis ardentis. 64
Vita eſſentialiter conſiſtit in calore natiuo, & humido radicali. 64
Vita longa ante diluuium, & cur. 87
Viuens creſcit plus ſecundum longitudinem, quam latitudinem, & cur. pag. 142
Viuentia omnia non ſolum animalia, ſed etiam plantę tranſpirant, 204
Viuentium, quæ ſunt longioris vitæ, & quæ

quæ breuioris 86
Vocis deſcriptio. 256
Vocum varietas earum cauſæ. 257
Vox articulata, quæ & quæ inarticulata. 259
Vox pſitaci non eſt articulata, & cur. pag. 257
Vocis bona, & defectuoſæ cauſæ. 259
Vox bona quæ, & quæ defectuoſa. pag. 257
Vox balbutiens, eiuſque cauſæ. 260
Vox bleſſa, eiuſque cauſæ. 260
Voluntas quid ſit, & an diſtinguatur ab intellectu. 422
Vteri partes quæ. 135
Vteri qualitas. 137
Vterus quid ſit, & cur ita dictus eſt. pag. 135
Vterus non eſt animal, vt putabat Plato. 136

Z

Zelotypia quid ſit. 390
Zelotypia quibus dominatur. 388

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

Pag. lin.	ERRATA	CORRIGE.
15. 31.	coruptile	corruptibile
66. 2.	reaſtatione	reactione
68. 9.	conſequens	conſequenter
73. 16.	coram omnes.	coram omnibus.
79. 17.	ſenio	ſenectute
79. 10.	volens	velit.
137. 2.	fuit	fuerit
163. 29.	eſt formar	efformat
189. 19.	excitantur	excitatur
196: 31.	parietatem	puritatem
202. 16.	numerorum	numerum
205. 14.	ipſorum	ipſas
210. 7.	decipitur	decipiuntur
216. 18.	quomò.	quomodo
241. 34.	debeant	debebant
322. 4.	dependant	dependeant
328. 36.	prodijſſe	produxiſſe
333. 24.	repræſentare	repræſentando
335. 29.	gerantur	generantur
349. 30.	repræſentando	repræſentare
351. 12.	relinquerunt	reliquerunt
370. 21.	ſipidis	inſipidis
380. 22.	prædicti	præditi
384. 35.	tenendi	tendendi
399. 25.	perſecutio	proſecutio
399. 32.	candeſcentiam	excandeſcentiam
411. 30.	afferro	affero
422. 20.	à dextra	ad extra
423. 27.	complectiuè	completiue

Digitized by Google

Digitized by Google